
43
7 F
16







DE RE
SACRAMENTARIA
CONTRA PERDUELLES HÆRETICOS
LIBRI DECEM
QUATUOR TOMIS COMPREHENSI:

Quibus omnia, & singula Legis Evangelicæ Sacramenta Consensione, Universitate, Perpetuitate, adstruuntur, defenduntur, vindicantur: simul & graviores Quæstiones ad Disciplinam, & Moralem pertinentes; itemque Theologorum præcipuæ contentiones Scholarum methodo

AD MENTEM PRÆCEPTORIS ANGELICI

EXPENDUNTUR, DISCUTIUNTUR, EXPLICANTUR


CURA ET STUDIO R. P. F.

RENATI HYAC. DROUVEN

Doctoris Sorbonici Ordinis Prædicatorum.

EDITIO QUARTA.

CUM NOTIS ET ADDITIONIBUS




R. P. JOANNIS VINCENTII PATUZZI

Ejusdem Ordinis Sacræ Theologiæ Professoris.

TOMUS TERTIUS.







VENETIIS MDCCLXXXIX.

Apud Thomam Bettinelli

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi: Majores tuos, & dicent tibi. Deuteron. Cap. XXXII, vers. 7.

INDEX

QUÆSTIONUM, CAPITUM &c.

TOMI TERTII.



QUÆSTIONES LIBRI SEXTI

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

 Ca-

Osten-


Q. 4.


QUÆ-

QUÆSTIONES LIBRI SEPTIMI

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Quæ-





LIBER SEXTUS

DE

SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

Postquam de Sacramentis in genere, de Baptismo, Confirmatione, deque Eucharistiæ Sacramento & Sacrificio actum est, ratio operis postulat, ut de Pœnitentia dicamus, quam voluit Pater misericordiarum & Deus totius consolationis esse secundam post naufragium tabulam: quæque proinde in Sacramentis, ad salutem, necessitate medii necessariis, alterum a baptismate locum habet. *Equidem si in regeneratis omnibus ea gratitudo erga Deum esset*, inquiunt Patres Tridentini, (*sess.* 14, *c.* 1) *ut justitiam in baptismo, ipsius beneficio & gratia susceptam constanter tuerentur; non fuisset opus, alius ab ipso baptismo Sacramentum, ad peccatorum remissionem esse institutum: quoniam autem Deus dives in misericordia cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, & dæmonis potestatem tradidissent; Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post baptismum, beneficium mortis Christi applicatur.*

Ecquis vero est adeo vitæ integer, & ab omni culpæ contagio purus, qui laborioso pœnitentiæ baptismo sæpius in vita non egeat? tot enim in hac valle miseriarum, tamque sævis jactamur procellis, tot ingruentium undequaque hostium insultationibus oppugnamur, tot debilitatæ naturæ, & voluntatis, per Adami rebellionem in deterius commutatæ passionibus conturbamur, ut neminem patiatur conditio fragilitatis humanæ sine macula vivere, foretque penitus de salute desperandum, nisi ille sanaret infirmitates nostras, & peccata remitteret, qui dixit: (*Matt.* 11, 28, & *seq.*) *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: Tollite jugum meum super vos . . . . & invenietis requiem animabus vestris.* Tanti igitur & tam necessarii Sacramenti naturam, excellentiam, virtutem, proprietates atque conditiones, non ex corruptis recentiorum opinionibus, non ex versatilis probabilitatis commento: sed juxta inviolabilem scripturæ & traditionis regulam nostri est officii indagare ac constituere: quod toto hujus libri decursu, juvante Deo, sic præstare conabimur, nostram ut operam nemo requirat, aut negligentiam arguat.

Est vero pœnitentiæ eximium, ut non solum Sacramenti dignitate a Christo donata sit; sed etiam non minimum inter virtutes teneat locum: nam cum reliqua fere Sacramenta sint res sensibus subjectæ, quæ ex libera Dei electione sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habent: pœnitentia sibi vindicat jure suo, ut Deo offenso pœnas luat, animam peccatricem intus maceret torqueatque, & veræ denique virtutis importet officia, quorum actus dum exerit, præbet Sacramento materiam, ut suo loco dicturi sumus.

Itaque ut sit accurata hujus libri & plena divisio, quæremus: 1. *De virtute pœnitentiæ*: 2. *De Sacramenti pœnitentiæ existentia ac veritate*: 3. *De partibus ejus generatim*: 4. *De contritione*: 5. *De confessione*: 6. *De satisfactione*: 7. *De indulgentiis*: 8. *De forma Sacramenti, sive de absolutione*: 9. *De ministro*: 10. *De subjecto Sacramenti. Sit igitur*

QUÆSTIO PRIMA.

De virtute pœnitentiæ.



PRimum de Pœnitentiæ nomine, definitione, ac divisione dicendum, ne qua deinceps æquivocatio vel confusionem pariat, vel obscuritatem.

Secundo, quærendum utrum & qualis sit virtus?

Tertio, utrum & quatenus necessaria sit?

Quarto, quibus gradibus ad illam perveniatur? Quapropter sit

CAPUT PRIMUM.

Quid & quotuplex pœnitentia sit?

§. PRIMUS.

Nomen pœnitentiæ explicatur.

POEnitere, si ad verbi originem attendamus, idem est, ac *pœnam tenere*, inquit author libri de vera & falsa pœnitentia, S. Aug. attributi; (*novæ edit. tom. 6, in append. col.* 231) idemque sentiunt Latini omnes. *A punitione*, ait S. Isidorus Hispal. (*lib. 6 origin.*) *Pœnitentia nomen accepit, quasi punitentia, aut pœnitentia, per quam scilicet homo pœnitendo punit, quod male admisit peccando*: quapropter ei tantum pœnicentia convenit, in quem rei anteactæ odium ac detestatio, & prioris consilii revocatio cadit; unde cum Deus nec male quidquam possit agere, quia summe perfectus est, & ex essentia bonus, nec revocare propositum, *cum apud illum* (*Ep. S. Jac. c.* 1, 17) *non sit transmutatio nec vicissitudinis obumbratio*; omnis proinde est pœnitentiæ incapax; quod autem in scripturis legitur, Deum aliquando pœnituisse: (Genesis enim 6, v. 6 & seq. *Pœnituit eum*, inquit, *quod hominem fecisset in terra: & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cæli: pœnitet enim me fecisse eos*: & I Reg. 15, 11, *pœnitet me, quod constituerim Saul Regem: quia dereliquit me & verba mea opere non complevit*) Hæc, inquam, & si quæ leguntur similia, debent figurato sensu accipi, *quia per translationem dici perspicuum est*, (inquit Concilii Trid. Catechismus p. 2, *tit. de Sacr. Pœnit. num.* 3) *eo enim loquendi genere quod ad hominum mores accommodatum est, sacræ litteræ utuntur, cum Deum mutare aliquid constituisse declarant; quod non aliter facere videatur quam homines, quos si alicujus rei pœniteat, eam commutare omni studio laborant.*

Diversis porro modis accipi nomen pœnitentiæ potest.

1. Latissime pro interiori animi sensu, quo rem factam, bonam licet, quis reprobat & infectam vellet; qualis eorum esset affectio, quos sobrie & juste vixisse puderet; hæc autem, ait Apostolus, (2 *Cor.* 7, 10) *sæculi tristitia est, quæ mortem operatur*, nec tam pœnitentiæ, quam diabolicæ perversitatis nomen meretur, & propria eorum est, *qui*, ut loquitur Sapiens (*Prov.* 2, 13), *relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas: qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.*

2. Paulo strictius pœnitentiæ nomine intelligitur, dolor conceptus ex crimine, non Dei, sed sui causa; qualis Antiochi & Judæ proditoris desperatio verius quam pœnitentia fuit. *Peccavi*, ajebat iste, (*Matt.* 27, 4, & *seq.*) *tradens sanguinem justum .... & projectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit*; ille vero dum Judæos funditus perdere meditaretur, dirissimis viscerum doloribus a Deo percussus, nec jam fœtorem ipse suum (scaturientibus undecumque de corpore impii vermibus) ferre valens, *ita ait*; (*Mach.* 2, 9, *v.* 12, & *seq.*) *Justum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire; orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus: & civitatem ad quam festinans veniebat, ut eam ad solum deduceret, ac sepulchrum congestorum faceret, nunc optat liberam reddere* &c.

3. Sumitur strictissime, pro intimo animi dolore (quem vulgo comitatur externus ejusdem sensus) propter scelus perpetratum, solius Dei causa concepto; quod genus pœnitentiæ sic describit Spiritus Sanctus. (*Joel.* 2, 12, & *seq.*) *Nunc ergo dicit Dominus: convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra; & convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.*

¶ Quod latini *Pœnitentiam*, Græci *Metanœam*, vel *Exomologesim*, vel etiam *Epitimion* nominant. *Metanœa* idem proprie sonat, ac *resipiscentia*, maximeque nomen istud Pœnitentiæ congruit, prout virtus quædam est.

(1) Exo-

(1) *Exomologesis* idem valet, ac latine *confessio*; unde ad Sacramentalem Confessionem significandam aptatur; quamquam apud veteres aliquos, ac præsertim Cyprianum, & Tertullianum non infrequenter usurpetur ad Pœnitentium reconciliationem omnesque ipsorum actus designandos. Demum *Epitimion* idem est ac *pœna*, sive *multa* peccatis debita, adeoque aptissime sumitur ad significandum supplicium, aut animadversionem pro peccatis subeundam. ¶

§. SECUNDUS.

Pœnitentiæ definitio affertur & explicatur.

Hincque manifestum fit, pœnitentiam ut vera sit, tres potissimum importare conditiones.

1. Enim includit resipiscentiam, hoc est, vitæ in melius commutationem.

2. Requirit vitæ veteris odium ac detestationem propter Deum.

3. Necessarium est, ut pœnam conjunctam habeat, per quam admissa peccata puniat, & Deo offenso satisfaciat.

Unde facile intelligitur qua debeat ratione definiri. *Intima pœnitentia est*, inquit Catechismus Trid. (*p. 2, tit. de pœnit. n. 7*) *cum ad Deum nos ex animo convertimus, & commissa a nobis scelera detestamur, & odio habemus: simulque illud nobis certum & deliberatum est, malam vitæ consuetudinem, corruptosque mores emendare, non sine spe veniæ a Dei misericordia consequendæ; hanc vero dolor & tristitia, quæ perturbatio & affectio est, & passio a multis vocatur, consequitur, veluti comes peccatorum detestationi adjuncta: quamobrem apud complures ex SS. Patribus pœnitentiæ definitio per hujusmodi animi cruciatum declaratur.*

Ita Catechismus prælaudatus, & merito quidem: Sancti enim Doctores pœnitentiam non in sola vitæ mutatione, sed insuper in vitæ prioris odio, & voluntaria pœnarum assumptione, summa consensione reponunt.

Agite pœnitentiam plenam, ait S. Cyprianus, (*lib. de lapsis*) *dolentis & lamentantis animi probate tristitiam.*

Et S. Aug. in Ep. ad Macedon. (*al. 54, nunc 153*) *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod mali fecerit, impunitum esse non sinat: eo quippe modo sibi non parcenti ille parcit, cujus altum justumque judicium nullus contemptor evadit.*

Et apud eumdem, author libri de vera & falsa pœnitentia, c. 7 (*nov. edi. tom. 6, in append. pag. 231*) *pœnitentia est, quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse.*

S. Gregorio M. (*hom. 34 in Evang.*) *pœnitentia est, perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.*

S. Isidorus Hispal. (*lib. 2 de offic. Eccl. c. 16*) *Pœnitentia nomen sumpsit a pœna, qua anima cruciatur, & caro mortificatur.*

Eademque aliorum quos recensere longum foret, doctrina est: unde sequitur, multum a veritate Lutherum exorbitasse, quando pœnitentiam in sola resipiscentia & vitæ novæ institutione, sine ullo vitæ flagitiose transactæ dolore, collocandam effutiit; quam opinionem ut ostendamus perniciosissimam esse & Catholicæ doctrinæ contrariam, sit

Conclusio: Pœnitentia non solum est nova vita, sive resipiscentia, sed etiam vitæ veteris odium, cum voluntate satisfaciendi conjunctum essentialiter importat.

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

1. Veritatem hanc palam ubique scripturæ utriusque testamenti annunciant.

Insipienter locutus sum, inquiebat Job, (42, 3, 6) *& quæ ultra modum excederunt scientiam meam . . . . idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.*

Et Psalmista; (50, 19) *sacrificium Deo Spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

Isaia: (38, 15) *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Ezechiel: (18, 39) *Convertimini*, ait Dei nomine, *& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas, proiicite a vobis omnes iniquitates vestras in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & Spiritum novum: & quare moriemini Domus Israel?*

(1) *Divi* Metanœæ *nomen* pœnitentiæ, prout virtus quædam est, maxime congruere. *Nam etiam, tametsi minus proprie, scelerum vindicationi, cæterisque pœnitentium operibus tribui aliquando consuevit. Immo & ipsas corporis inflexiones, aliaque mortificationum genera per tropum, aut figuram* metanœæ *nomine donatas deprehendimus. Unde Theodoretus narrat quosdam in Simeone enumerasse* 244 metanœas, *idest corporis inflexiones. S. Petrus Damiani refert Monachos pro uno fratre defuncto* metanœeas septingentes fecisse. *De his legi possunt Morinus, Suicerus, aliique.*

Matthæi c. 12 v. 41, *Viri Ninivitæ*, inquit Christus, *surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ* . . . quam vero acerba & plena doloris Ninivitarum pœnitentia fuerit, Propheta declarat: *Crediderunt*, inquit, (*Jon.* 3, 5, *& seq.*) *viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem: & pervenit verbum ad Regem Ninive: & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum a se, & indutus est sacco, & sedit in cinere: & clamavit, & dixit in Ninive ex ore regis & principum ejus dicens: homines & jumenta, & boves & pecora, non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant: & operiantur saccis homines & jumenta, & clament ad Dominum in fortitudine; & convertatur vir a via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorum: quis scit si convertatur & ignoscat Deus, & revertatur a furore iræ suæ, & non peribimus?*

S. Lucas, (7, 37) *Ecce mulier*, inquit, *quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti; & stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.*

Et alio in loco, (*Luc.* 22, 61) *Conversus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat; quia priusquam Gallus cantat, ter me negabis; & egressus foras Petrus flevit amare.*

Ex his, aliisque scripturarum innumerabilibus testimoniis sic enascitur argumentum:

Pęnitentia ut vera sit, eas conditiones necessario exigit, quæ sunt pœnitentibus divina auctoritate præscriptæ, unde gratiam & peccatorum remissionem pendere scriptura ubique testatur: quas denique insignes illi pœnitentes quorum in utroque testamento mentio est, ad placandum Deum religiose servarunt. Atqui

1. Deus penitentibus non solum animi mutationem, & emendationem vitæ, sed vitæ anteactæ odium, cum sincera satisfaciendi voluntate conjunctum ubique præscribit: quid enim est, *reprehendere seipsum, agere in favilla & cinere pœnitentiam, cor conterere & humiliare, recogitare omnes annos suos in amaritudine animæ suæ, omnes a se iniquitates projicere, sacco vestiri, respergi cinere, carnem macerare jejunio, uberesque lacrymas fundere*: nisi vitam præteritam detestari, & Deo offenso, quem nemo unquam impune derisit, pro modulo satisfacere?

2. Ex detestatione vitæ flagitiose transactæ, & satisfactionis laboribus, aut eorum saltem perferendorum voluntate, gratiam & peccatorum remissionem necessario dependere, hæc ipsa testimonia manifesto evincunt: non enim ita hæc præscribuntur, quasi inculpate violari possint aut negligi: sed quia, inquiunt Patres Trid. (*sess.* 14, *c.* 2) *Ad vitæ novitatem, & integram peccatorum remissionem, sine magnis nostris fletibus & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus.*

3. Conditiones has religiose omnique adhibita cura servarunt Ninivitæ, David pœnitens, peccatrix mulier, B. Petrus, & alii denique omnes, quorum in sacris litteris exempla legimus commendata: nec speravit quisquam Deum futurum sibi propitium, nisi fructus dignos pœnitentiæ faceret. Ergo &c.

PROBATIO SECUNDA.

Ex Sanctis Patribus.

2. Majorum doctrina consentit, quorum etsi nonnullas sententias, naturam pęnitentiæ explicando paulo ante attulimus; juvat ad pleniorem convictionem alias addere.

Pœnitentia, ait S. Gregorius Nazianz. (*orat.* 39) *est baptismus lacrymarum, baptismus laboriosus.*

S. Ambrosius: (*concione* 1 *in Ps.* 37) *Plena est definitio pœnitentiæ commemoratio delictorum, ut unusquisque peccata sua velut quodam quotidiani sermonis flagello castiget, & commissa flagitia condemnet.*

S. Augustinus: (*serm.* 351, *num.* 12) *Non sufficit ad pœnitentiam, mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.*

Et serm. 3 in Natali Dom. (*inter Augustinianos* 7, *de temp. nov. edit. tom.* 5, *in append.*) *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei; quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita; & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente.*

S. Isidorus (*lib.* 2 *sent. c.* 13): *Ille pœnitentiam digne agit, qui reatum suum satisfactione legitima plangit, condemnando scilicet & deflendo quod gessit, tanto in deplorando profusius, quanto extitit in peccando proclivius.*

Hinc sic argumentum conficitur:

Illud est pœnitentiæ essentiale, sine quo nec plena, nec certa, nec digna pœnitentia est, quod agunt ii quos veraciter pęnitet; unde pœ-

pœnitentia nomen habet, & per quod definiri solet a Patribus; atqui ex testimoniis allegatis certum est:

1. Sine detestatione vitæ anteactæ, cum voluntate satisfaciendi conjuncta, nec plenam, nec certam, nec dignam pęnitentiam esse.

2. Has conditiones ab iis observari quos veraciter pęnitet.

3. Iisdem conditionibus veram pęnitentiam circumscribi & explicari.

Hinc Concilium Trid. Lutheri vesaniam refutans: *Declarat S. synodus*, inquit, (*sess.* 14, *c.* 4) *hanc contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & Spiritum novum: & certe qui illos sanctorum clamores consideraverit: tibi soli peccavi, & malum coram te feci: laboravi in gemitu meo: lavabo per singulas noctes lectum meum: recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: & alios hujus generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.*

Et ib. can. 5: *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam: sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem .... anathema sit.*

PROBATIO TERTIA.

Ex ratione.

3. Adstipulatur ratio ipsa: non enim potest resipiscentia, seu vitæ in melius commutatio, sine vitæ præteritæ odio ac detestatione intelligi: nam, ut scholarum more loquamur, nequit fieri accessus ad terminum *ad quem*, nisi simul a termino *a quo* recessio fiat: quia hæc duo ita conjuncta ligataque sunt, ut unum necessario sequatur ex altero; atqui peccator dum resipiscit, accedit ad novam vitam, accedit, inquam, per fidem, qua credit justificari a Deo impium, per spem qua confidit Deum sibi propter Christum fore propitium: per timorem divinæ justitiæ, quo utiliter concutitur: per amorem, quo incipit amare justitiam; ergo consequens est, ut simul ac resipiscit, vitæ veteris odium ac detestationem concipiat: ut quid enim mutaret consilium, nisi priorem vitæ rationem, quippe æquitati, & æternæ legi contrariam, intelligeret odio dignam, novam vero amabilem, quia consentaneam justitiæ Dei ac sanctitati? Hinc merito S. Aug. (*hom. ult. int.* 50) *nemo*, inquit, *voluntatis suæ arbiter constitutus, potest novam vitam inchoare, nisi eum veteris pœnituerit.*

Deinde: Quomodo nequit voluntas non amare bonum qua bonum est; ita nec potest non odisse malum qua malum: sed qui pęnitendo resipiscit, & in meliorem frugem se recipit, ideo consilium revocat, quia vitam priorem malam fuisse intelligit, Dei voluntati, ejusque amori e diametro contrariam; ergo prorsus necessarium est, ut illam odio habeat ac detestetur: quod si odisse tenetur, consequens iterum est, ut Deo offenso satisfaciat, eumque suspiriis ac gemitibus, & voluntarie susceptis laboribus placare omni opera studeat; atque hinc manifestum est, Lutherum non scripturam tantum & Patres, sed & rationem ipsam naturalem offendere, quando contendit cum sola vitæ mutatione veram consistere pęnitentiam: neque mirum debet videri, quod homo audacissimus, suoque judicio præ cæteris sapiens, ab ipso communi sensu recesserit: *Res enim Dei est ratio*, ait apposite Tertullianus, (*Libr. de pœn. c.* 1.) *unde quotquot a Deo aberrant, a ratione ejus tantum absunt, quantum ab ipso rationis auctore.*

§. TERTIUS.

Solvuntur argumenta Lutheri.

Opponit in contrarium Hæresiarcha vaferrimus: hoc unum pęnitentiæ natura importat, quod voce ipsa significatur; atqui nomen pœnitentiæ nihil quidquam præter resipiscentiam, sive vitæ mutationem enunciat. Ergo &c.

R. Transeat major (quam absolute negari posse facile intelliget, qui sciverit rerum naturas, non in vocum quibus enunciantur, arbitraria potestate, sed in intimis ipsarum visceribus inquirendas) & nego minorem: mutatio enim hæc fit ab uno termino ad alterum, ut modo dicebamus; atqui motus ad novam vitam sine amore non est; ergo pariter motus sive recessus a vita veteri, sine odio esse non potest: quo fit, ut homo per pęnitentiam impleat, quod est a Propheta dictum (*Psal.* 118, 127) & factum: *Dilexi mandata sua super aurum & topazion: propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.*

habui. Quam autem necessario vitæ veteris odium ex amore novæ sequatur, alter Propheta declarat his verbis: (*Jer.* 31, 19) *Postquam convertisti me, egi pęnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum: confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ*: quæ verba S. Hieronymus explicans: *Dolentis*, inquit, (*in hunc locum*) *& plangentis, & super errore pristino plorantis indicium est, ut femur manu percutiat, & stultum se ante fuisse fateatur*.

Inst. 1. Prob. min. quam Latini pęnitentiam, Græci μετάνοιαν dicunt; atqui vox μετάνοια, nihil nisi mentis mutationem significat: est enim μετὰ Latine *trans*, & νοῦς *mens*: unde μετάνοια idem ac *transmentatio* sonat, sive mentis in meliorem frugem tsanslatio. Ergo &c.

R. Concessa maj. n. min. hæc namque mutatio utrumque terminum connotat, ad quem nimirum acceditur, & a quo recessus est: nemo enim potest revocare mentem in melius, nisi male acta detestetur; sic e converso non potest detestari præterita, nisi meliora proponat; ergo non potest esse novæ vitæ propositum sine odio veteris: neque est, quod in vocis μετανοίας Etymologia pueriliter hæreamus, quando ex scriptura & traditione, ipsaque naturali ratione constat, sine odio male actæ vitæ pęnitentiam esse non posse: *Ille quem facti sui pœnitet*, inquit Lactantius Firmianus, (*divin. instit. lib.* 6, *c.* 24) *errorem suum pristinum intelligit, ideoque Græci melius & significantius μετάνοιαν dicunt, quam nos possumus resipiscentiam dicere, resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad melius vivendum: tum illud ipsum maxime cavet, ne rursum in eosdem laqueos inducatur*: eademque Prophanorum scriptorum sententia est. Sic Ovidius: (*lib.* 1 *de Ponto Eleg.* 1.)

Pœnitet: oh! Si quid miserorum creditur ulli:
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.

Sensuque simili celebris Poeta Ausonius, pęnitentiam quasi Dea quædam esset, loquentem inducens:

Sum Dea quæ facti, non factique exigo pœnas:
Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor.

Quorum similia in Cicerone, & aliis Latini sermonis optimis præceptoribus passim occurrunt: quid quod ita omnium mentibus hæc pęnitentiæ significatio hæsit, ut scriptura quando pœnitentiam Deo per translationem, & humano more loquendo attribuit, ipsum quoque ei cordis dolorem affingat: *Videns autem Deus*, inquit, (*Gen.* 6, 5, *& seq.*) *quod multa malitia hominum esset in terra . . . . pœnituit eum quod hominem fecisset; & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem*, &c. itaque Lutherus dum grammaticus esse maluit, quam Theologus, ne grammaticus quidem fuit.

Inst. 2. atqui non debet pœnitentia ordinem ullum habere ad terminum a quo, scilicet ad vitam præteritam. Ergo &c. Prob. subs. ordo ille sive respectus in eo consisteret, quod homo vitam priorem detestaretur, & quod Deo displicuisse cognoscit, infectum vellet; atqui detestatio hæc & voluntatis male gesta revocantis affectio species stultitiæ est. Ergo &c.

R. Nego subs. ad prob. concessa maj. n. min. nedum enim stultitiæ imaginem præferat hæc vitæ flagitiosæ detestatio & affectio voluntatis, qua nollet Deum offendisse: e contrario summa est & compendium sapientiæ Christianæ: quis enim illam stultitiæ jure arguat, qui detestatur & infectum vellet, quod Deo scit summopere displicere, mortem spiritualem inferre animæ, ab æterna felicitate repellere, & aperire viam ad æternam damnationem? quis audeat eum accusare insipientiæ, qui dum odio habet peccatum, Dei hoc ipso fit imitator? *Pęniteat*, inquit egregie Tertullianus, (*lib. de pœnit. c.* 4) *errorum reperta veritate: pœniteat amasse quæ Deus non amat, quando ne nos quidem ipsi servulis nostris, ea quibus offendimur, non odisse permittimus.*

Inst. 3. probando Min. velle rem impossibilem, quædam est stultitiæ species; atqui peccatum perpetratum, factum non esse penitus impossibile est: ergo illud detestari & infectum velle, quædam stultitiæ species est.

R. Dist. Maj. velle *absolute* rem impossibilem, quædam est stultitiæ species, conc. velle *conditionate & hypothetice*, si nimirum foret possibilis, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. R. Quem vere vitæ male actæ pęnitet, non vult absolute peccatum a se non fuisse perpetratum, quod enim factum est, infectum esse non potest, sed sub conditione, si foret possibile: hoc vero desiderium, licet ex parte objecti sterile sit & inefficax; magnæ tamen in ipso subjecto, pęnitente videlicet, fœcunditatis principium est; tum quia vitæ in præterito male actæ detestationem includit, tum quia efficax importat propositum, Deo pro illatis satisfaciendi, lacrymarum ac gemituum copia ejus misericordiam inflectendi, bonum amplectendi, & cavendi in posterum ab omni peccato: hos vero motus qui stultitiæ arguunt, quid sit sapientia Christiana prorsus ignorant, & in ipsos veteris ac novi testamenti sanctos stulti-

stultitiæ accusationem refundunt: quo nihil insulsius esse potest; atque hinc patet, quantum a vero Lutherus abhorreat, quando ait quod dolor de peccatis hominem facit hypocritam, & magis peccatorem, quod perniciosissimum dogma veniet alibi opportunius refutandum, quando de contritione 4 quæst. agemus.

Inst. ultimo: Patres sæpe pęnitentiam, novam vitam definiunt, de detestatione veteris nec verbum habendo. Ergo &c.

R. Concesso ant. n. conseq. tum quia quod alicubi silent Patres sæpe in aliis locis inculcant, adeoque nullam de mente sua dubitationem relinquunt; tum quia nova ipsa vita quæ suscipitur a pęnitente, sine odio veteris, ut prædiximus, esse non potest: quisquis enim ad bonum per amorem accedit, quod penitentia vera requirit, a malo per odium recedat necesse est.

§. QUARTUS.

Multiplex pœnitentiæ divisio explicatur.

1. Pœnitentia dividitur in veram & falsam. Vera est intimus animi dolor de peccato commisso, Dei causa conceptus, cum detestatione vitæ præteritæ, & proposito melioris, cum voluntate satisfaciendi conjunctus.

Pęnitentia falsa est, quando quis non de malo, sed de bono a se facto dolet: vel de peccato, non Dei, sed sui ipsius causa affligitur: hanc, inquam, larvatam esse pœnitentiam nemo ambigat: nam quæ vere hoc nomen habet, debet ad Deum esse conversio: *Convertimini ad me in toto corde vestro*, inquit Deus, (*Joel.* 2, 12) *in jejunio & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum. . . . derelinquat impius viam suam*, (*Isai.* 55, 7) *& vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum* &c. igitur si quem peccata contristant, vel quia turpia sunt, vel quia notam infamiæ, aut temporale damnum intulerunt, vere pœnitens dici non potest, quia etsi contristatur, non tamen secundum Deum, cujus respectum non habet.

2. Pęnitentia vera, altera exterior est, interior altera.

Interior est, virtus ipsa pęnitentiæ, scilicet animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito placandi Deum, & non peccandi de cætero.

Exterior est, Sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum, quo peccata post baptismum commissa expiantur.

In hoc vero differunt pęnitentia exterior & interior, quod ista in actibus pœnitentis tota consistat; illa ab actu Sacerdotis absolventis, & formam Sacramentalem materiæ applicantis potissimum pendeat: est & alterum utriusque discrimen, ex necessitate petitum: nam pęnitentia interior, iis qui peccando Dei justitiam provocassent, quocumque tempore necessaria fuit: sed exterior, sive Sacramentalis tunc solum incepit esse necessaria, quando est a Christo novæ legis auctore sancita: quia vero pęnitentiæ interioris actus, tamquam materiam præbent, in qua Sacramentum versatur: *Ideo*, inquit Catechismus Trid. (*part.* 2, *tit. de pœnit. n.* 6) *in primis monendi, hortandique sunt fideles, ut omni contentione & studio in intima animi pœnitentia, quam virtutem dicimus, elaborent, sine qua ea quæ extrinsecus adhibetur, parum admodum profutura est.*

3. Pœnitentia exterior altera est privata, quæ clanculum & secreto, altera publica est, propter grave aliquod crimen inflicta, & in facie Ecclesiæ peragenda: de utraque dicetur in posterum.

4. Pœnitentia interior vel est actualis, actus nimirum ipse pœnitendi: vel habitualis, propensio scilicet & facilitas ad exerendos doloris & resipiscentiæ actus in voluntate permanenter consistens.

5. Dividitur in eam quæ fit ante baptismum, de qua dictum ab Apostolo Petro: (*Act.* 2, 38) *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum*: & in eam quæ ad expianda peccata post baptismum perpetrata imponitur.

6. Demum pœnitentia quæ fit post baptismum altera est peccatorum mortalium, venialium altera.

Tres illos posteriores pœnitentiæ modos Angelicus præceptor sic explicat: (3. *p. q.* 90, *art.* 4, *in c.*) *pertinet ad pœnitentiam ut detestetur peccata præterita, cum proposito immutandi vitam in melius, quod est quasi pœnitentiæ finis, & qua moralia recipiunt speciem secundum finem; ideo conveniens est, quod diversæ species pœnitentiæ accipiantur secundum diversas immutationes quas pœnitens intendit: est autem triplex immutatio a pœnitente intenta, prima quidem per regenerationem in novam vitam: & hæc pertinet ad pœnitentiam, quæ est ante baptismum: 2 est per reformationem vitæ præteritæ jam corruptæ, & hæc pertinet ad pœnitentiam mortalium post baptismum: 3 est in perfectiorem operationem vitæ: & hæc pertinet ad pœnitentiam venialium, quæ remittuntur per aliquem ferventem actum caritatis:* Sequitur

CAPUT SECUNDUM.

Utrum & qualis virtus sit pœnitentia?

Etsi pœnitentiam esse virtutem, ex prædictis facile intelligitur; est tamen plenius demonstrandum, propter quasdam scholarum opiniones, quas non debemus intactas relinquere, ne videamus consuetam Theologorum methodum aspernari. Sit itaque

§. PRIMUS.

Ostenditur pœnitentiam esse virtutem proprie dictam.

PROBATIO PRIMA.

Ex scripturis.

Baruch 2. v. 18. *Anima quæ tristis est super magnitudine mali, & incedit curva & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens, dat tibi gloriam & justitiam, Domine.*

Ezechiel 18, 30, & seqq. *Convertimini, ait Dominus Deus, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas: projicite a vobis omnes prævaricationes vestras in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum: & quare moriemini domus Israel?*

Matth. 3, v. 2, & 8. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum . . . facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.*

Lucæ 6, 21. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.*

Ib. c. 4, v. 17. *Cœpit Jesus prædicare & dicere: pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum* ....& c. 15, v. 7, & 10. *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia . . . . dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente.*

2 Ad Cor. 7, v. 9, & seq. *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam: contristati enim estis secundum Deum . . . . quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur.*

Ex his, aliisque propemodum infinitis ejusdem sensus testimoniis eruo quæ sequuntur argumenta:

Primum est: ille habitus in veris & proprie dictis virtutibus locum habet, per quem homo gloriam & justitiam Domino retribuit: cujus finis futurus est, summa in cælo felicitas; atqui ex auctoritate scripturæ per pęnitentiam homo gloriam & justitiam Domino retribuit, ejusque finis futurus est æterna salus. Ergo &c.

Secundum: quod lege Divina præcipitur, non potest ad virtutem non pertinere: *Lex enim Domini sancta & immaculata, testimonium Domini fidele sapientiam præstans*; atqui nullum in sacris litteris præceptum frequentius denunciatur, quam ut homo per peccatum a Deo aversus, in meliorem se frugem recipiat, anteacta flagitia detestetur, & Deo ad iram provocato bonis operibus satisfaciat: ubique vox illa in utroque testamento resonat: *Convertimini: pœnitentiam agite: facite fructus dignos pœnitentiæ*: ab hoc significando mandato nunquam cessarunt Prophetæ, numquam præcursor Baptista in deserto temperavit, numquam destitit Christus ipse, qui venerat salvum facere quod perierat: hinc merito Tertullianus: (*libr. de Pœnit. c. 4.*) *Bonum est*, inquit, *pœnitere, an non? quid revolvis? Deus præcipit: at enim non præcipit tantum, sed etiam hortatur: invitat præmio, salute; jurans etiam: vivo, dicens, cupit credi sibi: o beatos nos quorum causa Deus jurat! o miserrimos, si nec juranti Domino credimus! quod igitur Deus tantopere commendat, quod etiam humano more sub dejeratione testatur, summa utique gravitate & aggredi & custodire debemus, ut in asseveratione divinæ gratiæ permanentes, in fructu quoque ejus & emolumento proinde perseverare possimus.* Ergo &c.

3. Angeli Dei in cœlis, respectu nostri, non gaudent nisi de bono, virtutis videlicet, opere; atqui scriptura testatur, majus gaudium esse in cœlo coram Angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia; ergo pœnitentia est opus virtutis.

PROBATIO SECUNDA.

Ex eo quod Pœnitentia habeat veri sacrificii rationem.

Altera, nec minus efficax argumentatio inde petitur, quod pænitentia verum Deo sacrificium sit: ut enim libro præcedente dicebamus, sacrificium est, omne opus bonum, quodcumque propter gloriam Dei suscipi potest & fieri: jam vero omne sacrificium, maxime si sit internum & spirituale, est actus virtutis; atqui pœnitentia est sacrificium internum, quo nimirum homo ad se reversus, cor suum avellit a creatura, ut Deo restituat, quidquid supremæ ejus sanctitati contrarium est destruit, concupiscentiam quoad fieri potest

potest expugnat, sibi ipsi moritur, pravis affectibus resistit, dolet denique de peccatis, & ea propter Deum summe amatum detestatur. Ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex ipsa definitione virtutis.

Tertiam denique petimus ex natura ipsa & definitione virtutis: ut enim Philosophi, Theologique consentiunt, virtus est, *habitus in materia difficili electivus secundum rectam rationem, inter duo extrema in mediocritate consistens*. Sed habitus pœnitentiæ est hujusmodi.

1. Inquam, est habitus electivus secundum rectam rationem; recta namque ratio dictat, dolendum esse de peccatis, quatenus Deum offendunt: nam si quod hominem dicto vel facto læseris, hinc te affligi oporteat, nisi omnem humanitatis sensum exueris, maxime si eum offenderis, qui te beneficiis cumularit, seque tibi totum omni genere officiorum devinxerit: quanto æquius ac magis necessarium putare debes, dolere de Deo offenso, a quo quidquid boni habes accepisti, quidquid expectas, es accepturus, quemque offendisse, summum bonum offendisse est?

2. Pænitentia est habitus in materia difficili electivus: nam odisse ac fugere quæ erant corruptæ naturæ jucundissima, quæque depravatos sensus unice delectabant: lata & spatiosa via relicta, intrare per angustam portam, spinis & tribulis undequaque consitam: & denique regnum cœlorum vi rapere: haud mediocrem ista difficultatem objiciunt; atqui hi sunt pænitentiæ proprii genuinique characteres. Ergo &c.

3. Quod pœnitentia in mediocritate consistat, inde patet quod inter duo extrema medium teneat: qui enim agunt vitam flagitiosam, & nihil habent antiquius quam ut pravis cupiditatibus serviant, possunt sic esse affecti, ut vel recordatione criminum delectentur, quales ii sunt de quibus Sapiens: *lætantur*, inquit, (*Prov.* 2, 13) *cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis*; vel ut immoderate & ad desperationem usque, scelerum conscientia crucientur: ut Caino & Judæ contigit, quorum alter, *major est*, inquiebat, (*Gen.* 4, 13) *iniquitas mea, quam ut veniam merear*: alter *pænitentia ductus, laqueo se suspendit* (*Matt.* 27, 5). Atqui pœnitentia utrumque excessum fugiendo, tristitiam quæ est secundum Deum adducit, & ad spem divinæ misericordiæ revocando, mortificat ut vivificet. Ergo &c.

Confirmatur hoc argumentum aliis virtutis definitionibus, quæ communiter in scholis circumferuntur, & axiomatum loco habentur.

Virtus, definiente S. Aug. (*lib.* 2 *de l. arb. c.* 18) est, *bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & qua nemo male utitur*: sive, ut alii loquuntur, *habitus, qui bonum facit habentem, & opus ejus bonum*; atqui ut attendenti patebit, pœnitentiæ Christianæ definitiones istæ, aliæque ejusdem sensus, bene conveniunt. Quis enim negare audeat, bonam esse mentis qualitatem, cum fide, & spe, & timore, & amore Dei nitatur, cujus intuitu perpetrata flagitia detestatur? quis pœnitentiæ bonum opus esse inficietur, unde & Dei placatio, & medicatio animæ, & fructus vitæ æternæ tamquam ex radice consurgunt?

¶ Hæc fere omnia complexus est S. Thomas art. 1, q. 85, 3 p. in Corp. inquiens: *pœnitere est de aliquo a se facto dolere. Dictum est autem supra, quod dolor vel tristitia dupliciter dicitur. Uno modo secundum quod est passio quædam appetitus sensitivi. Et quantum ad hoc Pænitentia non est virtus, sed passio. Alio modo secundum quod consistit in voluntate. Et hoc modo est cum quadam electione: quæ quidem, si sit recta, necesse est, quod sit actus virtutis. Dicitur enim* in 2 Ethic., *quod virtus est habitus electivus secundum rationem rectam. Pertinet autem ad rationem rectam, ut aliquis doleat, de quo dolendum est, & eo modo, & fine, quo dolendum est: quod quidem observatur in pænitentia, de qua loquimur. Nam pænitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione removendi ea. Unde manifestum est quod pænitentia, de qua nunc loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis.* ¶

§. SECUNDUS.

Solvuntur objectiones.

Opponitur in contrarium. Habitus qui peccato nititur, non potest virtutibus accenseri: atqui pænitentia peccato sic nititur, ut ubi peccatum non est, nec pœnitentiæ locus relinquatur. Ergo &c.

℞. Dist. maj. Habitus qui peccato nititur, *tamquam objecto amoris*, non potest in virtutum numero collocari, conc. qui nititur peccato, *tamquam objecto odii*, n. maj. & sic explicata min. n. conseq.

E. ℞. Equidem amare peccatum virtus non est, cum in hoc e contrario vitii natura consistat; sed peccatum commissum detestari propter Deum, eniti pro viribus, ut aboleatur, & Deo offenso congrua satisfactio fiat: in hoc sane nisi virtutem veram agnoscimus, contra-

riam ei impænitentiam & cordis perversionem aliquatenus approbamus. Nam si medicina, quæ corporis ægritudines reparat, in bonis naturalibus computatur, & habetur pro Dei munere; quanto magis pœnitentia virtutis nomine digna erit, quæ morbos animi sanat, & vitam spiritualem per peccatum tinctam restituit? O *pœnitentia*, ait egregie S. Joannes Chrysost. (*hom. de pænit.*), *quæ peccata Deo miserante remittis, & paradisum reseras, contritum sanas, omnem tristitiam exhilaras, vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renovas, fiduciam das, vires reformas, gratiam abundantiorem refundis! omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu custodis, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas: per te, o pœnitentia, David afflictus, factus est Sanctus; per te filius Prodigus paternum amplexum meruit: per te Petrus postquam ter Dominum negavit, indulgentiam recepit: per te, o pœnitentia, Latronem subito Christus ad regnum æternum rapuit, &c.*

Inst. 1. Atqui habitus qui peccato nititur, etiam tamquam objecto odii, non potest virtutibus accenseri. Ergo &c. prob. subs. Virtus omnis propter se expetibilis est; atqui hujusmodi habitus non est propter se expetibilis: nemo enim posset expetere pœnitentiam, quin simul & peccatum desideraret, quod nisi præcesserit, pœnitentiæ non restat locus. Porro hujusmodi desiderium a vera virtute alienissimum esse, quis non videt? Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. dist. maj. Virtus omnis propter se expetibilis est, *vel absolute, vel hypothetice*, conc. *absolute*, n. maj. pariter dist. min. Pœnitentia non est propter se expetibilis, *absolute*, conc. *hypothetice*, n. min. & conseq.

E. R. Pœnitentiam inter & cæteras virtutes discrimen est, quod caritas e. c. Justitia, & aliæ hujus generis, directe bonum respiciant, pœnitentia vero in bonum non tendat, nisi quatenus malum expiat: unde caritas (idemque dicendum de aliis,) est absolute expetibilis, quia se ipsa simpliciter bona est, & necessaria ad bene vivendum. Pœnitentia vero, non secus ac in morbis naturalibus medicina, non nisi ex ægritudinis spiritualis ac peccati hypothesi: si enim homo non peccasset, necessaria futura non erat; quomodo nulla foret medicorum ac medicinæ necessitas, si nulla ægritudine corpus gravaretur. Hinc Tertullianus: *modum pænitendi*, inquit, (*lib. de pœnit. c. 2*) *temperare qui volunt, delinquendi teneant, timendo Deum scilicet*.

Inst. 2. Atqui pœnitentia nulla prorsus ratione est expetibilis. Ergo &c. probat. subseq. Virtus eo ipso quo expetitur, delectationem affert; atqui pœnitentia dolorem indivulsum comitem habet, & pœnitentem tristitia afficit, ut ex ejus definitione liquet; nedum pariat delectationem. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. dist. maj. Virtus eo ipso quo expetitur, delectationem affert, *de suo actu*, conc. *de suo objecto*, subdist. si de iis virtutibus sermo sit, quæ absolute expetibiles sunt, conc. si de ea agatur, quæ hypothetice tantum est expetibilis, n. ma. Similiter dist. min. Pœnitentia dolorem comitem habet atque tristitiam, *de objecto suo*, conc. *de actu suo*, n. min. & conseq.

E. ℟. Licet pœnitentia de suo objecto, peccato nimirum doleat, quod maximum homini malum, Dei scilicet odium, & æternæ damnationis reatum intulit; attamen de actu suo ingens gaudium concipit. Quis enim posset summa lætitia non perfundi, quando iis vacat operibus, quibus scit expiari peccatum, Deum reddi placabilem, & divinæ adoptionis honorem restitui? *pænitentia*, inquit Tertullianus, (*lib. de pœnit. c. 9*) *dum provolvit hominem, magis relevat; cum squalidum facit, magis mundatum reddit; cum accusat, excusat; cum condemnat, absolvit* .... & S. Thomas: (*quæst. unica de spe, art. 1*) *duplex*, ait, *est delectatio, una quidem de objecto, alia vero de ipso actu. Prima autem delectatio non est propria virtutis, quia est aliqua virtus ad quam pertinet dolere de suo objecto, scilicet pœnitentia; sed secunda delectatio, quæ est de actu, est propria virtutis, quia unicuique habenti virtutem est delectabilis operatio, quæ est secundum proprium habitum. Unde etiam pœnitens de dolore gaudet* ..... idemque diserte, more suo explicans S. Aug. in hæc Psalmistæ verba: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris: *nisi*, inquit, (*enarr. in Ps. 126*) *haberet aliquam suavitatem panis iste, nemo illum manducaret: cum quanta suavitate plorat in gemitu qui orat! dulciores sunt lacrymæ orantium, quam gaudia Theatrorum .... dulces sunt & ipsæ lacrymæ, & pro cibo tibi erunt, quia factæ sunt & ipsæ panis die ac nocte, dum dicitur tibi quotidie: ubi est Deus tuus?*

Inst. 3. Idem debet esse judicium de pœnitentia ac de verecundia; atqui verecundia, timor scilicet turpis actus, & confusionis ex eo provenientis, nec virtus est, nec laude dignum quemquam facit. Ergo pariter de pœnitentia sentiendum.

℟. Nego maj. & paritatem. Inter utramque enim discrimen maximum intercedit, in eo positum; quod pœnitentia cum peccati affectu

fectu esse non possit, cum ejus detestationem necessario includat, e contra vero verecundia possit cum affectu peccati consistere, quia non peccatum, sed infamiam & reprehensionem, quæ pœna peccati est, timet. Quo fit ut possit esse cum peccato aut voluntate peccandi, quod pœnitentiæ prorsus repugnat: neque est, quod reponatur, pænitentiam, non secus ac verecundiam, sine pudore non esse: Pudor enim pœnitentiæ comes gloriam & salutem parit, e contra pudor adjunctus peccato, mortem & infamiam: prout a Sp. Sancto dictum est: (*Eccli.* 4, 22) *est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam.*

Inst. 4. Si pœnitentia naturam veræ virtutis haberet, procul dubio in Christo fuisset: absurdum enim est, illi virtutem aliquam denegare, in quo virtutum est plenitudo; atqui in Christo pœnitentia nec fuit, nec esse potuit, quia peccatum numquam expertus est. Ergo &c.

℞. Dist. maj. si pœnitentia esset virtus, *nullam connotans imperfectionem*, in Christo fuisset, conc. *Secus*, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. R. Virtus est in duplici genere: altera nullam in subjecto arguit imperfectionem, qualis est caritas: altera, significat subjectum bono aliquo & perfectione carere: quantum spectat ad virtutes primi generis, impium esset negare excellentissime in Christo fuisse, qui est speciosus forma præ filiis hominum, plenus gratiæ & veritatis, atque adeo virtutum omnium splendore ornatus: quod vero ad virtutes secundi generis attinet, non ideo eas non habuit, quia caruit aliqua perfectione: sed potius, quia non est perfectus qui illas habet: sic enim e. c. fides in Christo esse non potuit, *Quia*, inquit S. Thomas (3 *p. q.* 7, *art.* 3, *in c.*), *a primo instanti suæ conceptionis, plene vidit Deum per essentiam: parique de causa impossibile fuit, in Christo esse spem futuræ beatitudinis, quia a principio suæ conceptionis*, inquit Angelicus Doctor (*ib. art.* 4, *in c.*), *plene habuit fruitionem divinam:* idemque itaque, meliore titulo, dicendum de pœnitentia, quæ est sceleris proprii vindicatio, adeoque magnam imperfectionem in suo subjecto præsupponit.

Inst. 5. Si pœnitentia virtus esset, Philosophos Gentiles non latuisset, eos præsertim qui de moribus copiosissime tractaverunt; atqui Gentiles pœnitentiæ virtutem non noverant: de illa enim Aristoteles, Seneca, Cicero, & alii in virtutibus exponendis diligentissime versati, penitus siluerunt. Ergo &c.

℞. 1. Nego maj. In iis enim quæ pertinent ad justitiam, cultum veri Dei, & vitæ informationem, non Aristotele, aut alio quovis Gentili Philosopho, sed Christo præceptore gloriamur, qui solus direxit pedes nostros in viam pacis. Esto igitur prophanis illis Doctoribus incognita pœnitentia fuerit; non magis hinc sequitur, non esse virtutem, quam humilitatem e. c., vel condonationem injuriarum, excludi virtutum Catalogo, quia Gentiles similiter latuit veræ humilitatis necessitas, & excellentia oblivionis injuriarum.

℞. 2. Transeat major, & n. min. Licet enim specialem in virtutum numero locum pœnitentiæ Gentiles non dederint; illam tamen velut bonam & laudabilem commendarunt. Sic Seneca in Tragædiis: *quem pænitet peccasse*, inquit, *pene est innocens:* eodemque sensu Ovidius de superis ita canit (*lib.* 1 *de ponto*):

Sæpe levant pœnas, ereptaque lumina reddunt,
Cum bene peccati pœnituisse vident.

quorum similia apud Aristotelem, (*lib.* 7 *Ethic.*) aliosque prophanos Scriptores leguntur. Nec mirum: ut enim observat S. Thomas, pœnitentia lege ipsa naturæ præscribitur: *de jure naturali est*, inquit, (3 *p. q.* 84, *art.* 7, *ad* 1) *quod aliquis pæniteat de malis quæ fecit, quantum ad hoc quod doleat ea fecisse, & doloris remedium quærat per aliquem modum, & quod etiam aliqua signa doloris ostendat, sicut & Ninivitæ fecerunt.*

Dices. Quorsum ergo cum pœnitentiæ notitiam habuerint, in virtutum numero non locarunt?

℞. Quominus pœnitentiam commendarent, & cohonestarent virtutis titulo, multa obstitisse.

1. Erat, pœnarum ultro susceptarum impatientia: ab illis enim natura abhorret, quam Gentiles sensuum imperio dediti, ducem in omnibus sequebantur.

2. Erat, generalis naturæ corruptio, quæ in tantum excreverat, ut sibi de rebus turpissimis plauderent, (nedum de agenda pœnitentia cogitarent:) immo & in falsis numinibus, quæ per summam cœcitatem colebant, scelerum quantumvis immanium patronos se habere confiderent.

3. Erat, quia virtutes non pensitabant nisi in ordine ad proprium commodum, & bonum humanum: *pænitentia vero*, inquit S. Thomas, (*in* 4, *dist.* 14, *qu.* 1, *art.* 1) *non est virtus specialis nisi in ordine ad divinam providentiam.*

4. Denique erat ignorantia justificationis & gratiæ: placari enim posse homini Deum interventu pœnitentię; itemque posse hominem peccato corruptum sanari, in pristinam sanctitatem restitui, in spem beatitudinis redintegrari, & divinæ adoptionis in æternum partici-

ticipem fieri: hæc, quia supernaturalia, assequi, in regione umbræ mortis sedentes non poterant: non est itaque mirum quod in tanta caligine, pœnitentiam quam aliquatenus videbant, magno tamen in pretio non haberent.

§. TERTIUS.

Proponuntur & resolvuntur quædam quæstiones.

Supersunt quædam dubia diluenda, quæ videntur aliquantum habere difficultatis.

Q. 1. Utrum pœnitentia sit virtus infusa?

Explicatur quæstio.

Cui quæstioni prinsquam respondeo:

Sciendum 1. Virtutem alterum esse acquisitam, infusam alteram. Acquisita dicitur, quam homo propriis actibus, sæpeque repetito exercitio comparat: quales sunt in morum genere, justitia, temperantia, fortitudo &c. Infusa est, quam gratuito Deus homini confert, independenter a qualibet prævia ejus industria, vel labore, quales sunt virtutes Theologicæ, fides, spes, caritas.

Sciendum 2. Virtutem infusam in duplici quoque esse genere: vel enim est infusa per se & natura sua, quia per actus hominis proprios acquiri ac generari non potest: unde necessarium est, a Deo supernaturaliter infundi, quales sunt quas prædiximus fides, spes, & caritas: vel est infusa per accidens, quia licet per actus naturales possit acquiri; miraculose tamen infunditur: qualis fuit rerum naturalium scientia Adamo collata, & usus linguarum concessus Apostolis.

Hoc posito:

℟. Pœnitentiam esse virtutem per se infusam.

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

Cujus quidem veritatis apertum in sacris litteris testimonium est.

Converte nos Deus salutaris noster, ait Propheta regius, (*Ps.* 84, *v.* 5) *& averte iram tuam a nobis.*

Et Jeremias: (*c.* 31, *v.* 18) *converte me, & convertar, quia tu Dominus Deus meus: postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam.*

Ezechiel, (*cap.* 36, *v.* 26) Deum ita loquentem inducit: *dabo vobis cor novum: & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. . . & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.*

Actus Apost. (*c.* 5, *v.* 31) *hunc* (Jesum) *Principem & Salvatorem exaltavit Deus dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israel, & remissionem peccatorum. . . . .* (*ibid.* 11, 18) *gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.*

Ex his, aliisque similibus sententiis sic argumentor:

Virtutem per se infusam dicimus, quam Deus in nobis, sine nobis principaliter cooperantibus non tamen sine nobis dispositive cooperantibus operatur, ut loquitur S. Thomas 3 parte, qu. 85, art. 5, in corp. atqui habitum pœnitentiæ Deus in nobis operatur, sine nobis quidem principaliter & proprio merito operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per gratiam ejus, ut adductis Scripturarum oraculis significatur. Ergo &c.

Deinde. Ille solus potest homini veram pœnitentiam dare, qui solus potest cor ejus convertere, auferre ab illo cor lapideum, & dare cor carneum; atqui solus Deus & Scriptura præstare hæc beneficia potest. Ergo &c.

PROBATIO SECUNDA.

Ex Ecclesiæ definitionibus.

1. Idipsum adstruit inconcussa traditionis auctoritas: fidei enim dogma est, contra Pelagianorum impietatem sæpe assertum ac vindicatum, neminem propriis meritis posse justificari. Id quod innumeris majorum decretis proclive esset ostendere, nisi esset alterius loci & temporis disquisitio hæc: tantum itaque afferam verba Concilii Trid. quæ satis in præsenti futura sunt: *si quis dixerit*, inquit, (*Sect.* 6, *Can.* 1) *hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiunt, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo: anathema sit. . . .* (*ib. Can.* 3) *si dixerit, sine præveniente Sp. Sancti inspiratione atque adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit.*

Inde sic efformatur argumentum:

Si pœnitentia in quantum vera virtus est, propriis hominis actibus acquireretur, posset homo ex propriis meritis justificari: actibus enim veræ pœnitentiæ gratiam & peccatorum remissionem, atque adeo justitiam esse conjunctam ex divino testimonio certum est; atqui hominem posse justificari propriis meritis, dogma-

ma est fidei e diametro contrarium, qua credimus neminem nisi in Christo, & per Christum posse justitiam adispici: *gratia estis salvati per fidem*, inquit Apostolus, (*Ephes.* 2, 8) *& hoc non ex vobis, donum enim Dei est, non ex operibus, ut ne quis glorietur*: & alio in loco: (*Tit.* 3, 5) *non ex operibus, justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*. . . . . . item in Ep. ad Rom. c. 3, v. 24, & seqq. *justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum: in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore: ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi*: quorum similia in novo ac veteri testamento passim occurrunt. Hinc præter cæteros, quos Pelagius ejurare compulsus est, ab ipso est postulatum ut fateretur, *secundum gratiam & misericordiam Dei, veniam pœnitentibus dari, non secundum meritum eorum*, ut habetur in Epistola Aurelii Carthaginensis de erroribus & condemnatione Pelagii. Ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex Theologica ratione.

3. Probatur eadem veritas Theologicis argumentis, quæ natura ipsa pœnitentiæ suggerit.

1. Est. Virtus hæc necessario exigit a Deo infundi, quæ finem & effectum habet supernaturalem: quæ enim supra naturam, in ordine gratiæ sunt, non potest sibimet homo per vires ingenitas dare; atqui pœnitentia ad finem supernaturalem dirigitur, reparationem scilicet peccati, quatenus est offensa Dei, & ejus amicitiæ restitutionem. Unde sequitur, quod effectum pariter habeat supernaturalem, nempe reparationem juris divini, veniæ consecutionem, reditum cum Deo in gratiam, & peccatoris conversionem. Ergo &c.

2. Ad virtutem pœnitentiæ pervenire peccator non potest, nisi in illo præcesserit motus fidei, spei, timoris, & caritatis; atqui hos motus, cum sint supernaturales, ciere homo non potest, nisi gratia accesserit. Ergo nec pœnitentiam comparare.

3. Eatenus habetur virtus pœnitentiæ, quatenus peccatum displicet, & delectat justitia: tanto autem magis ista delectat, quanto ardentius diligitur Deus, summum & incommutabile bonum; atqui Deus super omnia diligi virtute naturæ non potest: *caritas enim Dei*, inquit Apostolus, (*Rom.* 5, 5) *diffusa est in cordibus nostris per Sp. Sanctum qui datus est nobis*: deinde, *plenitudo legis dilectio est*, ait idem Apostolus: (*ib.* 13, 10) si igitur possit homo naturæ viribus amare Deum super omnia, poterit & marte proprio legem universam implere. Quod si concesserimus, erit & alterum concedendum; sine gratia obtineri posse salutem & vitam æternam, quæ præmium est, legis observatoribus reservatum, prout est a Christo dictum: (*Matth.* 19, 17) *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Porro doctrina hæc tota Pelagiana est, & mysterium Christi Redemptoris funditus subvertit: fatendum ergo pœnitentiam naturæ viribus parari non posse, adeoque esse virtutem per se infusam.

4. Et ultimum est: si posset homo naturæ viribus vere pœnitens fieri, posset se ipsum ex se ipso facere bonum: bonus enim ac justus est, quem veraciter pœnitet; atque impium est dicere, posse hominem se ipsum facere bonum. Inde enim sequeretur, inutilem homini esse gratiam Christi, inutilem medicum, inutilem Salvatorem ac Redemptorem: atque adeo frustra Christum novi Testamenti conditorem, veritatem & gratiam attulisse: ad quid enim Christo opus haberet, qui foret sibimet auctor sanctitatis, & ad cumulum justitiæ proprio conatu proveheretur? fatendum ergo non posse hominem suis viribus virtutem pœnitentiæ generare: *homo*, ait S. Aug. (*Enchirid. c.* 30) *se ipsum vulneravit, indiget medico: se ipsum perdidit, indiget Salvatore: se ipsum vendidit, indiget Redemptore: se ipsum occidit, indiget vivificante*.

Objectio.

Dices. Contraria videtur sententia hæc Spiritui Sancto sic loquenti: (*Zach.* 1, 3) *convertimi ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos*. Prius ergo est, hominem converti ad Deum, quam Deum converti ad hominem: adeoque pœnitentia non est virtus infusa, sed acquisita & naturalis.

℞. Nego ant. & explico sensum Scripturæ, *convertimini ad me, & convertar ad vos*, & hoc ideo dictum est, ut homo suæ libertatis admoneretur, qua potest Dei inspirationem abjicere, conc. ideo, quia sine gratia Dei movere se ad veram justitiam potest, & vere pœnitens fieri, nego. Sic respondet Concilium Œcumenicum Trid. *declarat S. Synodus*, inquit, (*Sess.* 6, *cap.* 5) *ipsius justificationis exordium in adultis, a Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocatur; ut qui per peccata a Deo*

a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando disponantur: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere potest; neque tamen sine gratia Dei, movere se ad justitiam coram illo, libera sua voluntate possit: unde in sacris litteris cum dicitur: convertimini ad me, & ego convertar ad vos, *libertatis nostræ admonemur: cum respondemus*: converte ad nos, Domine, ad te, & convertemur, *Dei nos gratia perveniri confitemur*.

Q. 2. Utrum pœnitentia sit virtus specialis.

Explicatur sensus quæstionis.

Virtus specialis dicitur, quæ peculiari & determinata natura constat, propium videlicet habet objectum, actum, & finem, quibus tum in se ipsa constituitur, tum a qualibet altera secernitur. Hujusmodi sunt, fortitudo, temperantia &c. quæritur ergo utrum hac ratione pœnitentia virtus dici debeat?

Prorsus negarunt veteres quidam scholastici, quibus persuasum erat, pœnitentiam nihil aliud esse, quam conditionem quandam generalem, omnibus & singulis virtutibus transcendentaliter, ut loquebantur, adjunctam. Ita enim, inquiebant, pertinet pœnitentia ad omnem & quamlibet virtutem, sicut iniquitates ad omne peccatum, & justitia communiter dicta ad omnem virtutem; atqui iniquitas vitium est, in peccato inclusum, pariterque justitia generaliter dicta, conditio est cuilibet virtuti connexa. Ergo similiter pœnitentia, non ipsa in se separatim ab aliis virtus est, sed conditio quædam generalis cuilibet virtuti conjuncta: ita ut ad temperantiam pertineat pœnitentia de peccato intemperantiæ; ad prudentiam spectet peccatum imprudentiæ castigare, & sic de cæteris. Jam

Respondeo cum S. Thoma (3 *p. q.* 85, *art.* 2) pœnitentiam esse virtutem specialem.

¶ Inquit enim S. Præceptor: *Species habituum distinguuntur secundum species actuum: & ideo, ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem, quod in pœnitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere, quod pœnitentia est specialis virtus.* Quæ ratio S. Doctoris ita explicari amplius, & confirmari potest. ¶

Specialis enim virtus est, quæ proprio objecto, actu, & fine constituitur, quæque habet specialem superandam difficultatem; atqui hujusmodi est pœnitentia.

1. Enim objectum ejus est, offensa Dei, quatenus potest satisfactione congrua expiari; atqui hoc ita ejus est proprium, ut nulli alteri virtuti conveniat: quod ultro fatebitur, quisquis virtutum naturam propius inspexerit, nec volet in terminis ludere.

2. Actus pœnitentiæ, ait Angelicus Doctor loco laudato, *est operari ad destructionem peccati, in quantum est Dei offensa*: quod est solius pœnitentiæ proprium. Nam aliæ virtutes in bonum directe tendunt: Nullius ergo peccati destructionem de se important.

3. Finis pœnitentiæ est, reconciliari Deo, sive converti ad Deum; atqui aliæ virtutes cum nullum ante se peccatum necessario supponant, hujusmodi finem respicere nequeunt. Ergo &c.

4. Fugere quæ carni & sanguini grata sunt, frangere impetus exæstuantium cupiditatum, macerare carnem, pro male acta vita sacrificium cordis contribulati Deo offerre, specialem hæc sane habent difficultatem; atqui pœnitentiæ hoc opus, hic labor est. Ergo id omne habet quod requiritur, pleneque sufficit, ut virtus aliqua specialis dicatur.

Objectio.

Oppones. Illa virtus non est specialis, sed generalis, ad cujus actum virtutes pene omnes concurrunt: atqui ad actum pœnitentiæ virtutes quasi omnes contribuunt; scilicet caritas, fides, spes, timor, humilitas, patientia, fortitudo, prudentia, temperantia &c. quod negare nemo potest. Ergo generalis virtus est pœnitentia.

℟. Dist. maj. Illa virtus est generalis, ad cujus actum omnes virtutes concurrunt, *elicitive*, conc. *imperative*, aut *directive*, n. maj. dist. pariter min. Ad actum pœnitentiæ virtutes fere omnes concurrunt, *imperando*, aut *dirigendo*, conc. *eliciendo*, idest, actum ipsum producendo, n. min. & conseq.

E. R. Duobus modis potest actus aliquis ab una virtute pendere, *elicitive*, ita ut ab illa producatur, & proprium ejus opus sit; & *imperative*, aut *directive*, quando nimirum ab illa imperatur aut regulatur, sed ab altera executioni mandatur: res exemplo fiet planior. Quando jejunat aliquis propter Deum, virtus imperans caritas est, ad quam pertinet omne bonum referre ad Deum, eademque jejunii moderandi regula est: virtus exequens, est temperantia: hoc posito, fateor ad actum pœniten-

nitentiæ virtutes multas imperando ac dirigendo concurrere: non enim potest vera pœnitentia reputari, nisi quæ habet virtutum omnium comitatum: neque hoc ejus sic proprium est, quin aliis virtutibus pariter conveniat. Ut enim loquitur S. Ambrosius (*comment. in c. 6 Luc.*) *connexæ sibi sunt*, *concatenatæque virtutes*: *ita ut qui unam habeat*, *plures habere videatur*: cui consentiens Gregorius M. *una virtus*, inquit, (*lib.* 21 *mor.*) *sine aliis*, *aut omnino nulla*, *aut admodum imperfecta*. Hinc communis Theologorum cum S. Thoma sententia est, virtutes in statu perfecto esse connexas, sed nego omnes ad actum pœnitentiæ elicitive concurrere. Habet enim illa, ut prædiximus, actum sibi proprium, quemque sola sine aliorum subsidio exerit, peccati scilicet, quatenus Dei offensa est, per satisfactionem expiabilis detestationem; quemque efformare non magis ad reliquas virtutes pertinet, quam justitia; exempli causa, ad actum temperantiæ eliciendum, suum officium ingerit.

Dices: nulla virtus specialis pugnat cum omni vitio & peccato; atqui pœnitentia contra omne peccatum armatur. Non est ergo virtus specialis, sed generalis.

℞. 1. Nego maj. generaliter intellectam: caritas enim virtus specialis est; & pugnat tamen cum omni peccato mortali, quatenus divinæ bonitati contrarium est, & Dei amicitiam solvit, ab eoque aufert finis ultimi rationem, ut in creaturam perturbato ordine transferat.

℞. 2. Dist. maj. Nulla virtus specialis pugnat cum omni peccato, *sub omni motivo quo cæteris virtutibus opponitur*, conc. *motivo sibi proprio*, n. maj. dist. pariter min. Pœnitentia pugnat cum omni peccato, *motivo quodam speciali*, conc. pugnat *sub omni motivo*, *quo peccatum cæteris virtutibus contrarium est*, n. min. & conseq.

E. R. Habituum diversitas, ac distinctio ab objectis, ut loquimur in schola, materialibus non dependet; cum universis habitibus possit una eademque proposita esse materia; sed ab objectis formalibus. Jam vero etiamsi pœnitentia cum omni peccato pugnando, virtutum omnium aliquatenus attingat materiam; specialis nihilosecius virtus est, quia motivum habet pugnandi cum peccato ab aliis virtutibus longe diversum. Nam

1. Cæteræ virtutes ideo cum peccato pugnant, quia præcise propriæ honestati contrarium est: sic ebrietas, temperantiæ; adulterium, castitatis; furtum, honestatem justitiæ tollit: e contra vero ideo pœnitentia cum omni peccato confligit, quia injuria est supremo Domino ac legislatori illata, adeoque pro virili resarcienda.

2. Aliæ virtutes in tantum cum peccato pugnant, in quantum vitant illud & fugiunt: pœnitentia vero, in quantum delet & expiat: quæ duo longe diversa sunt: *quælibet virtus specialis*, ait S. Thomas, (3 *p. q.* 85, *art.* 2, *ad* 2) *formaliter expellit habitum vitii oppositi*; *sicut albedo expellit nigredinem ab eodem subjecto*; *sed pœnitentia expellit omne peccatum effective*, *in quantum operatur ad destructionem peccati*, *prout est remissibile ex divina gratia*, *homine cooperante*. *Unde non sequitur*, *quod sit virtus generalis*: ad hæc qui attenderit, facile quædam alia argumenta solvet, plus habentia subtilitatis, quam veritatis.

Q. 3. Ad quodnam virtutis genus pœnitentia revocetur?

Explicatur quæstio.

Nulla virtus specialis est, quæ non in aliquo genere virtutis contineatur. Cum itaque virtutum quatuor genera numerentur, prudentia, justitia, temperantia, & fortitudo, unde reliquæ tamquam rivuli a fonte, & rami a radice dependet; merito quæritur, in quo genere constitui debeat pœnitentia?

℞. Pœnitentiam, si spectetur, quatenus vindicta quædam est peccatorum, ad virtutem justitiæ, quatenus vero dolor est, de Deo offenso conceptus, ad caritatis virtutem Theologicam revocari.

Probatur responsio per partes.

1. Dicimus pœnitentiam, prout est ultio delictorum, in genere virtutis justitiæ tamquam in propria sede locari. justitia enim, constans est & perpetua voluntas, jus suum unicuique reddendi: atqui pœnitentiæ primum officium est, jus divinum peccato læsum pro virili restituere, peccatorem ad satisfactionis opera compellendo, & in illum pro atrocitate criminis judicium exercendo: hinc ab Apostolo dictum: (1 *Cor.* 11, 31 & *seq.*) *quod si nos metipsos dijudicaremus*, *non utique judicaremur*: *dum judicamur autem*, *a Domino corripimur*, *ut non cum hoc mundo damnemur*: eodemque sensu Tertullianus: (*lib. de pœnit. c.* 2). *cum*, inquit, *judex Deus justitiæ exigendæ tuendæque præsideat*.... *dubitandum est*, *sicut in universis actibus nostris*, *ita in pœnitentiæ quoque causa*, *justitiam Deo præstandam esse*?.... & auctor libri de vera & falsa pœnitentia c.17, *pœnitentia*, inquit, *est quædam dolentis vindicta*, *puniens in se quod dolet commisisse*.

Minime tamen putandum, ad virtutem justitiæ

stitiæ, modo pleno atque perfecto pœnitentiam pertinere. Ut enim adæquata justitia foret, deberet omnes ejus partes implere, adeoque Deo offenso jus suum ex integro restituere; atqui quantumvis acerba sit & rigorosa; numquam tamen eo pertinget, ut ex integro jus divinum resarciat. Nam si, ut in confesso est apud omnes, non potest homo quantumlibet innocens, per opera Religionis majestatem supremi numinis ex æquo recognoscere, propter summam a Deo distantiam: quanto minus poterit peccator duplici obstaculo impeditus, inæqualitatis, & offensæ, per pœnitentiam plene & ex integro reparare illatas Deo injurias? *dupliciter*, inquit S. Thomas (3 *p. quæ.* 85, *art.* 3, *in cor.*), *justum dicitur, scilicet simpliciter, & secundum quid. Simpliciter quidem justum est inter æquales, eo quod justitia est æqualitas quædam . . . justum autem secundum quid dicitur, quod est inter illos, quorum unus est sub potestate alterius: sicut servus sub Domino; filius sub Patre: & tale justum consideratur in pœnitentia.*

2. Dicimus pęnitentiam, si spectetur præcise quatenus dolor est de Deo offenso, reduci ad virtutem Theologicam caritatis.

Ad eamdem enim virtutem pertinet, gaudere de bonis, & de malis anteactis dolere; atqui caritas qua Deum propter se diligimus, est sufficiens causa gaudendi de officiis virtutum ante impletis. Ergo a pari causa sufficiens est dolendi de peccatis præteritis: adeoque pęnitentia quatenus est dolor offensæ ad virtutem caritatis reducitur: *dicendum*, inquit S. Thomas, (*Ibid. art.* 2, *ad* 1) *quod a caritate derivatur aliquis actus dupliciter: uno modo sicut ab ea elicitus: & talis actus non requirit aliam virtutem præter caritatem: sicut diligere bonum, gaudere de eo, & tristari de opposito . . . si ergo in actu pœnitentis consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc immediate ad caritatem pertinet, sicut & gaudere de bonis præteritis.*

Vide Dominicum Soto, in 4 sentent. dist. 14, quæst. 2, ar. 2, & 3.

Q. Ultimo, pęnitentiæ quodnam sit objectum, quis finis?

℞. 1. Objectum ejus materiale esse peccatum, quatenus offensa Dei est, per satisfactionem expiabilis. Illud enim est objectum materiale virtutis, circa quod ipsa versatur; atqui pęnitentia versatur circa peccatum, quatenus offensa Dei est, expiabilis per satisfactionem. Ergo &c.

℞. 2. Objectum formale esse, jus divinum læsum per offensam, & satisfactione reparabile: objectum enim formale dicimus, propter quod objectum materiale attingitur; atqui pęnitentia ideo circa peccatum versatur: ut offensam Deo illatam expiet satisfaciendo, jusque illius resarciat, debitum ei honorem restituendo. Ergo &c.

℞. 3. Deum ipsum finem esse proximum pęnitentiæ: is enim finis est proximus, ad quem actus ejus immediate refertur; atqui omnis actus veræ pęnitentiæ proxime ad Deum & immediate ordinatur: cum non alia de causa vindictam de peccatis sumat, nisi ut irato Deo faciat satis, eumque homini placabilem reddat. Hinc doctrina S. Thomæ est (*in* 4, *dist.* 14, *q.* 1, *art.* 1) virtutes posse spectari in ordine triplici. Quædam enim Deum pro objecto & fine habent: & in hoc genere sunt fides, spes, & caritas. Quarumdam Deus nec est objectum nec proximus finis, quales sunt virtutes pure morales: quædam denique velut in medio positæ, respiciunt Deum tamquam finem proximum: & in hoc genere pœnitentia locum habet, per quam peccata propter Deum detestamur & expiamus.

Sequitur

CAPUT TERTIUM.

Utrum & quomodo pœnitentia sit homini necessaria?

1. NEcessarium generatim illud omne dicitur, quod cum altero ita est conjunctum, ut si unum defuerit, alterum deesse consequens sit: sic homini ita necessarium est, ex corpore & anima coalescere, ut ubi hæc duo adunata non fuerint, neque homo reperiri possit. Similiter respiratio sic ad vivendum requiritur, ut si cui interclusus halitus fuerit, & vitam abrumpi necesse sit; atque ut eamdem rem multis exemplis aperiamus, ita homini ægrotanti necessaria est medicina, quam vel ars, vel natura suppeditat, ut a morbo relevari non valeat, quem neque natura juverit, nec medicorum industria.

Quæritur in præsenti, utrum homo in peccatum lapsus necessario indigeat pœnitentia, ut pristinum statum recuperet; quam quæstionem antequam resolvamus,

2. Est advertendum, quod sæpe alibi monuimus, necessarium aliquid ideo esse, vel quia est medium ad finem conducens, vel præcise quia præceptum.

Necessarium 1 modo dicitur, sine quo finis haberi nequit: quomodo ad salutem necessarius est baptismus: necessarium 2 modo dicitur, de quo equidem præceptum extat, sine quo tamen absolute finis potest obtineri: si nimirum in his homo circumstantiis reperiatur, ut vel præceptum audire non possit, vel obtem-

temperare non valeat: quomodo confirmatio, extrema unctio, & Eucharistiæ sumptio actualis, dicuntur homini Christiano necessariæ ad salutem.

3. Notandum, necessarium necessitate medii duobus posse modis intelligi: aliud enim medium est, intrinsecam & essentialem habens cum fine connexionem; quomodo respiratio ad vitam naturalem, & gratia necessaria est ad salutem: aliud est, non sua quidem natura, sed institutione divina ad finem ordinatum: qualis est baptismi cum æterna salute connexio. Si enim Christus voluisset, poterat alio quovis modo spiritualiter homo renasci.

Hincque manifestum est, inter hæc duo hoc discriminis interesse, quod quæ primi generis sunt, in quolibet statu & omnimode ad finem necessaria sint: quæ vero secundi, pro eo tantum statu ad finem ordinentur, in quo constat esse divinitus instituta. Sic enim respirationis ad vitam, & gratiæ ad salutem necessitas omnem humanæ vitæ statum respicit ac complectitur; quia nemini unquam contigit, nec contingere potuit, vel intercluso halitu vivere, vel gratia denegata salvari: e contra baptismi necessitas ad regni cœlestis consecutionem, in sola lege Evangelica locum habet.

His positis

Q. 1. Utrum homini lapso pœnitentia necessaria sit necessitate præcepti?

2. Utrum etiam necessitate medii?

3. Utrum necessitate medii, non divina tantum institutione, sed ex natura sua, ad peccatorum veniam & salutem ordinati? quas difficultates ut resolvamus, sit

§. PRIMUS.

Ostenditur pœnitentiam homini lapso, necessitate præcepti divini esse necessariam.

PROBATIO PRIMA.

Ex Oraculis veteris Testamenti.

Expressissima hujus veritatis sunt in veteri lege testimonia, quæ si quis vellet diligenter colligere, paginas multas impleret: nihil enim in prophetis & psalmis occurrit frequentius, quam peccata debere secundum legem divinam congrua pœnitentia expiari, eaque sola conditione reconciliationem cum Deo obtineri posse; sic enim, ut alia taceamus, vox illa Jonæ Prophetæ: (*Jonæ* 3, 4) *adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, celeberrima præcepti pœnitendi promulgatio fuit. *Quadragenarius enim numerus*, ait S. Hieronymus hunc locum interpretans, *convenit peccatoribus, & jejunio, & orationi, & sacco, & lacrymis & perseverantiæ deprecandi: propter quod & Moyses quadraginta diebus jejunavit in monte Sina: & Elias fugiens Jesabel, 40 dies jejunasse describitur*: (3 *Reg.* 19, 8) *ipse quoque Dominus verus Jonas missus ad prædicationem mundi, jejunavit 40 dies, & hæreditatem nobis jejunii dereliquit*. Ejusdemque significationis sunt verba Psalmorum, & Ezechielis, & aliorum tum ante adducta, tum sæpius afferenda.

PROBATIO SECUNDA.

Ex novo Testamento.

Concinit Evangelium multis locis: ut enim ex prædictis constat, Jo. Baptista Christi præcursor, a præcepto pœnitentiæ duxit suæ prædicationis exordium: *pœnitentiam agite*, ajebat Christum in deserto prænuncians, (*Matth.* 3, 2) *appropinquavit enim regnum cœlorum: parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*: idemque paulo post Christus egit, nihil quidquam magis suadens & imperans, quam pœnitentiam innocentiæ reparatricem, & Dei cum hominibus reconciliatricem: *exinde*, ait S. Evangelista, (*Matth.* 4, 17) *cœpit Jesus prædicare & dicere: pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*. Nimirum id quod a Joanne dictum fuerat approbans, ejusque prædicationem confirmans, & ostendens eum tamquam legatum, non suo, sed Dei nomine esse locutum: posthac vero Apostoli, quos Christus ita misit, sicut missus ipse a Patre fuerat, nihil habuerunt antiquius, quam ut præceptum pœnitentiæ Judæis & Gentilibus intimarent: nec quemquam Evangelii voluerunt esse consortem, quem non constaret salutari pœnitentia ad percipiendam gratiam præparatum; sic enim Petrus omnium nomine: (*Act.* 2, 38) *pœnitentiam agite*, inquit, *& baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum* .... (*ib.* 3, 19) *pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra* ... (*Ib.* 5, 30) *Deus Patrum nostrorum suscitavit Jesum* ... *ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum*... (*Ib.* 8, 22) *pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*: quorum similia tum in hoc ipso libro, tum in Epistolis Canonicis ubique leguntur.

PROBATIO TERTIA.

Ex Sanctis Patribus.

Suffragatur SS. Patrum doctrina perpetua, quos constat legem pœnitentiæ præcipuis Evangelii mandatis annumerasse: adeo ut nec unum inter mille reperias, qui de præcepto illo tacuerit: sic præter cæteros Tertullianus: (*de pœnit. c. 4*) *de bono pœnitentiæ enumerando*, inquit, *diffusa & magno eloquio committenda materia est. Nos vero pro nostris angustiis unum inculcamus, bonum atque optimum esse quod Deus præcipit: audaciam existimo, de bono præcepti divini disputare: neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus; sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequii prior est majestas divinæ potestatis: prior est auctoritas imperantis, quam utilitas servientis. Bonum est pœnitere, an non? quid revolvis? Deus præcipit.*

PROBATIO QUARTA.

Ex Theologica ratione.

Ratio denique ipsa ejusdem præcepti veritatem ac necessitatem inculcat. Nam

1. Nulla virtus est, quam Deus homini non imperet; nec enim sana ratio patitur, ut putemus aliquam ab eo neglectam, qui præcipit omne bonum, quique amat appellari Deus virtutum; atqui ut paulo ante dicebamus, pœnitentia virtus est. Ergo habet locum in divinis mandatis.

2. Virtus illa est ex præcepto necessaria, quam quisquis contemnit, reus inobedientiæ fit: nemo enim potest esse inobediens nisi mandato; atqui qui renuit peccatum perpetratum pœnitentia expiare, rebellionis contra Deum convincitur: *quia vocavi, & renuistis*, ait ipse, (*Prov. 1, 24*) *extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit . . . .* & in Isaia: (*65, 12*) *omnes in cæde corruetis, pro eo quod vocavi, & non respondistis; locutus sum, & non audistis; & faciebatis malum in oculis meis: & quæ nolui elegistis.* Nec minus expresse in Apocalypsi: (*c. 3, v. 19*) *ego*, inquit, *quos amo, arguo & castigo. Æmulare ergo & pœnitentiam age: ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipse mecum.* Ergo &c.

3. Quisquis injuria proximum læsit, tenetur naturali præcepto damnum ei illatum resarcire. Ergo multo magis qui Deo injuriam intulit, eadem obligatur lege: quicumque autem peccatum mortale committit, maximam Deo injuriam irrogat, tenetur ergo vindictam de se per pœnitentiam sumere.

4. Tenetur quisque vitæ temporalis curam habere, morbis scilicet, & similibus detrimentis, quoad potest fieri, occurrendo: quod si neglexerit, infringere præceptum naturæ convincitur, ergo titulo potiori tenetur animæ & spiritualis salutis curam habere; cui certe non potest, si semel peccato se contaminaverit, nisi per pœnitentiam providere: in hac itaque veritate, quoniam notissima est, adstruenda ac confirmanda non putamus diutius immorandum. Jam ut pergamus ad alia, sit

§. SECUNDUS.

Ostenditur pœnitentiam homini lapso esse necessitate medii necessariam.

PROBATIO PRIMA.

Ex auctoritate Scripturæ.

1. Assertionem hanc continent & declarant testimonia scripturarum quibus pœnitentiæ præceptum denuntiatur.

Apud Jeremiam, (*18, 8, & 10*) *si pœnitentiam*, inquit Deus, *egerit gens illa a malo suo . . . . agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei . . . si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam: pœnitentiam agam super bono quod locutus sum, ut facerem ei.*

Et in Ezechiele: (*18, 21, & seq.*) *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor: in justitia sua quam operatus est, vivet: numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat . . . cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam, ipse animam suam vivificabit.*

In Evangelio; (*Matth. 4, 17*) *pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum . . .* (*Luc. 13, 5*) *si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.*

Actuum 3, 19. *pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.*

In Ep. ad Rom. (*Rom. 2, 4 & seq.*) *ignoras*

ras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei &c.

In Apocalypsi: (*cap.* 2, *v.* 5, 16, 21, 22) *memor esto unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac, sin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris . . . . pœnitentiam age, si quominus veniam tibi cito, & pugnabo . . . . in gladio oris mei . . . . dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret: & non vult pœnitere a fornicatione sua: ecce mittam eam in lectum: & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint.*

Ex illis & similibus argumentum sic informatur: necessarium necessitate medii dicitur, quod ita cum fine conjunctum est, ut sine eo finis prorsus obtineri non valeat; atqui constat ex auctoritate Scripturæ, finem hominis, æternam scilicet salutem, ita pendere a pœnitentia, ut nisi ista præcesserit, haberi illa non possit, nec enim alius potest his oraculis sensus aptari: " Si peccator non audierit vocem ,, meam; pœnitentiam agam super bono quod ,, locutus sum, ut facerem ei . . . si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis . . . secundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die ,, iræ &c." Ergo &c.

PROBATIO SECUNDA.

Ex Sanctis Patribus.

Sanctorum auctoritates hoc loco congerere, idem est ac in re minime dubia, testes non necessarios advocare: quod enim natura ipsa & ratio suggerit, videtur superfluum auctoritate adstruere. Itaque satis superque fuerit, e multis unum aut alterum allegare.

Tertullianus, (*lib. de pænit. c.* 4) " omnibus delictis, *inquit* . . . . veniam per pœnitentiam spopondit Deus . . . . eam tu peccator . . . . ita invade, ita amplexare, ut ,, naufragus alicujus tabulæ fidem: hæc te peccatorum fluctibus mersum perlevabit, & in ,, portum divinæ clementiæ protelabit (perducet:) rape occasionem inopinatæ felicitatis . . . . (*ibid. c.* 7) pervicacissimus hostis ,, diabolus numquam malitiæ suæ otium facit.... ,, non scandalis, non tentationibus deficit: hæc ,, igitur venena ejus providens Deus, clausa ,, licet ignoscentiæ janua, & intinctionis (baptismi) sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere: collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus pateat ".

S. Ambrosius: (*Epist. ad Virgin. lapsam*) *sed tu*, inquit lapsæ Virgini, *quæ jam ingressa es agonem pœnitentiæ, insiste misera fortiter, inhære tamquam naufragus tabulæ.*

S. Hieronymus: *pœnitentia*, ait, (*in cap.* 3 *Isai.*) *quasi secunda post naufragium miseris tabula.*

S. Aug. *nec quemquam putes*, inquit, (*Epist.* 93, *n.* 53) *ab errore ad veritatem, vel a quocumque sive magno sive parvo peccato, ad correctionem sine pœnitentia posse transire.*

Inde sic informatur argumentum; quod naufrago tabula, idem ex patribus peccatori pœnitentia est; atqui homini, qui facto naufragio in mare demersus est, & longe a littore procellis jactatur, tabula subsidiaria quæ forte occurrerit, ad enatandum & vitam servandam medium necessarium est: ergo de pœnitentia pariter dicendum, quod sit medium absolute necessarium ad salutem.

Deinde ex Tertulliano idem præstat pœnitentia lapsis post baptismum, quod intinctio iis qui primo convertuntur ad Christum; atqui intinctio aquæ cuilibet homini necessaria est necessitate medii ad salutem, ut constat ex verbis Christi: (*Joan.* 3, 5) *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spir. Sancto, non potest introire in regnum Dei*: ergo non minus est necessaria pœnitentia.

Præterea, si pœnitentia tantum foret necessaria ex præcepto, posset aliquando casus occurrere, quo peccator sine illa salvaretur, & ad correctionem veniret: pari ratione qua potest homo, sine actuali Eucharistiæ sumptione, & sine confirmationis, & unctionis extremæ perceptione salvari, quia hæc Sacramenta non medii, sed præcepti habent necessitatem: atqui ex S. Aug. nemo potest ab errore ad veritatem, vel a quocumque sive magno sive parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia transire: ergo non solum quia est præcepta exigitur, sed etiam quia medium est necessarium ad salutem.

PROBATIO TERTIA.

Ex Theologica ratione.

Idemque, ut prædiximus, sana ratio persuadet.

Sic enim se habet pœnitentia ad reconciliationem cum Deo, & ad animæ salutem, sicut medicina ad morbum corporalem, ut testatur Christus in Evangelio: " non est opus valentibus medicus, *inquit*, (*Matt.* 9, 12) sed ,, male habentibus . . . non enim veni vocare ,, justos, sed peccatores . . . . (*Luc.* 5, 31) ,, non egent qui sani sunt medico, sed qui

„ male habent: non veni vocare justos, sed „ peccatores ad pœnitentiam; " atqui medicina ad morbum corporalem sanandum est necessitate medii necessaria; medicina, inquam, sive quam natura ipsa suppeditat, sive quæ a medici arte dependet: ergo a pari pœnitentia &c.

Deinde: idem debet esse judicium de pœnitentia, ac de peccatoris conversione, nam vera pœnitentia, ipsissima cordis ad Deum conversio est, atqui conversio medium est, ad salutem omnino necessarium: impossibile enim est, hominem in creatura defixum, & a creatore aversum salvari: alioquin inquinatum aliquid intrare posset in regnum Cœlorum; ergo &c.

§. TERTIUS.

Ostenditur pœnitentiam non ex divina tantum institutione, sed ex sua natura habere, quod sit medium necessarium ad salutem.

Medium rei obtinendæ, ut in capitis limine admonuimus, aliud cum fine ex ipsa natura conjunctum est: aliud ad finem solo Dei arbitrio comparatur: itaque quod primo modo medium est, non ideo censetur necessarium, quia præceptum; sed idcirco e contra est imperatum, quia antea necessarium erat; at vero medium secundi generis non aliter est necessarium, nisi quia mandatum divinum habet: sic enim e. c. baptismus, non ex natura sua habet, quod sit homini spiritualis regenerationis principium, sed ex Christi instituto: poterat enim, volente Christo, sine baptismo renasci. Jam, ut ad rem veniamus, contendimus in primo mediorum genere pœnitentiam esse reponendam: quod sic ostendimus.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex Concilio Tridentino.

1. Auctoritate Concilii Trid. " fuit pœnitentia, *inquit*, (*Sess.* 14, *c.* 1) universis „ hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & „ justitiam assequendam necessaria, illis etiam „ qui baptismi Sacramento ablui petivissent; „ ut perversitate abjecta & emendata, tantam „ Dei offensionem cum peccati odio, & pio „ animi dolore detestarentur . . . (*Ibid. c.* 4) „ fuit quovis tempore ad impetrandam veniam „ peccatorum hic contritionis (pœnitentiæ scilicet) motus necessarius: " hinc sic argumentor:

Illud habet, ex natura sua quod sit medium ad salutem necessarium, quod observari omni tempore a peccatoribus debuit, etiam antequam lex positiva vulgata esset, atqui pœnitentiam a peccatoribus fieri oportuit omni tempore, minimeque expectandum fuit, donec de hac re lex aliqua positiva ferretur, hinc scite Tertullianus observat, (*de pœn. c.* 2) pœnitentiam ab ipso mundi exordio divinitus dedicatam. „ Deus, *inquit*, post tot ac tanta delicta hu„ manæ temeritatis, a principe generis Adam „ auspicata, post condemnatum hominem, post „ ejectum paradiso mortique subjectum, cum „ rursus ad suam misericordiam maturavisset: „ jam inde in semetipso pœnitentiam dedica„ vit: " ergo &c.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex Sancto Thoma.

Accedit S. Thomæ auctoritas: " Sacramen„ ti pœnitentiæ materia, *inquit*, (3 *p. q.* 84, „ *art.* 7, *in c.*) præexistit a natura: ex natu„ rali enim ratione homo movetur ad pœniten„ dum de malis quæ fecit. . . . dicendum (*ib.* „ *ad* 1) quod de jure naturali est, quod ali„ quis pœniteat de malis quæ fecit, quantum „ ad hoc quod doleat ea fecisse, & doloris re„ medium quærat per aliquem modum, & „ quod etiam aliqua signa doloris ostendat ": hinc sic argumentor:

Illud medium ex natura, & non ex positiva tantum Dei lege ad salutem est necessarium, quod natura ipsa præscribit; atqui, ut docet S. Thomas, de malo perpetrato esse pœnitendum, natura ipsa præscribit: ergo &c.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex Theologica ratione.

3. Denique ratio suffragatur: illud enim medium dicimus ex ipsa natura necessarium fini obtinendo, quod habet cum illo intrinsecam & naturalem connexionem: quomodo ad vivendum necessaria respiratio est; atqui pœnitentia intimam habet cum fine, salute scilicet, naturalem connexionem, nemo enim salvari potest, nisi prius a Deo impetraverit peccati remissionem; atqui penitus impossibile est, sine pœnitentia peccata remitti: nam Deus peccata remittit, quando sibi reconciliat peccatorem, & in amicitiam recipit: atqui repugnat, quod Deus peccatorem impœnitentem sibi reconciliet, & in suam recipiat amicitiam: alioquin enim amaret, quem a se aversum, & in peccati amore obstinatum cognosceret, imo, quod dictu horrendum, peccatum ipsum amaret, & præ-

præmiaretur: quod quam sit ab ejus sanctitate supremaque justitia alienum, etiam me non monente, nemo est qui non videat. Dicendum itaque pœnitentiam in his mediis habere locum, quæ natura ipsa præscribit: atque adeo non ea de causa esse necessariam, præcise quia præceptam; sed e contrario ideo præceptam, quia necessariam.

§. QUARTUS.

Proponuntur & resolvuntur objectiones.

Contra 2 & 3 assertionem videntur facere quædam argumenta, quæ sigillatim proponemus.

Objiciunt. Ideo virtus pœnitentiæ esset homini in peccatum mortale lapso necessitate medii necessaria, quia Deus non posset sine prævia pœnitentia quemquam a peccato purgare; atqui in potestate sua habet peccata quamlibet gravia impœnitentibus condonare: ergo &c.

Prob. min. idem debet esse judicium de peccato actuali, ac de originali: atqui peccatum originale remittit infantibus sine prævia pœnitentia, quidni ergo pariter posset peccata adultorum mortalia condonare?

R. Concessa maj. n. min. ad probat. n. paritatem: quamquam enim non minor sit Dei erga adultos, quam erga infantes potentia, est tamen illud inter utrosque discrimen, quod peccatum originale non sit propria voluntate commissum, unde absque propria infantium voluntate remittitur; at vero adultis, quia electione propria malum appetendo & perpetrando peccarunt, pœnitentia necessaria est, ut Deo restituant pœnitendo, quod delinquendo abstulerunt: "*per fidem Ecclesiæ solam*, ait au-
„ thor libri de vera & falsa pœnitentia (*cap.*
„ 8) remittuntur peccata quæ contraxit homo
„ in origine; ut sicut a patre peccante dam-
„ nationem accepit, ita per matris Ecclesiæ
„ fidem consequatur remissionem, sed qui per
„ se peccavit, per dolorem proprium, & fi-
„ dem Ecclesiæ indulgentiam acquisivit".

Eodemque sensu S. Aug. (*serm.* 10 *de verb. Apost.*) " parvuli, *inquit*, portantur ad Eccle-
„ siam, & si pedibus illuc currere non pos-
„ sunt; alienis pedibus currunt ut sanentur,
„ accommodat illis mater Ecclesia aliorum pe-
„ des, ut veniant, aliorum cor ut credant,
„ aliorum linguam ut fateantur: ut quoniam
„ quod ægri sunt, alio peccante prægravantur:
„ sic cum sani sunt, alio pro eis confitente
„ salventur ":

Inst. 1. Si pœnitentia foret ad salutem necessitate medii necessaria; præceptum contritionis non solum divinum esset, sed etiam naturale; atqui contritionis & pœnitentiæ naturale præceptum esse non potest: ergo &c.

R. conc. maj. n. min. Naturale namque præceptum est, & merito dicitur, quod natura ipsa præscribit; atqui præceptum pœnitendi, natura quantumlibet corrupta præscribit. Nam si homo homini offenso reconciliari, ea dictante, tenetur: quanto magis tenebitur convertere se ad summum & incommutabile bonum, a quo, peccando recessit: quemadmodum igitur ista propositio: *Deus est colendus*: in naturalibus morum principiis continetur; idem de hac altera est dicendum: *Deus offensus pœnitentia est placandus*.

Inst. 2. probando min. De actibus supernaturalibus naturale præceptum non datur; natura enim ad supernaturalem ordinem non assurgit; atqui actus veræ pœnitentiæ supernaturalis est, ut constat ex dictis capite præcedenti. Ergo &c.

℟. dist. maj. de actibus supernaturalibus naturale præceptum non datur, *ipsis naturæ viribus adimplendum*, conc. *divinæ gratiæ auxilio observandum*, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. ℟. Aliud præcepti denuntiatio, aliud observatio est. Fatemur de actibus supernaturalibus naturale præceptum non dari, quod naturæ viribus impleatur: nec enim natura sibi relicta, ad ordinem supernaturalem conscendit, ut bene in argumento notatum est; sed contendimus actus supernaturalis naturale esse præceptum juvante gratia exequendum. Nam actus amoris Dei supernaturalis est, cum omnem naturæ vim longo superet intervallo, & ad virtutem Theologicam caritatis pertineat; atqui præceptum de Deo amando super omnia, omnium animis ab ipsa natura insitum est: quod si quis proterve negaret, naturæ ipsi contraire convinceretur. Nec desunt hujus generis alia exempla; sic enim Decalogus ad legem sine dubio pertinet naturalem, immo totam naturæ legem complectitur: quis porro nisi Pelagianus audeat dicere, posse sine gratia præcepta Decalogi adimpleri? pariter Deum esse colendum, præceptum est in natura positum, unde naturalibus principiis synderesess accensetur: numquid ideo dicturi sumus posse hominem se solo, omnique gratiæ adjutorio destitutum, cultum Deo debitum exhibere? quod si lubeat ex aliena materia hujus veritatis argumentum exquirere, in promptu erit. Nam quilibet homo naturaliter desiderat esse beatus: neque unquam contigit aliquem ita fungum aut stupidum reperiri, qui non illuc vitæ cursum direxerit, ut beatus efficeretur, qua-

quacumque tandem in re felicitatem locaret; atqui appetitus ille non potest solis naturæ viribus satiari. Ergo pariter potest dari præceptum naturale de aliquo actu, quod homo non valeat sine supernaturali adjutorio adimplere. Tale vero est præceptum pœnitendi.

Inst. 3. Natura, sicut & Deus nihil impossibile præcipit; atqui si daretur naturale præceptum, quod non posset naturæ viribus adimpleri, aliquid impossibile natura præciperet. Ergo &c.

R. Concessa maj. n. min. Non enim impossibile dici debet, quod Dei gratia possibile fit, & executioni mandatur; atqui naturale præceptum, quamquam naturæ vires excedens, Dei gratia possibile fit, & executioni mandatur: *gratia* vero, uti millies S. Aug. contra Pelagianos inculcat, *cui datur, misericorditer datur; cui non datur, ex justitia non datur*: cui concinens S. Thomas: (2, 2, *qu*. 3, *art*. 5, *ad* 1) *ad multa*, inquit, *tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia præparante; sicut ad diligendum Deum & proximum, & similiter ad credendum articulos fidei: sed tamen potest cum auxilio gratiæ. Quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex justitia non datur, in pœnam præcedentis peccati saltem originalis: ut Aug. dicit, in lib. de corrept. & gratia*. Firmiter itaque tenendum est, tum pœnitentiæ naturale esse præceptum; tum non posse solius naturæ viribus executioni mandari: nec tamen inde sequi quod impossibile sit: quia possibilitatem ejus implendi dat Deus, gratia sua cor hominis emolliendo, transferendo, & immutando.

Inst. 4. De illo non datur præceptum neque naturæ, neque positivum, sine quo potest homo salutem consequi, & peccatorum remissionem; atqui sine pœnitentia potest peccator veniam & salutem obtinere. Ergo &c.

Probat. minor multis Scripturarum testimoniis.

Matthæi 6, v. 14. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis & pater vester cælestis delicta vestra*.

Marci ultimo v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*.

Lucæ 11, v. 41. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*.

Rom. 8, 24. *Spe salvi facti sumus*.

1. Petri 4, v. 8. *Ante omnia mutuam in vobismetipsis caritatem habentes; quia caritas operit multitudinem peccatorum*.

Hinc sic eruitur argumentum:

Ille sine pœnitentia potest peccatorum remissionem & salutem consequi, cui aliunde occurrunt media ad salutem opportuna; atqui homini præter pœnitentiam, alia multa occurrunt media ad obtinendam salutem, baptismus scilicet, fides, spes, caritas, eleemosyna, condonatio injuriarum: Ergo &c.

R. Concessa maj. n. min. ad probat. recipio testimonia, & dist. maj. Sine pœnitentia reconciliari & salvari potest, cui alia præsto sunt media salutis, *media*, inquam, *adæquata, & divisim sufficientia*, conc. *media inadæquata*, n. maj. & eadem distinctione ad min. facta, n. consequ.

E. R. Medium adæquatum appello, quod ita ad finis assecutionem conducit, ut nullum aliud requiratur: inadæquatum vero, quod se solo non sufficit: porro quæ sunt in objectione enumerata, seorsim ac divisive ad salutem sufficere, eoque sensu Scripturam intelligi debere inficiamur; itaque ita debent ista peccatorum remedia, & salutis media accipi, ut nullum divisim, neque omnia simul, sine pœnitentia, sint sufficientia ad salutem: nam

1. Baptismus adultorum, nisi præcederet pœnitentia, salvare neminem posset: estque est certissima doctrina Christi, quam Concilium Trid. sic explicat: (*Sess*. 14, *cap*. 1) *fuit pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur, unde propheta ait: convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas: Dominus etiam dixit: nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis; & princeps Apostolorum Petrus peccatoribus baptismo initiandis pœnitentiam commendans dicebat: pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*.

2. Fides, spes, & caritas, necessariæ sunt, tamquam fundamenta pœnitentiæ, ut capite sequente dicturi sumus; deinde fides viva, spes vera, & divina caritas, quæ media salutis esse non diffitemur, in peccatore, quamdiu impœnitens fuerit, nec esse, nec intelligi possunt; ergo a fortiori seclusa pœnitentia nequeunt quempiam ad salutem perducere: ibi enim salutis media non sunt, ubi nequidem sunt.

3. Eleemosyna & condonatio injuriarum, sunt peccatoribus necessariæ, tamquam remedia; tum quia fidem & pœnitentiam impetrant: decet namque Deum iis esse placabilem, qui fuerint erga proximum misericordes: tum quia in operibus satisfactoriis locum non infimum habent: tum denique propter preces pauperum, & eorum, quibus condonatæ injuriæ fuerint.

Ita-

Itaque hæc & similia Scripturarum oracula non sunt exclusive accipienda, quasi spes sola e. c. aut eleemosyna sola sufficiat ad salutem: sed ita demum intelligi debent, hominem spe aut caritate salvari, dummodo alia non defuerint, quæ esse necessaria pariter in verbo divino est declaratum: inter quæ præcipuum pœnitentiæ esse locum, nemo negabit, nisi qui plane fuerit nescius Scripturarum: qui enim dixit: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*: dixit quoque: *nisi pęnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*: qui dixit: *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*: dixit utique: *convertimini & agite pęnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*: qui dixit: *caritas operit multitudinem peccatorum*: similiter dixit: *si impius egerit pęnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor*: qui denique dixit: *spe salvi facti sumus*: idem pœnitentibus vitam, & non pœnitentibus maximam tribulationem prædixit.

Inst. 5. Saltem caritas medium est, de se ad salutem & peccatorum remissionem sufficiens, etiam sine pœnitentia. Ergo &c.

Prob. ant. de muliere peccatrice sic loquitur Christus: (*Luc.* 7, 47) *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit*.

Et alibi. (*Joan.* 14, 21) *qui habet mandata mea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligitur a Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum*.

1. Joannis 4, v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum*.

Hinc sic informatur argumentum:

Illud medium ex se, etiam sine pœnitentia, sufficit ad peccatorum remissionem, cui Christus veluti causæ, eorum condonationem attribuit; quoque fit, ut homo a Deo diligatur, & cooptetur in ejus adoptionem; atqui præclara hæc esse privilegia caritatis, Scriptura Sacra testatur. Ergo &c.

R. nego aut. ad probat. admitto auctoritates, & concessa maj. dist. min. conveniunt ista caritati, *eo quod ad pęnitentiam moveat, & sine illa non sit*, conc. *scorsim a pęnitentia*, n. min. & conseq.

E. R. Fatemur in salutis negotio, caritatis divinæ præcipuas esse partes, nec posse quemquam adultum sine amore a Deo diligi, & recipi in ejus adoptionem; sed similiter contendimus, a peccatore sine pœnitentia obtineri ista non posse: immo impossibile esse putamus, ut vere diligat Deum, quem vitæ male actæ non pœnituerit. Quomodo enim amat summum bonum, qui non detestatur id, quo scit summum bonum offendi, & ad iracundiam provocari? Itaque in hoc argumento & similibus hoc vitium est, quod perperam inferatur aliquid esse sufficiens ad salutem, eo quod necessarium affirmetur: quæ prorsus inepta illatio est. Quando enim in Scripturis multa præcipiuntur, ridiculum est, cum exclusione cæterorum uni tantum salutem adscribere. Quod idem est, ac si quis ex eo quod Apostolus dixit: (*Hebr.* 11, 6) *sine fide impossibile est placere Deo*: sic argumentum concluderet, *ergo placet Deo qui fidem habet*, etiamsi nec caritatem, nec spem, nec aliud denique quidquam eorum habeat, quæ Scriptura passim commendat.

Quemadmodum igitur loca in objectione laudata, movent nos ut caritatem ad salutem omnino necessariam esse credamus; pœnitentiam pariter necessariam fateri compellimur iis testimoniis quibus declaratur neminem sine pœnitentia esse salvandum: quale est: *nisi pęnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*.

Inst. 6. De multis in Evangelio legitur, quod peccatorum remissionem obtinuerint, etiamsi quod eos pœnituerit non dicatur; sic enim paralytico dixit Christus: (*Matt.* 9, 2) *confide fili, remittuntur tibi peccata tua*: & mulieri adulteræ: (*Joan.* 8, 10) *nemo te condemnavit? nec ego te condemnabo: vade, & jam amplius noli peccare*. Ergo &c.

R. Dist. ant. Quod eos pœnituerit non legitur; *debet tamen necessario subintelligi*, conc. *secus*, n. ant. & conseq.

E. R. Cum Christus fuerit perpetuus pœnitentiæ prædicator, nec quidquam habuerit antiquius, quam ut ejus ubique inculcaret, adstrueretque necessitatem, omnibus sine discrimine peccatoribus denuntiando: *pęnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cęlorum: nisi pęnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*: credibile non est aliquem ab illo in gratiam, sine prævia pœnitentia esse receptum. Dicendum itaque in paralytico & muliere adultera motum pœnitentiæ & contritionis dolorem prius excitatum, quam a peccatis absolverentur. Hinc S. Thomas etsi merito affirmet, (3 *p. qu.* 86, *art.* 3, *in c.*) Christum præcellenti qua præditus erat potestate, potuisse absque Sacramento peccata remittere; docet tamen ibidem impossibile esse peccatum actuale mortale sine pęnitentiæ virtute remitti.

Inst. 7. Caritas ipsa pęnitentiam virtute continet. Ergo sola, sine formali, ut loquuntur, pœnitentia ad salutem sufficit.

R. Transeat ant. & n. conseq. Ubi enim divina lex non distinguit, nullus exceptioni lo-

locus relinquitur; atqui ex Scripturarum sententiis sæpe laudatis, ipsaque ratione evidens est, Deum & naturam homini peccatori actualem & formalem pęnitentiam præscribere. Ergo a lege recedit longissime, & temerario contra Deum ipsum cavillos nectit, qui contendit sufficere virtualem.

Deinde. Caritas, ut modo dicturi sumus, gradus quidem ad pœnitentiam est, sed pęnitentia ipsa dici non magis potest, quam fides, aut spes, quibus pariter veluti gradibus peccator ad illam præparatur. Cum itaque illa ad conversionem & reconciliationem pęnitentia requiratur, ad quam gradus est caritas, consequens est debere esse formalem.

Præterea. Lutherus in Concilio Trid. damnatus est, eo quod contenderet, explicitam vitæ veteris detestationem ad justificationem impii non requiri, satisque esse vitæ novæ propositum. Cum ergo actus caritatis quantumvis perfectus explicitam illam detestationem necessario non includat; se solo non potest esse sufficiens ad justificationem impii dispositio.

§. QUINTUS.

Duabus Quæstionibus satisfit.

¶. Q. 1. Quando obliget pœnitentiæ præceptum.

Respondeo certa imprimis ab iis, quæ in disputationem veniunt, sejungenda sunt. Certum est apud omnes *negativum*, ut vocant, pęnitentiæ præceptum, quo prohibemur delectari in memoria præteriti peccati, aut de eo gloriari, obligare semper, & pro semper: siquidem hujusmodi delectatio, & jactantia per se mala est, & quidem in eodem peccati genere cum actione ipsa, qua quis delectatur, aut se jactat.

Certum itidem est, quod cum duplex distinguatur obligatio, *per se* nempe, ac *per accidens*; quoad hanc attinet, sæpius urgere potest pœnitentiæ præceptum. Urget nempe primo, quoties vel administranda, vel recipienda sunt Sacramenta. Tunc enim quilibet lethali peccato irretitus tenetur saltem contritionis actum elicere, ut digne Sacramenta vel suscipiat, vel administret. Urget 2 tempore gravis tentationis, quam sine aliquo pęnitentiæ, aut contritionis actu quispiam vincere moraliter nequeat. 3 Quando quis in morali vitæ periculo versatur, aut eidem semet exponit: ut e. g. in bello, in longa, & periculosa navigatione, tempore pestis, aut terræmotus &c. Addunt alii in casu publicæ necessitatis, & cum opus aliquod aggrediendum est, a quo vel publica salus, vel magna populi utilitas pendeat. Demum generatim statui potest *per accidens* urgere præceptum pęnitentiæ quoties hæc necessaria sit ad cujuscumque alterius præcepti impletionem.

Quod vero obligationem per se pęnitentiæ spectat, certum est eam urgere in articulo mortis sive vero, sive præsumpto: quoniam tunc unusquisque tenetur & ratione caritatis erga se ipsum, & ratione satisfactionis delictorum quoad Deum perfectam agere pęnitentiam, Deoque reconciliari, cum aliud tempus ad pęnitendum minime supersit.

Certum est etiam, saltem post damnationem plurium propositionum de obligatione pręcepti caritatis latam a Sum. Pontificibus, hominem peccatorem non posse citra novum peculiare peccatum protrahere pęnitentiam ad quodcumque tempus, sive ad tempus valde diuturnum. Eadem quippe ratio, qua tenetur homo ad actum amoris erga Deum eliciendum, ipsum obligat ut pęnitentiam agat de peccatis suis, Deoque reconcilietur.

Tota igitur, quæ fervet inter Theologos dissensio, huc revocatur, an videlicet qui in grave peccatum lapsus est, statim quoties peccatum a se commissum menti occurrat, teneatur pęnitentiam agere, sive de eodem dolere, ac conteri. Plures, præsertim recentiores, hanc obligationem abnuunt. Plures contra affirmant. Utriusque sententiæ fundamenta producam, relicta cuilibet, quæ probabilior visa fuerit, eligendi libertate.

Et prioris quidem sententiæ momenta hæc sunt. Primum ita proponit Emin. Cardinalis Gotti *q.* 4, *de Contr. dub.* 6, §. 1. *Præceptum contritionis est affirmativum: hæc autem est differentia inter præceptum affirmativum, & negativum, quod negativum obligat semper, & pro semper; affirmativum vero obligat quidem semper, non tamen pro semper. Verbi gratia præceptum affirmativum est, honorare parentes: negativum illos injuria non afficere. Istud obligat semper, & pro semper, numquam enim licitum est injuria afficere parentes. Illud vero obligat semper, non tamen pro semper. Non enim pro semper tenemur honorem parentibus exhibere; sed solum in occasionibus, in quibus talis honor exigitur. Ita in casu. Præceptum affirmativum est conteri, seu dolere de peccatis commissis: negativum est sibi non complacere in ipsis. Istud quidem semper obligat: quia nunquam licitum est in peccatis sibi complacere; sed illud non obligat pro semper: quia sicut non tenemur semper, & in quolibet instanti actum fidei, spei, & amoris in Deum elicere; ita nec actum contritionis, & doloris de peccatis, sed solum tunc, quan-*

quando hujusmodi contritio exigitur a nobis. Sed nulla ratio est, quæ convincat contritionem exigi a nobis statim post admissum peccatum &c. Ergo &c.

Probatur etiam hæc minor a pari. Confessio non obligat statim post peccatum, ut docet S. Thomas *Suppl.* 3 *p. qu.* 6, *art.* 5. *Esto enim præceptum confessionis sit de jure divino; determinatio tamen temporis, quo tale præceptum obliget, pertinet ad Ecclesiam: quæ secundum præsentem disciplinam existimat huic præcepto satisfieri per annuam saltem confessionem: & non statim, ac quis peccavit, ad confessionem peccati teneri: ergo neque contritio statim obligat post peccatum. Consequent. probatur. Non enim est alia ratio cur confessio non obliget statim post peccatum; nisi quia præceptum Confessionis est affirmativum, ideoque non obligat pro semper: cumque, ut dicebamus, præceptum quoque contritionis sit affirmativum: ideo &c.* Hæc ille.

Duo alia argumenta proferunt hujus sententiæ Defensores: nempe: si præceptum pœnitentiæ vel contritionis obligaret statim ac post peccatum impleri moraliter potest, peccaret homo, quoties illud negligeret. Hoc autem communi videtur adversari fidelium sensui, ac praxi confitendi peccata. Quoniam nec pœnitentes se novi istius criminis accusare solent, nec Confessarii id investigare aut scire curant.

Ulterius: Si peccator pœnitentiæ præcepto adstringeretur statim ac in peccatum lapsus est, in quolibet instanti ejusmodi præceptum urgeret. Porro inde consequeretur eum, qui post primum peccatum in aliud recideret, puta luxuriæ, duplex crimen incurrere, aliud contra castitatem, aliud contra præceptum pœnitentiæ: quod absonum videtur.

Afferunt quoque in hujusce sententiæ patrocinium authoritatem S. Thomæ depromptam ex cit. loco Suppl. ubi ait: *non est de necessitate salutis corporalis, ut statim Medicus quæratur, nisi quando curationis necessitas incumbit: & similiter est de morbo spirituali.*

Graviora videntur, quæ producunt alterius sententiæ patroni. Et 1 quidem plures textus congerunt ex sacris litteris, qui peccatores ad celerem pœnitentiam non invitant duntaxat, sed urgent. Ex veteri Testam. locus ille præcipuus est, qui legitur Eccles. V: *ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Ex Novo autem: *vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus venturus sit.* Matth. 24, v. 41. *Vigilate: nescitis enim quando Dominus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane: ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes.* Marci c. 13, v. 35: aliaque id genus.

2. Sancti Patres videntur hoc sensu intellexisse Scripturarum verba. Tertullianus libr. de pœnit. C. 7: *absit ut aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi pateat ad delinquendum aditus, & redundantia clementiæ cælestis libidinem faciat humanæ temeritati.* Aug. in ps. 114. *Deus pœnitentiæ tuæ indulgentiam promisit: diem crastinum non promisit.* Et de Temp. Serm. 201: *o homo, quid differs de die in diem, forte habiturus hodie ultimum diem?* Paria tradunt Chrysost. *Ep. ad Theod.*, D. Ambrosius *l. de Pænit. c.* 9, D. Basilius in *Catena Aurea*, aliique.

3. Communis sacrorum Ecclesiæ Præsulum, divini verbi dispensatorum, ac piorum fidelium huic sententiæ favet: nihil enim altius Ecclesiæ Episcopi, sacrique concionatores, nihil ferventius Christiani populi auribus intonant, & inculcant, quam celerrimæ pœnitentiæ necessitatem, & imminentia dilationis pericula. Neque enim jure aliquo dici potest, declamationes, figurasque rhetorum istas esse, aut pias tantum exhortationes, aut mera consilia.

4. Id probant authoritate SS. Thomæ, ac Bonaventuræ. Prior namque hæc habet quæst. 3 Suppl. a. 3: *cum propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad contritionem tenetur, scilicet, quando peccata MEMORIÆ OCCURRUNT.* Alter vero in qu. dist. 16, q. 2: *pro loco & tempore* (peccator conteri debet) *videlicet cum recogitat mala sua in quibus offendit Deum.*

5. Principium ac doctrina S. Thomæ est, 2, 2, qu. 62, a. 8, teneri quemlibet peccatum deserere. Sic enim ait, loquens de restitutione statim facienda: *Manifestum est, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari: Sed quilibet tenetur peccatum statim deserere, secundum illud Eccles. 21:* quasi a facie colubri fuge peccatum. *Et ideo quilibet tenetur statim restituere.* Equidem qui contra sentiunt, contendunt loqui S. Præceptorem de peccato actuali, sive de affectu, aut continuatione peccati: secus de habituali. Verum hæc explicatio minus congruere videtur verbis ac menti S. Thomæ, ut consideranti patet.

6. Ut fatentur omnes, non licet in affectu peccati permanere. Porro qui deliberato animo peccati pœnitentiam negligit, cum opportunam habet eam peragendi occasionem, in affectu peccati reapse persistit. Quod sic evincunt: qui commissi peccati memoriam, simulque illud expellendi opportunitatem habet, si rea-

reapse illud non expellit, illud animo deliberato in se retinet, quod idem est, ac illud amare, sibique in eo complacere: quoniam sicuti per odium expellitur, sic per amorem retinetur.

7. Præcepto caritatis tenentur omnes fratrem corrigere, & in viam salutis revocare. Hoc autem præceptum validius urgere videtur, ut nosmetipsos errantes corrigamus, deviosque in semitam revocemus, ut æternæ nostræ saluti consulamus, & a sempiterno exitio caveamus. Siquidem caritatis præceptum nosmetipsos amare amplius obstringit, quam proximum.

8. Quilibet vitare tenetur grave delinquendi periculum. Atqui peccator, qui commissum crimen penitentia non delet, in gravi periculo delinquendi versatur, quoniam, ut animadvertit S. Gregorius M. *peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit:* nec præsumi merito potest, Deum concessurum gratiam, quæ necessaria est ad diu sine peccato perseverandum, illi peccatori, qui deliberato animo in peccato persistit. Hæc & alia sunt argumenta, quæ fuse ab Authoribus, qui hanc sententiam defendunt, pertractantur.

Q. 2. An etiam ad venialium peccatorum remissionem necessaria pœnitentia sit.

Affirmative Respondeo cum S. Thoma hic qu. 87, a. 1, quem cæteri Theologi communiter sequuntur. Id extra omnem dubietatem censuit S. Aug. dum Ep. 63, alias 48, scripsit: *nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque seu magno, seu parvo defectu ad correctionem sine pœnitentia posse transire.* Et ratio est: quoniam veniale quodcunque peccatum importat inordinationem aliquam amoris erga creaturam. Ergo quandiu voluntas inordinate creaturæ adhæret, tandiu peccatum remanere necessum est. Porro inordinatus ille amor non removetur, nisi displiceat. Igitur ad remissionem venialis peccati penitentia requiritur.

At pulcre admodum, solideque Doctor Angelicus laudato loco, ubi hanc doctrinam constituit, simul animadvertit discrimen penitentiæ, quæ ad lethale, tum quæ ad veniale delendum peccatum exigitur. Ejus verba sunt. *Remissio culpæ*, inquit, *fit per conjunctionem hominis ad Deum, a quo aliqualiter separat culpa. Sed hæc separatio perfecte quidem fit per peccatum mortale: imperfecte autem per peccatum veniale. Nam per peccatum mortale mens omnino a Deo avertitur, ut pote contra caritatem agens: per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne prompte in Deum feratur. Et ideo utrumque peccatum per pœnitentiam quidem remittitur: quia per utrumque deordinatur voluntas hominis per immodicam conversionem ad bonum creatum. Sicut enim peccatum mortale remitti non potest, quandiu voluntas peccato adhæret; ita etiam nec peccatum veniale: quia manente causa, manet effectus.*

Exigitur autem, pergit ille, *ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur, quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum. Non tamen sufficit habitualis displicentia, quæ habetur per habitum caritatis, vel pœnitentiæ virtutis; quia sic caritas non compateretur peccatum veniale: quod potest esse falsum. Unde sequitur, quod requiratur quædam virtualis displicentia: puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, & res divinas, ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret: quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.*

Aliud discrimen inter deletionem peccati mortalis ac venialis eruitur ex doctrina, quam Sanctus idem Præceptor tradit artic. 2 ejusdem quæstionis: quod nempe peccatum mortale cum adversetur habituali gratiæ, & caritati, nonnisi per infusionem ejusdem gratiæ & caritatis deleatur. At vero cum iisdem non opponatur veniale peccatum, absque nova gratiæ caritatisque infusione deleri valet: *Quia tamen*, subdit apposite, *in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrii in Deum, & in peccatum; ideo, quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur.*

Adversus propositionem objicies 1: Nulla pœnitentia, ne virtualis quidem, consistere potest absque proposito vitandi peccata: At nullum potest esse propositum vitandi peccata venialia: cum in præsenti vita omnia vitari nequeant citra specialissimum Dei privilegium: quod soli beatissimæ Virgini concessum creditur. Igitur &c.

Respondeo, ad penitentiam peccatis venialibus delendis idoneam satis esse propositum abstinendi a singulis, quod possibile plane est, licet non ab omnibus: *quia hoc infirmitas hujus vitæ non patitur*, ut ait S. Thomas loco laudato ad 1. Sed quamquam hujusmodi, utpote

pote de re impossibili, propositum non requiratur; *necessarium tamen est saltem propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda*, ut idem sapientissime advertit: *alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia.*

Objicies 2. Si absque pœnitentia venialia peccata remitti non possent; profecto nullus post hanc vitam remissioni eorumdem pateret locus: cum in altera vita nullus locus pœnitentiæ sit. Eadem tamen in altera vita remitti liquet: quotiescumque scilicet quis in gratia decedit, & culpis venialibus irretitus.

Hanc quoque objectionem solvit Doctor Angelicus *qu. 7 de malo a. 11*, inquiens: *venialia peccata remittuntur post hanc vitam etiam quoad culpam eo modo, quo remittuntur in hac vita; scilicet per actum caritatis in Deum repugnantem venialibus in hac vita commissis: atque adeo per pœnitentiam saltem virtualem. Quamquam nihil sit, quod vetet asserere futuram post hanc vitam pœnitentiam aliquam formalem; non eam quidem, qua mutari valeat status de malo in bonum; sed quæ in displicentia præteritarum culparum consistat: & hanc displicentiam, non per modum meriti, sed per modum contrariæ dispositionis peccatorum venialium maculas, si quæ adhuc supersint, abstergere.* ¶

CAPUT QUARTUM.

Quibus gradibus ad pœnitentiæ virtutem perveniatur?

HAbitum pœnitentiæ a Deo immediate infundi, sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus, constat ex dictis capite secundo. Hinc nascitur quæstio, quinam ii actus sint, quibus veluti gradibus, operante Deo, & cooperante homine, ad divinam virtutem pœnitentiæ pertingatur: quibusque ceu basibus ac fundamentis totum conversionis ædificium superstruatur? quam ut resolvamus, sit

§. PRIMUS.

Ostenditur, sex veluti gradibus ad pœnitentiæ virtutem ascendi.

Ii porro sunt: 1 Dei convertentis nos operatio: 2 motus fidei: 3 motus timoris servilis: 4 motus spei: 5 motus caritatis: 6 motus timoris filialis.

Ita S. Thomas, cujus doctrinam eo tutius boni omnes Theologi sequuntur, quod a Patribus Trid. Concilii, in decreto de justificatione solemniter fuerit approbata, & in ejusdem Concilii Catechismo iisdem pene verbis expressa, *parte 2, tit. de pœnitentia, n. 11.*

Sic vero loquitur S. Doctor: (*3 p. q. 85, art. 5, in c.*) *dicendum, quod de pœnitentia loqui possumus dupliciter, uno modo quantum ad habitum, & sic immediate a Deo infunditur, sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus, per aliquos actus; alio modo possumus loqui de pœnitentia, quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur, quorum actuum primum principium est, Dei operatio convertentis nos ..... secundus actus est, motus fidei: tertius est, motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccato retrahitur: quartus actus est, motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ, assumit propositum emendandi se: quintus actus est, motus caritatis, quo alicui peccatum displicet secundum se ipsum, & non jam propter supplicia: sextus actus est, motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei, aliquis emendationem Deo voluntarie offert.*

Patres autem Trid. sic pronuntiant: (*Sess. 6, cap. 6*) *disponuntur autem* (peccatores) *ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt: atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu: & dum peccatores se esse intelligentes, a Divinæ Justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod ac detestationem; hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere baptismum,* (aut pœnitentiæ Sacramentum) *inchoare novam vitam, & servare divina mandata.*

Explicatur Assertio per partes.

I.

Dei convertentis operatio.

Jam ut de singulis breviter dicamus.

I. Requiri ad pœnitentiam Dei convertentis præviam operationem, dogma est Catholicis contra Pelagianos ac Semi-Pelagianos indubitatum:

tum: contendebant illi pœnitentibus veniam non dari, secundum gratiam & misericordiam Dei, sed secundum meritum & laborem eorum qui per pœnitentiam misericordia digni forent: isti vero, fidei saltem & conversionis initium a sola præsumebant hominis voluntate petendum, ut scilicet libertati hominis blandirentur: contra utrosque Catholicæ Ecclesiæ sententia est, veri nominis pœnitentiam a Dei convertentis nos operatione ita pendere, ut ne initium quidem conversionis, peccatori, quem Christi gratia non prævenerit, attribui possit: cum enim dixerit Christus: (*Joann.* 6, 44) *nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum ..... omnis qui audivit a patre & didicit, venit ad me* .... &: (*ib.* 15, 5) *sine me nihil potestis facere*: manifestum est, neminem posse veræ pœnitentiæ motum sine gratia divina concipere: qui enim dixit; *nil potestis facere*, prorsus nec minimum voluntatis conatum excepit, qui sine prævenientis gratiæ adjutorio exeri aut formari possit: hinc Regius Propheta: *ego dixi*, inquit (*Ps.* 40, *v.* 5), *Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi* .... & Jeremias: (*Lament.* 5, 21) *converte nos Domine ad te, & convertemur*; & denique Apostolus, (ut interim innumera prætermittam quæ in tractatu de gratia contra pestiferam Pelagii hæresim ex utroque testamento promuntur) *omnes peccaverunt*, ait, (*Rom.* 3, 23) *& egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu*.

Eadem patrum antiquorum, nemine contradicente, doctrina fuit: sic præter cæteros, patres Concilii Arausicani II, can. 14: *nullus miser*, inquiunt, *de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur, sicut dicit psalmista*: (*Ps.* 78, *v.* 8) *cito anticipent nos misericordiæ tuæ Domine*; &: (*Ps.* 58, *v.* 11) *Deus meus, misericordia ejus prævenict me* ... & can. 15: *ab eo*, inquiunt, *quod formavit Deus, mutatus est Adam, sed in pejus per iniquitatem suam, ab eo quod operata est iniquitas mutatur fidelis, sed in melius, per gratiam Dei: illa ergo mutatio fuit prævaricatoris primi; hæc secundum psalmistam* (*Ps.* 76, 11) *est mutatio dexteræ excelsi*.

Ad mentem patrum Arausicanorum, aliorumque doctorum, Trid. synodus (*sess.* 6, *cap.* 5) docet, *ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur: ita ut qui per peccatum a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando disponantur: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit* .... & ejusdem sessionis can. 3: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit*.

II.

Motus fidei.

2. Sequitur motus fidei, quem esse necessarium ad virtutem pœnitentiæ gradum, scriptura sæpe declarat: *qui incredulus est*, ait Habacuc, (*Habac.* 2, 4) *non erit recta anima ejus in semetipso: justus autem in fide sua vivet*.

Et Christus in Evangelio: (*Mat.* 16, 15) *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*.

Et Apostolus: (*Hebr.* 11, 6) *sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*.

Inde sic argumentor:

Motus ille necessarius est ad pœnitentiam gradus, quo velut fundamento justitia nititur per quam Deo homo placet; atqui fide velut fundamento ita nititur justitia qua Deo placetur, ut sine fide impossibile sit placere Deo: ergo &c.

Deinde. Cum pœnitentiæ virtus sit cordis ad Deum conversio, accessum ad illum necessario importat: quid enim est converti ad Deum, nisi ad illum accedere, & reverti, a quo peccando recesseramus? Atqui ex Apostolo per fidem ad Deum acceditur, fidesque ipsa principium motus est, quo in illum tenditur: *accedentem ad Deum*, inquit, *oportet credere quia est*: ergo &c.

Patrum & conciliorum sententiis doctrina hæc confirmatur.

Fides, ait S. Ambrosius, (*Enarrat. in Ps.* 40) *virtutum omnium stabile fundamentum est*.

S. Aug. serm. 38 de scripturis veteris Testam. c. 3: *credamus ergo fratres, Deo*, inquit: *hoc est primum præceptum: hoc est initium religionis & vitæ nostræ, fixum habere cor in fide*.

Et

Et serm. 143 de verbis Evangelii Joannis: *medicina omnium animæ vulnerum, & una propitiatio pro delictis hominum est, credere in Christum: nec omnino quisquam mundari potest sive ab originali peccato quod ex Adam traxit . . . sive a peccatis actualibus nisi per fidem . . . . quapropter carissimi merito idem Dominus & Salvator noster, hoc unum peccatum dicit, de quo arguit mundum Spiritus S. quia non credit in eum.*

Et libro de perfectione justitiæ c. 19: *initium corrigendi cor, fides est.*

Et Ep. 194, c. 3, n. 9: *a fide omnis justitia sumit initium.*

S. Fulgentius in prol. lib. de fide ad Petrum: (*inter opera S. Augustini, in Append. tom. 6, nov. edit.*) *fides*, ait, *est bonorum omnium fundamentum, humanæ salutis initium: sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest pervenire, quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis gratiam, nec in futuro vitam consequetur æternam.*

Denique ne plura afferamus, Concilium Trid. antiquam doctrinam novis decretis roboravit: postquam enim de adultis ad justificationem disponendis sic pronuntiavit: (*sess. 6, cap. 6*) *disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt* &c. . . . *sine fide*, inquit, (*ibid. cap. 7*) *nulli unquam contingit justificatio* . . . & paulo post: (*ib. cap. 8*) *cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expressit: ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est salutis humanæ initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.*

Inde sic in forma eruitur argumentum:

Illi asserunt motum fidei esse necessarium ad pœnitentiam gradum, qui docent fidem esse virtutum omnium stabile fundamentum, initium religionis & vitæ christianæ, cordis corrigendi principium, radicem totius justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire; atqui his & similibus encomiis fidei necessitatem & excellentiam sancti doctores describunt: ergo &c.

Accedit denique ratio, ab ipsa pœnitentiæ definitione petita: est enim sincera hominis ad Deum conversio, qua peccata commissa detestatur, & odio habet propter Deum, cum gravi animi dolore, & cum firmo proposito deinceps non peccandi, sed malam vitæ consuetudinem, corruptosque mores emendandi, & spe veniæ a Dei misericordia consequendæ; atqui peccator nec sincere converti posset ad Deum, nec propter illum peccata detestari, nec spem veniæ ab ejus misericordia impetrandæ concipere, nisi fidem illius haberet: ergo fides gradus est ad pœnitentiam necessario præmittendus.

I I I.

Motus timoris servilis.

Sequitur motus timoris servilis, quo utiliter peccator concutitur, ut nondum quidem amore justitiæ, sed metu tamen gehennæ recedere a malo incipiat: de quo S. Aug. *rarissime*, inquit, (*lib. de Catechiz. rudib. c. 5*) *accidit, immo numquam, ut quisquam veniat volens fieri christianus, qui non sit aliquo Dei timore percussus*: merito itaque annumeratur his gradibus, quibus ad pœnitentiæ virtutem homo conscendit.

Hucque spectant plurima testimonia scripturarum.

Quale est istud: (*Ps. 110, v. 10*) *Sanctum & terribile nomen ejus: initium Sapientiæ timor Domini.*

Et alterum: (*Prov. 15, 27*) *per timorem Domini declinat omnis a malo*: quod sæpe repetit Sapiens.

Et in Ecclesiastico: (1, 27) *timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari.*

Itemque (*Isai. 26, 17*) *Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus a facie tua Domine; a timore tuo concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum*: (spiritualem scilicet fructum conversionis & pœnitentiæ) equidem in latina vulgata editione vox, *a timore tuo*, non habetur; sed Septuaginta sic legunt.

Nec in veteri solum, quod fuit terroris, testamento, timor gehennæ habuit locum; sed & in novo, ad pœnitentiam quoque disponit: hoc namque incentivo Jo. Baptista Pharisæos ad se concurrentes ad peccata deflenda, & parandam Messiæ viam incitare solitus erat: *progenies viperarum*, inquiebat, (*Matth. 3, 7, & seqq.*) *quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ . . . jam enim securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*, &c.

Quin

Quin & Christus ipse: (*Matth.* 10, 28) *nolite*, inquit, *timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam . . . .* (*Luc.* 12, 4) *ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant: ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.*

Certum itaque est ex scriptura, metu gehennæ & severitatis divini judicii, deterreri homines a peccato, & ad justitiam excitari, atque adeo timorem progressum quemdam ad pœnitentiam esse.

Eadem sanctorum doctrina fuit: omnium instar sit S. Aug. enar. in ps. 5 sic loquens: *timor est magnum præsidium procedentibus ad salutem; cum autem quisque pervenerit, consummata dilectio foras mittit timorem.*

Et enar. in psalm. 149: *nisi timere*, inquit, *incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem.*

Et tract. 9 in Ep. 1 Joannis: *timor locum præparat caritati: timor ideo intrat, ut caritatem introducat: &, si nullus est timor, non est qua intret caritas.*

Hincque perspicuum est, quantum sit sacris litteris & SS. Patribus consentanea definitio Concilii Trid. loco laudato, ubi dicitur, *peccatores a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem erigi, fidentes Deum sibi propter Christum futurum propitium*: & ejusdem sessionis Can. 8 his verbis concepto: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere: anathema sit*: & sessionis 14, c. 4, ubi de Ninivitis sic dicitur: *hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt.*

De hoc pœnitentiæ gradu redibit sermo quæstione 4, quæ de contritione futura est, ubi timoris servilis utilitatem & bonitatem, contra Lutheranos data opera ostensuri sumus, & fuse dicturi qua ratione a scriptura & patribus commendetur: item, quatenus distingui hæc duo debeant, timor servilis, & timoris servilitas.

IV.

Motus Spei.

Nec sine spe timor gehennæ procedit, qua nimirum confidit peccator, veniam sibi a Deo misericorditer concedendam; quamque nisi haberet, nec habere posset conversionis propositum: de hac Regius Psaltes: (*Ps.* 7, 1, & *seqq.*) *Domine Deus meus*, inquit, *in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me & libera me: ne quando rapiat ut Leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat . . .* (*Ps.* 16, 6, & *seq.*) *inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea: mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te . . . .* (*Ps.* 31, 10) *multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit . . . .* (*Ps.* 36, 3, & *seqq.*) *spera in Domino, & fac bonitatem . . . & dabit tibi petitiones cordis tui, revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet*: quorum similia ex omnibus utriusque testamenti paginis facile adducerentur, si præsentis instituti foret, de hac tam eximia tamque necessaria virtute disserere: tantum hoc scire sufficiat, in præcipuis pœnitentiæ fundamentis habere locum, quo posito reconciliari Deo & salutem consequi, si non desint cætera, facile possumus, dicente Apostolo: (*Rom.* 8, 24) *Spe salvi facti sumus.*

V.

Motus Caritatis.

Quintus gradus est Caritatis, per quam peccata displicent pœnitenti, non propter metum suppliciorum, sed quia summæ Dei sanctitati & bonitati contraria sunt, eidemque atrocem injuriam irrogarunt: *peccatum*, inquit S. Thomas, (3 *part.*, *qu.* 85, *art.* 5, *ad* 1) *prius incipit homini displicere propter supplicia quæ respicit timor servilis, quam propter Dei offensam vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad caritatem.*

De necessitate motus amoris sive caritatis dicetur uberius suo loco, quæstione scilicet 4 de contritione.

VI.

Motus timoris filialis.

Sextus denique est, motus timoris filialis, quo nimirum peccator Deum incipit revereri, tamquam patrem optimum, eaque de causa punire

mire in seipso constituit omne malum, quo supremam ejus majestatem offendit, quo timore perculsus famosus ille prodigus, cujus est in Evangelio mentio: *surgam*, inquit, (*Luc.* 15, 18) *& ibo ad patrem meum*, *& dicam ei*: *pater peccavi in cœlum & coram te*: *jam non sum dignus vocari filius tuus*: *fac me sicut unum de mercenariis tuis*.

De hoc recurret utique sermo, qu. 4.

Igitur a primo ad ultimum certum est, sex illis quasi gradibus ad virtutem pœnitentiæ perveniri.

§. SECUNDUS.

Proponuntur & resolvuntur quædam quæstiones.

Q. 1. Utrum hi omnes & singuli motus sint ita necessarii, ut debeant formaliter & explicite pœnitentiæ virtuti præmitti?

R. Negative: nam

1. Si res ita se haberet, non posset homo subito, unoque instanti converti, sed aliqua temporis continuatione necessario indigeret, ut motus illos sigillatim exereret; atqui falsum consequens: potest enim peccator instanti uno ad perfectam pœnitentiam pervenire, quæ sit cum gratiæ sanctificantis infusione conjuncta: idque divinæ omnipotentiæ notio ita suadet, ut etiam persuadeat; & S. Thomas exemplo Apostoli Pauli confirmat, (1, 2, *q.* 112, *art.* 2, *ad* 2) qui statim atque audivit hanc vocem; (act. 9, 4 & seqq.) *Saule*, *Saule*, *quid me persequeris?* . . . . *ego sum Jesus quem tu persequeris*: ad pœnitentiam est adductus: *& tremens ac stupens dixit*: *Domine*, *quid me vis facere?* Igitur doctrina Angelici Præceptoris, ipsiusque Trid. Concilii de sex illis motibus, ita est intelligenda, ut solo excepto prævenientis gratiæ motu, qui semper est formaliter necessarius, reliqui possint in unico formali actu virtualiter comprehendi.

2. Quamquam, ut superius ex S. Augustino observavimus, numquam forte contingat, ut aliquis agendæ pœnitentiæ consilium ineat, qui non sit aliquo Dei timore deterritus, absolute tamen fieri potest, ut solo caritatis & timoris filialis motu peccator ad pœnitentiam adducatur, & suas injustitias defleat, præcise quatenus Dei majestatem ac sanctitatem offendunt: ergo motus timoris servilis non est omnimode necessarius ad conversionem: ideo itaque S. Thomas, & cum eo Concilium Trid. hos omnes actus in œconomia pœnitentiæ exponenda enumerarunt, quia hoc ordine vulgo concurrunt, præsertim quando tempore, gratiæ habitualis infusionem præcedunt.

Q. 2. Utrum motus illi aliquam habeant ad justitiam obtinendam, veri meriti rationem?

℟. Negative: nam gratia ipsa justificans est principium meriti, cum itaque hi motus gratiam justificationis præcedant, nullam veri & proprie dicti meriti rationem habere possunt: adeoque accurate loquendo, causæ justificationis dici non debent, sed materiales tantum dispositiones, quæ nobis consentientibus, & per Dei gratiam operantibus, in animam introducuntur, eamque præparant ad justitiam Dei misericordia obtinendam.

Objectio.

Dices: ex doctrina Apostoli, homo per fidem justificatur: *arbitramur*, inquit, (*Rom.* 3, 28) *justificari hominem per fidem*: ergo habet motus fidei justificationem præcedens, aliquam meriti rationem.

℟. Dist. conseq. motus fidei justificationem præcedens, habet aliquam rationem meriti, *donati a Deo*, conc. *quod sit ab ipso homine comparatum*, n. gratia enim quæ datur per fidem, nullis nostris præcedentibus meritis datur, quia fides ipsa etsi, meritum quoddam est respectu gratiæ sequentis, ut docet multis locis S. Aug. non tamen est meritum nostrum, id est, ex nobis comparatum, sed donatum a Deo: hinc ibidem Apostolus justitiam, in solam Dei gratiam refundit: *justificati gratis*, inquit, (*ib. v.* 24) *per gratiam ipsius*, *per redemptionem quæ est in Christo Jesu*: quæ S. Pauli in speciem pugnantia testimonia Synodus Trid. conciliando: *cum vero*, inquit, (*Sess.* 6, *cap.* 8) *Apostolus dicit*, *justificari hominem per fidem & gratis*, *ea verba in eo sensu intelligenda sunt*, *quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expressit*: *ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur*, *quia fides est humanæ salutis initium*, *fundamentum*, *& radix omnis justificationis*, *sine qua impossibile est placere Deo*, *& ad filiorum ejus consortium pervenire*: *gratis autem justificari ideo dicimur*, *quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt*, *sive fides*, *sive opera*, *ipsam justificationis gratiam promeretur*: *si enim gratia*, *jam non ex operibus*: *alioquin*, *ut idem Apostolus inquit*, *gratia jam non est gratia*.

§. TERTIUS.

Resolvuntur duæ quæstiones subjectum pœnitentiæ spectantes.

¶ Q. 1. Quodnam est proximum Pœnitentiæ subjectum?

℟. S. Thomas 3 p. q. 85, art. 4, hanc instituit quæstionem: ac 1 considerat pœnitentiam,

tiam, prout passio quædam est: & sub hac consideratione, *cum sit*, inquit, *species tristitiæ*, *est in concupiscibili*, *sicut in subjecto*. Si vero spectetur prout est virtus, sive prout importat *propositum emendandi illud quod contra Deum commissum est*, Subjectum ipsius est *appetitus rationalis*, sive *voluntas*. *Sic* enim, subdit, *est species justitiæ*, quæ in voluntate residet, tanquam in subjecto.

Id etiam colligitur 1 ex testimoniis scripturarum, quæ sæpius exigunt, ut peccatores, vel *ex corde*, vel *ex toto corde* convertantur. Cordis enim nomine non nisi voluntas intelligitur. Colligitur etiam ex Concilio Trid. sess. 6, c. 6, ubi pœnitentiæ ordinem & actus describens ait: *disponuntur* (homines) *ad justitiam . . . . dum peccatores se esse* intelligentes. . . *moventur adversus peccata per odium aliquod*, *& detestationem*. Porro odium, ac detestatio peccati ad voluntatem pertinet.

Q. 2. Quodnam est subjectum remotum pœnitentiæ?

R. Quemadmodum voluntas, a qua eliciuntur pœnitentiæ actus, subjectum *proximum* dicitur, ita persona pœnitentiæ actus eliciens, vel habitu pœnitentiæ prædita, vocatur subjectum *remotum*; adeoque idem est quærere quodnam sit remotum pœnitentiæ subjectum, ac in qua persona vel sit, vel esse possit pœnitentia sive quoad habitum sive quoad utrumque. Antequam porro quidpiam decernamus, notandum prius est pœnitentiam spectari posse vel prout dumtaxat habitus quidam est virtutis specialis, vel etiam secundum actus non convenientes. Existunt enim e. g. in Beatis quædam virtutes puta temperantiæ, castitatis &c. quorum tamen actus nec exercent, nec exercere jam valent. Rursus tum actus, tum habitus pœnitentiæ considerari possunt vel secundum propriam nominis significationem: quo sensu idem sunt ac odium, & dolor de proprio peccato: vel secundum efficaciam rei: quo sensu nihil aliud pœnitentia exprimit, quam actum, vel habitum tendentem ad destructionem offensæ Dei, sive hæc ex proprio, sive ex alieno facto procedat. Hoc posito quæstio solummodo fieri potest, vel de Christo Domino, vel de hominibus æterna felicitate donatis, vel de damnatis, vel demum, & de peccatoribus. Compertum quippe est pœnitentiam tum quoad actum, tum quoad habitum hominibus justis in hac vita degentibus convenire. Pro qua

Resp. 1. In Christo Domino non fuit pœnitentia secundum propriam nominis significationem: fuit tamen quoad efficaciam rei.

Prima pars traditur a D. Thoma 3 p. q. 84, a. 7, ad 4: ac probatur: quoniam pœnitentia juxta propriam nominis significationem est dolor actualis, vel habitualis de proprio peccato: atqui hujusmodi dolor non potuit inesse Christo, qui *peccatum non fecit*, ut inquit S. Petrus Ep. 1, c. 2, immo vi hypostaticæ unionis ab intrinseco impeccabilis erat. Igitur &c.

Altera vero pars constat: quia in eo fuit pœnitentia *secundum efficaciam rei*, qui de alieno peccato sincere doluit, illudque efficaciter abolevit. Atqui Christus Dominus utrumque præstitit, igitur &c. Atque hoc sensu Christo etiam in cælis pœnitentia convenit: quoniam perseverat in ipso voluntas de abolendis peccatis nostris virtute meritorum suorum.

Resp. 2. Pœnitentia quoad habitum remanet in Beatis.

Prob. siquidem in Beatis eæ omnes virtutes remanent quæ nullam involvunt cum statu beatitudinis repugnantiam. Atqui habitus pœnitentiæ nullam involvit cum statu beatitudinis repugnantiam. Quid enim habitus ille in seipso separatus importat, nisi dispositionem quamdam, aut proclivitatem ad detestandum quidquid mali *in via* commissum est? Hæc vero dispositio nihil exprimit, quod beatitudini *Patriæ* aversetur. Igitur sicut in Patria aliæ remanent quoad habitum virtutes, quarum actus in eo statu elici nequeunt; ita & habitum pœnitentiæ remanere dicendum est.

Inquies: in Beatis non manet fides, & spes: igitur neque pœnitentia.

Disparitas satis perspicua est ex ipsa ratione proposita. Nam fides, & spes in cœlo quidpiam habent sibi directe contrarium, nempe lumen gloriæ, & perfectam divinæ essentiæ possessionem. At pœnitentiæ habitus nihil in cælis habet, quod directe sibi repugnet.

R. 3. In Damnatis non est pœnitentia nec quoad actum, nec quoad habitum.

Hanc propositionem tradit S. Thomas 1 p. q. 64, a. 2, ubi in corp. oppositam sententiam tamquam errorem fidei repugnantem refutat, & in resp. ad 2, tum Dæmones, tum homines damnatos pœnitentiæ incapaces expresse declarat.

Et quidem quod actus veræ pænitentiæ in damnatis non sit, ex eo liquet quod hujusmodi actus nonnisi gratiæ prævenientis auxilio elici potest, ut decrevit Trid. Synodus, *sess.* 6, *Can.* 3; in reprobis autem damnatis nullum est gratiæ prævenientis auxilium, quod solis viatoribus conceditur: & sicut ab illis nulla *redemptio* speranda est; ita nec actus aliquis pænitentiæ, qui ad eam obtinendam disponat, in iisdem est admittendus.

Quod autem nec pœnitentiæ habitus in damnatis permaneat, prob. quoniam nullus remanet

net in damnatis habitus supernaturalis per se ad agendum ordinatus: qua de causa tum fidei tum spei habitus unanimi Theologorum consensu ab ipsis excluduntur. Porro pœnitentia habitus supernaturalis est, & ad agendum ordinatur. Igitur &c. Atque ex hoc corruit argumentum, quod fieri contra valet, nimirum quod in damnatis remaneat character Sacramenti vel baptismi, vel confirmationis, & Ordinis; qui est aliquid supernaturale, adeoque remanere etiam possit pœnitentiæ habitus, tametsi supernaturalis. Corruit, inquam, hoc argumentum: character enim Sacramentalis ad operationem ex se minime tendit, sed ad id præcipue datur, ut animam consignet; adeoque remanet in damnatis ad majorem ipsorum ignominiam, & confusionem. At vero habitus pœnitentiæ de se ordinatur ad actus, & quidem pios, ac salutares: quorum damnati penitus sunt incapaces.

Inquies adversus priorem propositionis partem.

Sap. Cap. 3. Reprobi in inferno exhibentur ut *pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*. Igitur datur in ipsis actualis pœnitentiæ locus.

℞. *Pœnitentiam*, de qua scriptura loco laudato loquitur, nil aliud esse quam diros animi angores, ac cruciatus, quibus torquentur, & in desperationem adiguntur, ut ex eodem loco facile constat. Nos autem inficiamur in ipsis dolorem, ac detestationem, qua moveantur adversus peccata, prout sunt offensa Dei.

R. 4. In homine viatore lethali crimine infecto non est habitus pœnitentiæ.

Prob. quoniam habitus pœnitentiæ gratiam sanctificantem præsupponit, ac profluit ex caritate, cum qua infunditur, ut & cæteræ virtutes supernaturales. In homine autem viatore peccato lethali infecto non est gratia sanctificans, nec habitualis caritas: igitur neque habitus pœnitentiæ.

QUESTIO SECUNDA.

De Sacramenti pœnitentiæ existentia & veritate.

¶ PŒnitentia prout Sacramentum est definiri solet a Theologis: *Sacramentum a Christo Domino institutum, quo per juridicam Sacerdotis absolutionem, homini contrito, confesso, & satisfactionem promittenti, remittuntur peccata post baptismum commissa*. Apud Patres non uno eodemque nomine donata est. Interdum appellatur *manuum impositio* a ritu quo peccatores olim reconciliari consueverant. Ut autem hæc ab ea secerneretur, quæ fieri solet in Confirmatione, vel Ordine, *impositio reconciliatoria* dicta est. Frequenter *exomologesim*, tum Græci, tum etiam latini Patres appellant desumpto nomine ab aliqua ejus parte, nempe *confessione*. Eam quoque vocant, vel *secundam tabulam post naufragium*, vel *baptismum laboriosum*, sive etiam *lacrymarum*, vel *medelam delictorum*, vel demum *pacem*, & *reconciliationem*. Hoc obiter præmisso:

Prima, quæ occurrit solvenda difficultas, hæc est: ¶ quorsum scilicet pœnitentiam, cum virtus sit, voluerit Christus novæ legis Sacramenti titulo ac dignitate augere? nam cum remittendis peccatis, & homini in Dei amicitiam restituendo virtus ipsa pœnitentiæ plene absoluteque sufficiat; videbatur superfluum, quod ad officium Sacramenti eveheretur.

R. Dei, qui frustra nihil operatur, beneficio sic esse dispositum; quo facilior homini pateret ad gratiam aditus; eidemque post violatam baptismi sanctitatem, secunda tabula objiceretur; qua opitulante posset emergere e naufragio.

„ Nam, inquit Conc. Trid. catechismus, „ (*part. 2, tit. de sacr. pœn. n. 46 & seq.*) „ ut hoc concedamus, contritione (virtute scilicet pœnitentiæ) peccata deleri: quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit? at quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent; fiebat etiam ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset: quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret: quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves Regni cælestis Ecclesiæ tradidit: etenim ex fidei catholicæ doctrina omnibus credendum & constanter affirmandum, si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat; etsi ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit; ei tamen cum peccata sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium (Sacramenti scilicet) scelera omnia remitti ac condonari".

Cui quidem causæ duas alias ex eodem catechismo, easque admodum convenientes annectimus: " in primis autem, inquit, (*ib. n. 14*) „ explanandum fidelibus videtur, quare factum sit, ut Christus Dominus pœnitentiam in numerum Sacramentorum referri voluerit: hujus autem rei illa omnino causa fuit, ut nobis de remissione peccatorum, quam Deus pollicitus est, cum ait, (Ezech. 21, & seq.) si impius egerit pœnitentiam ab omnibus pec- „ catis

„ catis suis . . . vita vivet, & non morietur „ &c. minus dubitare liceat; vehementer e- „ nim pendere animo de intima pœnitentia o- „ pus esset, cum de suo cuique judicio in iis „ quæ agit, merito timendum sit; ut ergo „ Dominus huic nostræ sollicitudini subveni- „ ret, pœnitentiæ Sacramentum instituit, quo, „ per sacerdotis absolutionem, peccata nobis „ remissa esse consideremus, conscientiæque „ nostræ propter fidem quæ Sacramentorum „ virtuti merito habenda est, pacatiores red- „ derentur: neque enim aliter accipienda est „ vox sacerdotis, peccata nobis legitime con- „ donantis, quam Christi Domini, qui ait pa- „ ralytico: (*Matth.* 9, 2.) confide fili, remit- „ tuntur tibi peccata tua.

„ Deinde vero, cum nemo salutem, nisi per „ Christum, ejusque passionis beneficio conse- „ qui possit: consentaneum, nobisque utilissi- „ mum fuit, ejusmodi Sacramentum institui, „ cujus vi, & efficientia Christi Sanguis ad „ nos defluens, peccata post baptismum com- „ missa elueret; atque ita reconciliationis be- „ neficium illi uni Salvatori nostro acceptum „ referre profiteremur“.

Itaque instituendi pœnitentiæ Sacramenti causa Deo fuit, nostra utilitas, ut nimirum secundæ post naufragium tabulæ, nova virtute donatæ adminiculo, ad portum salutis promptius, tutius, & efficacius possemus confugere; ut enim observat S. Thomas, (3 *p.q.* 89, *art.* 1, *ad* 1) *virtutem inter & Sacramentum pœnitentiæ hæc differentia est, quod pœnitentia in quantum est virtus, sit effectus gratiæ, in quantum vero est Sacramentum, gratiæ causa existat.*

Sed quæritur modo, utrum revera pœnitentiæ Sacramenti dignitas veritasque asseri possit: id est, utrum quæ virtus hactenus fuerat, ad hunc honoris gradum a Christo perducta sit, ut Sacramenti efficaciam & dignitatem haberet? parvum enim fuerit, rei alicujus instituendæ convenientiam ratione probabili suadere, nisi certis argumentis ejusdem institutio adstruatur.

§. PRIMUS.

***Ostenditur**, ante sæculum decimum sextum a nemine Christiano Sacramentum Pœnitentiæ esse negatum.*

Magnum porro pro catholica sententia præjudicium petitur ex antiquitate doctrinæ, quæ pœnitentiam Evangelicis Sacramentis annumerat: cum enim quod apud omnes unum invenitur, non ab hominibus inventum, sed a Deo sit traditum; plane erit confitendum, pœnitentiam in Sacramentis habere locum, si semel constiterit, dogma illud, ad decimum sextum usque Ecclesiæ sæculum, ubique fuisse, nemine contradicente, retentum: quod non est difficile demonstrare: nam annales Ecclesiæ revolventi, præter Montanistas, Novatianos, Waldenses, & Wicleffistas, nulli reperiuntur hæretici perperam de pœnitentiæ Sacramento sensisse; atqui hi omnes pravis licet, circa potestatem clavium, & reconciliationis ministerium opinionibus occupati, non negarunt tamen absolute pœnitentiam esse Sacramentum.

Atque ut de Montanistis primo dicamus: illi pœnitentiam ex albo Sacramentorum non expungebant, qui e contra affirmabant, pleraque esse peccata, quæ per claves Ecclesiæ vere pœnitentibus possent sacerdotum sententia condonari: clavium enim potestas, ipsissimum est pœnitentiæ Sacramentum, ut magis ex dicendis infra constabit; atqui Montanistæ etsi pleraque esse peccata irremissibilia effutirent; multorum tamen remittendorum potestatem in ministris Ecclesiæ agnoscebant: hinc peccata in duas veluti classes dividebant: remissibilium scilicet ab Ecclesia; & irremissibilium. *Delicta*, inquiebat Tertullianus e catholico Montanista infeliciter factus (*lib. de pudicit. c.* 2), *dividimus in duos exitus: alia sunt remissibilia, alia irremissibilia*; & ejusdem libri c. 18 affirmabat, levioribus delictis veniam ab Episcopo dari: majoribus & irremissibilibus, a Deo solo . . . & c. 19 adductis quibusdam leviorum peccatorum exemplis: *horum ergo*, ajebat, *erit venia per exoratorem Patris Christum: sunt autem & contraria istis, & graviora, & exitiosa, quæ veniam non capiant, homicidium, idololatria, negatio, blasphemia, utique & mœchia & fornicatio, & si qua alia est violatio templi Dei.* Itaque non in hoc Montanistæ errabant, quod negarent pœnitentiam esse Sacramentum; sed quod virtutem ejus ad omne peccatum extendi inficiarentur.

Novatianorum porro eadem ac Montanistarum est causa: si enim negassent pœnitentiam esse Sacramentum, claves Ecclesiæ penitus sustulissent, neque ullam vel minimam ei reliquissent peccatorum remittendorum facultatem: atqui non omnino, sed ex parte, potestatem hanc Ecclesiæ denegabant: ut enim testatur S. Ambrosius, (*lib.* 1 *de pœnit. cap.* 2) *exceptis gravioribus criminibus, veniam levioribus relaxabant.* Sacramentum ergo pœnitentiæ non negabant, licet contra Christi mandatum, ad certa peccata, aliis exclusis, arctarent.

Mo-

Monitum.

De Montanistarum & Novatianorum errore operosior disquisitio quæstione tertia sequente futura est: hic enim proprius erit locus quærendi, an sit, ut volebant illi, aliquod peccatum irremissibile?

De Waldensibus, quod pœnitentiam pro vero legis novæ Sacramento habuerint persuadet:

1. Scriptorum silentium, qui diversos eorum errores observaruot & expresse refutaruot: verisimile namque non est, hæresim adeo gravem prætermissuros, si revera fuisset a Waldensibus propugnata; atqui nemo reperitur, qui eos negati pœnitentiæ Sacramenti accusaverit: ergo &c.

2. Illi Sacramentum pœnitentiæ non auferebaot, qui ejus dispensandæ ministerium ad ipsos laicos extendebaot: atqui Waldenses pœnitentiæ administrationem laicis ipsis jure divino competere mordicus propugnabant: tantum enim discrimen malos inter sacerdotes, & bonos laicos faciebaot, ut vellent illos, hoc ipso quod mali foreot, jure absolvendi excidere; istos, quia bonos, ad sacrum ministerium jus habere. *Dicunt Waldenses*, ait Reynerius (*de Sacr. pœn. c.* 5) *quod nullus possit absolvi a malo sacerdote: item quod bonus laicus potestatem habet absolvendi: item, quod confitendum sit potius bono laico, quam malo sacerdoti*: (1) ergo non contra Sacramentum pœnitentiæ, sed contra mioistrum ejus errabant.

Denique de Joanne Wicleffo & ejus discilis hoc ipsum multi scriptores affirmant, quod pœnitentiam pro vero Sacramento habueriot. Wicleffus enim l. 4 Trialogi, c. 10, 14, 23, 25, & 32 diserte docuit, ut observat Illustrissimus Bossuetius Meldensium in Gallia Episcopus, *in historia variationum*, (*lib.* 11, *n.* 154) vere in Ecclesia potestatem clavium residere, eam tamen valide non exerceri nisi ab iis qui Christum, ejusque sanctitatem imitarentur: atque adeo malos Sacerdotes absolvendi jure excidere, eodemque bonos laicos plene frui; unde consequens est Wicleffum non circa Sacramentum pœnitentiæ, sed circa ministrum errasse.

Ejusdem rei argumentum non leve hinc petitur, quod *Joannes Huss*, cui in verba *Wicleffi* jurare solemne erat, in numero Sacramentorum pœoiteotiam, oemine diffiteote locaverit, ut observat idem illustrissimus scriptor ib. (*lib.* 11, *n.* 165).

Monitum.

Waldensium & Wicleffistarum error qu. 9 refutabitus, ubi agetur de ministro Sacramenti pœoitentiæ.

§. SECUNDUS.

Primi omnium sæculo decimosexto Lutherani, Zuingliani, & Calvinistæ a fide Sacramenti pœnitentiæ recesserunt.

Certum itaque est, ad sæculum usque decimumquiotum, inauditum Christianis fuisse errorem, quo pœnitentia a numero Sacramentorum excluditur: reservabatur ad sæculum a Christo nato 16 ingens illa calamitas: hoc nimirum tempore oati infeliciter Lutherani, Calvioiani, & Zuingliani, Ecclesiam male perdere, & uoiversa ejus proculcare dogmata, inito fœdere sacrilego attentarunt: oec pœnitentiæ magis quam reliquis mysteriis pepercerunt.

Calvinus & Zuinglius.

Calvinus quidem sola baptismatis recordatione opus esse affirmat, ad expianda peccata quælibet post baptismum perpetrata: adeoque superfluum esse pœnitentiæ Sacramentum: *neque vero existimandum est*, inquit, (*lib.* 4 *instit. cap.* 15) *baptisma in præteritum duntaxat tempus conferri, ut novis lapsibus in quos a baptismate recidimus, quærenda sint alia novæ expiationis remedia in aliis nescio quibus Sacramentis . . . sic autem cogitandum est, quocumque baptizemur tempore, nos semel in omnem vitam ablui, & purgari: itaque quoties lapsi fuerimus, repetenda erit baptismi memoria, & hac armandus animus, ut de peccatorum remissione semper certus securusque sit: nam etsi administratus præteriisse visus sit; posterioribus tamen peccatis non est abolitus, puritas enim Christi in eo nobis*

(1) *Integra Reynerii sententia hæc est, qua A. assertio amplius constabilitur.* Dicunt (*Valdenses*), quod nullus possit absolvi a malo Sacerdote. Item, quod bonus laicus potestarem habeat absolvendi. Item quod ipsi per maous impositionem peccata dimittant, & dent spiritum Sanctum. Item, quod confitendum sit potius bono Laico, quam malo Sacerdoti. Item, quod non gravis pœnitentia sit imponenda exemplo Christi: *vade, & jam amplius noli peccare.* Item publicas pœnitentias reprobant, maxime in fœminis. Item, quod generalis confessio non sit singulis annis facienda.

nobis oblata est: ea semper viget, nullis maculis opprimitur: sed omnes nostras sordes abluit & extergit . . . equidem scio aliud communiter receptum esse, pœnitentiæ & clavium beneficio nos obtinere post baptismum remissionem, quæ prima regeneratione per solum baptismum nobis datur, sed qui hoc comminiscuntur, in eo errant, quod non cogitant potestatem clavium, de qua loquuntur, a baptismo sic pendere, ut nullo modo separari debeat . . . & hic error commentitium pœnitentiæ Sacramentum nobis peperit.

Ita Calvinus loco cit. idemque multis confirmare aggreditur argumentis, ib. c. 19, n. 15 & seq.

Ex hoc autem falsæ doctrinæ commento infert homo vaferrimus

1. Confessionem peccatorum jure divino non præcipi, sed humano: nullamque de ea legem ante *Innocentii III* Pontificis Maximi tempora fuisse sancitam.

2. Potestatem absolvendi a peccatis, Sacerdotibus novi Testamenti a Christo datam non esse.

3. Eadem facilitate peccata post baptismum commissa deleri, ac illa quæ baptismum præcesserunt.

4. Satisfactione nulla teneri pœnitentes, nec Deum hujusmodi pœnis placari posse, immo irritandum magis, propterea quod cum efficacia mortis Christi satisfactiones hominum aperte pugnent.

Itaque si Calvino fides, quodcumque peccatum quantumlibet horribile ac nefarium, homo baptizatus committat: modo baptizatum se esse meminerit, sibi protinus condonari, debet sine dubitatione confidere: quæ doctrina quam facilem ad omne peccati genus viam sternat, nemo non videt.

Eadem Zuinglii paulo ante Calvinum doctrina fuit, in libro *de vera & falsa Religione*, quam deinceps Zuingliani omnes amplexi sunt, quomodo Calvinum secuti sunt iis, quos Calvinianos appellant.

Monitum.

Vesana dogmata contra confessionem Sacramentalem, satisfactionem, & potestatem absolvendi Sacerdotibus datam, iisque solis, suis locis pro merito refellentur, qu. scilicet 5, 6, & 9.

Lutherus.

Calvinum ille aliquanto præcesserat: tanta porro ejus in hac quæstione varietas & inconstantia fuit, ut in uno eodemque libro *de captivitate Babylonica*, modo affirmaverit, modo negaverit pœnitentiam esse Sacramentum: non longe enim ab initio ita dixerat: *principio neganda mihi sunt septem Sacramenta, & tria tantum pro tempore ponenda, baptismus, pœnitentia, & panis*: mox vero in ejusdem libri fine quod ante affirmaverat revocando: *proprie*, inquit, *ea Sacramenta vocari visum est, quæ annexis signis promissa sunt: quo fit, ut si rigide loqui volumus, tantum duo sint in Ecclesia Dei Sacramenta, baptismus & panis: cum in his solis & insitutum divinitus signum, & promissionem remissionis peccatorum videamus; nam pœnitentiæ Sacramentum quod ego his duobus accensui, signo visibili, & divinitus instituto caret: & aliud non esse dixi, quam viam & reditum ad baptismum.*

Lutherani.

Patriarchæ sui inconstantiam Lutherani sunt imitati; sic enim *Melanchthon* fidelissimus ejus discipulus, *in locis communibus* edit. an. 1522 pœnitentiam sacramentum esse negavit; postmodum vero an. 1543 in nova ejusdem operis editione priorem sententiam retractavit, & pœnitentiæ in sacramentis Evangelicis locum dedit; indeque factum, ut discipulorum Lutheri alii deinceps mordicus negaverint, alii consenserint pœnitentiam esse sacramentum; nam in Apologia Augustanæ confessionis diserte hoc declaratur; (1) contra vero *Kemnitius*, *Matthias Illyricus*, & alii multi, præter baptismum & Eucharistiam, nullum sacramentum admittunt.

Fatendum tamen hac nostra ætate plerosque hujus sectæ hæreticos sacramentum pœnitentiæ concedere: utuntur enim communiter edito a Luthero catechismo, in quo, ut observat Illustrissimus Meldensium Episcopus (*histor. variationum lib.* 3, *num.* 48) præcipitur, ut minister audita confessione Pœnitentem his verbis absolvat: *Ego ex Christi man-*

(1) *Augustanæ Confessionis verba hæc sunt* N. 12. De confessione peccatorum docent *Evangelici*, quod absolutio privata in Ecclesiis retinenda sit, quamquam in confessione non sit necessaria peccatorum enumeratio: est enim impossibilis enumeratio omnium delictorum juxta illud: delicta quis intelligit? *Et infra inter articulos de abusibus mutatis* N. 4 *hæc habentur*: Confessio in Ecclesiis apud nos non est abolita. Non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis, & absolutis. Sed de Confessione docent nostri, quod enumeratio delictorum non sit necessaria, nec sint onerandæ conscientiæ cura enumerandi omnia delicta &c.

mandato remitto tibi peccata tua, in nomine Patris, & Filii, & Sp. sancti.

§. TERTIUS.

Pœnitentiam esse verum Legis Evangelicæ Sacramentum omni argumentorum genere demonstratur.

Contra hos omnes cum Ecclesia catholica profitemur, pęnitentiam esse verum ac proprie dictum sacramentum prorsus a baptismo diversum.

Fidei doctrina hæc est, in Trid. Concilio variis canonibus confirmata.

Si quis dixerit, inquit, (*Sess.* 14, *Can.* 1) *in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere & proprie sacramentum, pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum: anathema sit.*

Si quis sacramenta confundens, (*Ib. Can.* 2) *ipsum baptismum, pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint; atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari: anathema sit.*

Si quis dixerit, (*Ib. Can.* 3) *verba illa Domini Salvatoris*: accipite Sp. Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt; *non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem contra institutionem hujus sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium: anathema sit.*

PROBATIO PRIMA.

Ex scripturis.

Primum hujus dogmatis in verbo Dei scripto est fundamentum, quod subruere nequicquam hæretici moliuntur.

Ait enim ad Petrum Christus: (*Matt.* 16, 19) *tibi dabo claves Regni cœlorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.*

Deinde ad omnes Apostolos eamdem potestatem extendens: (*ib.* 18, 18) *amen dico vobis*, inquit, *quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.*

Multoque expressius in Evangelio Joannis; (*Joan.* 20, 21) *sicut misit me Pater, & ego mitto vos; hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Hinc enascitur argumentum:

Sacramentum novæ legis est, res sensibus subjecta, quæ ex institutione Dei sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet: unde consequens est, tribus conditionibus constitui in se ipso ac definiri, quod ne ipsi quidem negare audent hæretici; 1 est, ut sit ritus externus: 2 ut habeat divinum mandatum: 3 ut adjunctam gratiæ promissionem importet; atqui ex adductis auctoritatibus evidens est, tres illas conditiones pœnitentiæ convenire.

1. Ritus externus est: nam Christus per hæc verba: *quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*: Apostolis & futuris eorum in perpetuum successoribus judiciariam potestatem communicat; adeoque vult ab illis ferri erga peccatores judicium, quomodo in foro civili a Magistratibus exercetur: consequens ergo est, ut ritu sensibili sententia ab illis pronuncietur.

Quomodo enim peccator absolutum esse se, aut ligatum intelliget, nisi sibi fuerit a judice declaratum? quomodo vero sententiæ erit conscius, nisi via sensibili de sacerdotis decreto certior fiat? nam cum homo, spiritus totus non sit, sed partim ex anima concretus & corpore; non immediate de voluntate alterius, sed medio signo sensibili admonetur: alioquin perpetuo futurus incertus; fatendum ergo, hanc potestatem non posse sine ritu externo & sensibili exerceri: quod tunc sane fit, cum homo pœnitens peccata omnia, quorum memoriam habet, sacerdoti, humili confessione declarat; & sacerdos causa cognita ac diligenter discussa, sententiam absolvendo aut ligando pronuntiat.

2. Quod ritus ille sit divinitus imperatus, probatione non eget: non enim a Moyse aut a quovis simplici homine dictum est, sed a supremo Legislatore Christo, qui Deus & homo est: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos: accipite Sp. sanctum: quorum remiseritis peccata* &c. quid vero est mittere ad remittenda peccata, nisi ut remittantur, aut prout æquum fuerit, retineantur, præcipere: cum ipsa mittendi actio præceptum includat? quemadmodum itaque in his verbis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Sp. sancti*: præceptum Domini intelligimus, sine quo Sacramentum baptismus non esset; ita in aliis: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, &c. mandatum continetur, in favorem, aut condemnationem reorum, sacerdotum ministerio in perpetuum adimplendum.

3. Quod habeat ritus idem conjunctam gratiæ

tiæ promissionem & efficientiam, non minus est evidens: nam.

Primo, si duo quædam sic inter se compararentur, ut infallibiliter unum sequatur ex altero, merito conjuncta dicuntur: quomodo dicimus, intimam solis cum luce esse connexionem, quia hoc ipso quod sol comparet, consequens est esse lucem: atqui statim ac sacerdotes Apostolorum in sancto ministerio successores, potestatem remittendi peccata exercent, nisi grave obstet ex parte subjecti impedimentum, infallibiliter absolutio sequitur: *quorum remiseritis peccata*, ait, *remittuntur eis*; non dicit: continget forte ut remittantur, sed: *remittuntur*; non dicit; dubium in cœlis erit judicium, quod in terra pronuntiaveritis: sed, *quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis*; non ait; sine potestate mitto vos: sed: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: id est: quemadmodum æternus Pater, amplissima auctoritate instructum in mundum me misit, ad peccata dimittenda, & salutem hominum procurandam; eadem ego auctoritate mitto vos, ut mei in perpetuum adjutores sitis, & pro me legatione fungamini: ergo &c.

Secundo: peccata homini condonari, & redire cum Deo in gratiam, duo sunt intime conjuncta; numquam enim contingit peccata dimitti, quin simul gratia sanctificans infundatur; atqui ritus absolvendi, conjunctam habet peccatorum remissionem: ergo & gratiam; atque adeo importat pœnitentia omnes veri legis novæ sacramenti conditiones, quod erat scripturæ auctoritate demonstrandum.

PROBATIO SECUNDA.

Ex præscriptione.

Alterum ex præscriptione sæpe decantatum argumentum recurrit, quantum Ecclesiæ Catholicæ ad defensionem fidei opportunum, tantum adversariis veritatis incommodum, sic vero proponitur:

Sæculo 16 quando Lutherani, Zuingliani, & Calviniani, S. matri Ecclesiæ bellum crudelissimum intulerunt, res erat per omnes occidentis & orientis provincias communi consensione recepta, pœnitentiam verum esse Sacramentum a baptismo diversum, solisque post baptismum lapsis, ad gratiæ recuperationem administrandum; atqui fides hæc omnium retro temporum fuerat, ab ipsis Apostolis, atque adeo a Christo Apostolorum doctore accepta: ergo pœnitentiam esse sacramentum præjudicata res est: adeoque merito actione submoti novelli hæretici, quando possessionem tam diuturnam perturbare moliti sunt.

Probatio Primæ Propositionis.

Probatur argumentum per partes.

Ac de Occidentali quidem Ecclesia, primam propositionem inficiari hæretici nequeunt: ut quid enim tantam sæculo decimosexto seditionem contra latinam Ecclesiam concitassent, si una secum sensisset, duo tantum esse Sacramenta, baptismum & panem: pœnitentiam vero non aliud quidquam esse, quam accepti baptismi memoriam? nam ubi animorum sensuumque consensio est, controversiæ locus non superest; deinde hoc ipsum ingenue fatetur Calvinus, *equidem scio*, inquit, (*lib. 4 instit. cap. 15*) *aliud communiter receptum esse, pœnitentiæ & clavium beneficio nos obtinere post baptismum remissionem, quæ prima regeneratione per solum baptismum nobis datur, sed qui hoc comminiscuntur, in eo errant, quod non cogitant potestatem clavium de qua loquuntur, a baptismo sic pendere, ut nullo modo separari debeat . . . & hic error nobis peperit pœnitentiæ Sacramentum*: itaque teste Calvino, pœnitentiam esse Sacramentum in latina Ecclesia communiter ejus ætate receptum erat.

Quod vero ad Græcos pertinet & Orientales, non minus est certa prima propositio; statim enim atque in Oriente fama percrebuit, novas in Occidente hæreses excitatas, & omnia a Lutheranis eorumque similibus antiquæ doctrinæ dogmata conturbari: fidem suam Græci, & cæteri transmarini sine tergiversatione, nullaque facta mora professi sunt; atque præter cætera capita declararunt, septem esse legis Evangelicæ Sacramenta, non aliunde quam a Christi traditione deducta, & in iis pœnitentiam habere locum: hæc nimirum *Jeremiæ Constant. Gabrielis Philadelphiensis, Meletii Patriarchæ Alex. Coressii, Gregorii*, & aliorum declaratio fuit, pluribus Synodorum, quæ per has regiones coactæ sunt, canonibus confirmata.

Itaque sæculo 16 Calvinus, Zuinglius, & alii pœnitentiæ hostes, non contra Occidentem tantum, sed & contra Orientem (publici omnium hostes) pugnabant, eoque hoc certius est, quod ex historia horum temporum constet, *Cyrillum Lucar*, Constantinop. Ecclesiæ pseudo-patriarcham, & Lutheranorum magno suo malo fœderatum, damnatum a suis ea de causa fuisse, quod duo tantum Sacramenta, rejectis aliis, retinenda esse dixisset, hancque suam hæresim Orientalibus Ecclesiis insigni impudentia affinxisset: sic Concilium Constantinop. sæpe alias memoratum: " (*an. 1638.*) " anathema, *inquit*, Cyrillo nova dogmata fa-" bricanti, & credenti, non esse ex institutio-

„ ne Jesu Christi, Apostolorum traditione, „ praxique perpetua, septem Ecclesiæ Sacramenta, baptisma videlicet, chrisma, pœnitentiam, Eucharistiam &c."

Probatio secundæ Propositionis.

Nec minus constat altera ejusdem argumenti pars. Nam

1. Si nova, ut calumniantur, sæculo 16 erat doctrina pœnitentiæ; contradicentium maxime intererat, novitatem probabili testimonio propalare: actoris enim est, causam accusandi afferre, ne nimirum mali litigatoris incurrat invidiam: atqui Calviniani, Zuingliani, & alii, ostendere hactenus plausibili ratione non potuerunt, pœnitentiæ Sacramenti doctrinam de novo in Ecclesiam irrepsisse: ergo hoc suo silentio semetipsos prodiderunt, sibique notam atrocis calumniæ inusserunt.

2. Quam antiqua sit fides de Sacramento pœnitentiæ invicte demonstrant lata superioribus ætatibus contra Montanistas, Novatianos, Waldenses, & Wiclefistas decreta; nam ut constat ex supra dictis, illorum cum Ecclesia Catholica consensio erat, virtute clavium a Christo Apostolis & eorum successoribus traditarum, peccata post baptismum commissa remitti; tantumque in hoc dissentiebant, quod alii quidem nollent ad omnia peccata potestatem illam extendi; alii contenderent, jus absolvendi bonis laicis convenire, & penes malos sacerdotes esse negarent: ergo utrimque indubitata res erat, pœnitentiam esse Sacramentum: cum non de re, sed de modo rei controversia foret.

3. Nisi assentiamur pœnitentiam ab ipsis Ecclesiæ primordiis in Sacramentorum numero fuisse locatam, nihil superesset quod valeamus antiquitatis auctoritate certo probare: ita enim diserta sunt de hac re patrum testimonia, ut cæcum esse oporteat qui non viderit, ab illis pœnitentiæ Sacramentum agnitum & propugnatum; nam quæso quid aliud nisi Sacramentum significat, illa clavium potestas, quam in Ecclesia residere, & ab ejus ministris exerceri, tam aperte prædicant? quid concursus populorum ad sacerdotes undique obtinendæ veniæ causa confugientium? quid illæ plebium querelæ, quas *Victor Uticensis*, in historia persecutionis Vandalicæ memorat: (*lib.* 2) *quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia, obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est: quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cœlis?* quid illa peccatorum distinctio, quorum alia pœnitentia publica plecti deberent, alia privatim & clanculum expianda? quid canones pœnitentiales dicti, modum, tempus, & formam satisfactionis pro crimine quolibet præscribentes? quid confessio pœnitentium? quid absolutio Sacerdotum? quid satisfactionum rigor? quid denique disciplinæ, pro diversis locorum ac temporum circumstantiis, relaxio aut severitas? quis crediderit patres jugum adeo grave impositiuros fidelibus, aut fideles colla patienter submissuros, si existimatum priscis temporibus fuisset, peccata quælibet quantumvis gravia, sola recordatione baptismatis deleri & expiari?

4. Quid opus longiore inquisitione est, cum ejus rei fidem faciant antiquissima latinorum & orientalium ritualia, quæ omnium manibus terebantur, & ubique gentium sine contradictione vigebant? in iis enim omnia præscribuntur, quæ ad Sacramenti pœnitentiæ ministerium pertinent: modus confessionis, satisfactionum norma, forma absolutionis statuitur: quodque mirum magis, veterum omnium hæreticorum ac schismaticorum cum Catholicis in hoc capite plena consensio est: quod argumentum convincens est, fidem hanc non in conturbatione hæresum aut schismatum, sed in centro unitatis, omni hæresi & schismate antiquiore a Christo & Apostolis seminatam.

Quæ cum ita sint, fatendum nostram, idest Catholicam de pœnitentiæ Sacramento doctrinam, nec esse novam, nec a quoquam homine introductam, sed revelatam a Christo: quia necessarium est, de fonte veritatis descendere, quod ubique, & semper, & ab omnibus est retentum.

PROBATIO TERTIA.

Ex Traditione.

Tertium petimus argumentum ex traditione, cujus testes tot pene afferri possent, quot usquam vixere patres, nisi nostri esset officii divina dogmata compendiose tractare.

Tertullianus: (*lib. de pœn. c.* 7) *pervicacissimus hostis* (Diabolus) inquit, *numquam malitiæ suæ otium facit, tunc maxime sævit, cum hominem plene sentit liberatum . . . itaque observat, oppugnat, obsidet, si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris sæcularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine evertere, aut a via certa perversis traditionibus detorquere, non scandalis, non tentationibus deficit; hæc igitur venena ejus providens Deus, clausa licet ignoscentiæ janua, & intinctionis sera obstructa,* ali-

aliquid adhuc permisit patere: collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat . . . (*ib. cap.* 12) *igitur cum scias, adversus gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ monimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi?*

¶ Origenes homil. 2 in Levit.: *non erubescit peccator Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam.* ¶

S. Cyprianus in Epist. ad S. Cornelium Pontificem Max. (*Ep.* 54) *statueramus*, inquit, *jam pridem, frater carissime, participato invicem nobiscum consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario & lapsi fuissent, & sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam; & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent . . . . quando permiserit ipse qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent; solvi autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia solverentur.*

¶ Diserta quoque ejusdem sententia, quam habet *Tract. de lapsis* c. 12, ubi ait: *confiteantur singuli, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Deum valet.* ¶

S. Pacianus Barcinonensis Episcopus Epist. 1, *Sympronianum* Novatianum, qui volebat gravissima peccata a solo Deo remitti posse, sic refutat: *solus hoc, inquies, Deus poterit, verum est: sed & quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est; nam quid illud est, quod Apostolis dicit: quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cœlis? cur hoc? si ligare hominibus ac solvere non licebat? an tantum hoc solis Apostolis licet? ergo & baptizare solis licet, & Sp. sanctum dare solis, & solis gentium peccata purgare: quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est . . . . si ergo lavacri & chrismatis potestas, majorum longe charismatum ad Episcopos inde descendit; & ligandi quoque jus adfuit atque solvendi, quod etsi nos id ob nostra peccata temerarie vindicamus; Deus tamen illud, ut Apostolorum Cathedram tenentibus non negabit.*

S. Joannes Chrysost. (*libr.* 3 *de sacerdotio*) *qui terram incolunt*, inquit, *atque in ea versantur, his commissum est, ut ea quæ in cœlis sunt, dispensent: iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis neque Archangelis datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est*: quæcumque alligaveritis in terra, erunt alligata & in cœlo: *habent quidem & terrestres principes vinculi potestatem, verum in corpus solum; id autem quod dico sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cęlos usque pervadit; usque adeo ut quæcumque inferne sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet: etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cęlestium potestatem illis a Deo concessam? quorumcumque, ait, peccata retinueritis, retenta sunt; quænam, obsecro, potestas hac una major esse queat? pater omnifariam filio potestatem dedit: cæterum video ipsam eamdem omnifariam potestatem a Deo filio illis traditam; nam quasi jam in cęlum translati, ac supra humanam naturam positi, atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt: quid multa? Rex aliquis si cui ex subditis suis honorem hunc detulerit; ut potestatem habeat quoscumque velit in carcerem conjiciendi, eosdemque rursus laxandi, beatus ille & admirandus omnium judicio fuerit; at vero qui a Deo tanto majorem accepit potestatem, quanto cęlum terra pretiosius est, quanto animæ corporibus præstant; hic vilem eo usque dignitatem accepisse nonnullis videri debet. . . . procul facessat hujusmodi; insania enim manifesta est, despicere tantum istum principatum, sine quo neque salutis, neque promissorum bonorum compotes fieri possumus. . . . . . . non solum sacerdotes cum regenerant, sed etiam postea condonandorum peccatorum obtinent potestatem.*

S. Ambrosius Novatianos redarguens: (*lib.* 1 *de pęnit. cap.* 2) *sed ajunt*, inquit, *se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent: imo nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere; nam cum ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus: accipite Sp. Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt: quis est qui magis honorat, an qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum & alliget & relaxet: hæresis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare quod non resolvit, non vult solvere quod ligavit: in quo se suamque sententiam sua damnat sententia: Dominus enim par jus esse voluit & ligandi & solvendi, qui utrumque pari conditione permisit. . . . . .* & paulo post eorumdem dementiam refutans: (*ib. cap.* 8) *cur baptizatis*, inquit, *si per hominem peccata remitti non licet? in baptismo enim utique remissio peccatorum omnium est: nec interest, utrum per pęnitentiam, an per lavacrum, hoc jus sibi datum sibi sacerdotes vindicent; unum in utroque ministerium est: sed dices quia in lavacro operatur ministrorum gratia: quid in pœnitentia? nonne Dei nomen operatur?*

S. Cyrillus Alex. (*lib.* 12 *in Joann.*) *duobus modis*,

modis, inquit, *Dei spiritu afflati homines peccata remittunt ac retinent: vel cum dignos admittunt ad baptismum, & indignos excludunt; vel cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, ac pœnitentibus ignoscunt.*

S. Hieronymus in dial. contra Pelagianos (*lib.* 1) affirmat, *duobus maxime Sacramentis nobis Sanguinem Christi applicari, in baptismate scilicet, & in pœnitentia, quæ imitatur baptismi gratiam.*

S. Aug. *Si a catechumeno*, ait, (*lib.* 2 *de adulterin. conjug. cap.* 16) *factum est homicidium, baptismate abluitur; si a baptizato, pœnitentia & reconciliatione sanatur...* & in Ep. ad *Bonifacium*: *si infans post baptismum propria incipit habere peccata, illa non regeneratione auferuntur, sed alia curatione sanantur....* rursus in altera ad *Honoratum*, (*al.* 180, *novæ edit.* 228) agens de persecutione Wandalica: *an non cogitamus*, inquit, *cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem atque erogationem? ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt?*

Denique S. Leo Pontifex Max. (*Ep.* 91 *ad Theodorum Episc. Forojuliensem*) *Multiplex misericordia Dei*, inquit, *ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ: ut qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent, sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri: mediator enim Dei & hominum homo Christus Jesus, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent; cui utique operi incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec unquam ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit, dicens:* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi: *Ut si quid per servitutem nostram bono ordine, & gratulando impletur effectu, non ambigamus per Sp. Sanctum fuisse donatum.*

Hinc eruo quæ sequuntur argumenta:

1. Si putarent Patres, pœnitentiam nihil aliud esse quam repetitam baptismi memoriam, hacque sola recordatione abstergi omnes sordes & maculas, quæ post acceptum baptismum contrahuntur; non dicerent lapsis post baptismum patere secundam pœnitentiam, secunda subsidia: secundum enim non est, quod non est a primo diversum; atqui Patres pœnitentiam post baptismum faciendam, secundam pœnitentiam dicunt, secunda subsidia; eamque homini patere affirmant, postquam clausa est & obstructa janua baptismi: sentiunt ergo esse Sacramentum a baptismo diversum.

2. Illi docent pœnitentiam verum esse & aliud a baptismate Sacramentum, qui pœnitentiam comparant cum baptismo: omnis enim comparatio necessario fit inter duo, quia nihil potest secum ipso conferri; atqui Sancti Patres pœnitentiam comparant cum baptismo; nec minorem in illa, quam in isto ad peccata dimittenda efficacitatem agnoscunt: *Nihil interest*, ait S. Ambrosius, *utrum per pœnitentiam, an per lavacrum, hoc jus sibi Sacerdotes vindicent: unum in utroque ministerium est: sicut in lavacro operatur mysteriorum gratia; sic in pœnitentia nomen Dei operatur.* Eademque S. Cyrilli Alex., S. Hieronymi, S. Leonis, & aliorum sententia est, quod facile erit eorum testimonia legenti agnoscere. Ergo &c.

3. Ubi diversa medicina est, sanandis animabus, & expiandis ritu quodam externo peccatis divinitus accommodata, diversa esse Sacramenta oportet; atqui ex Patribus pœnitentia medicina est a baptismo diversa, ritu externo per Sacerdotum ministerium applicanda: & per utramque multiplex Dei misericordia, ita lapsibus subvenit humanis, ut per utramque spes veniæ reparetur æternæ: unde ex consequenti affirmant, homicidium si a Catechumeno perpetratum fuerit, baptismo ablui; si ab homine baptizato, pœnitentia sanari: & per utrumque remedium, sanguinem Christi hominibus applicari. Ergo &c.

4. Sancti Patres potestatem Sacerdotibus ad dimittenda peccata a Christo datam mirabundi suspiciunt; eamque non in baptismo tantum, sed & post baptismum ab iisdem exerceri, sententia unanimi contestantur: rursum per potestatem hanc non tantum absolvi, sed & ligari reos posse contendunt; atqui nisi pœnitentia verum esset Sacramentum, a baptismo diversum, vana hæc esset & puerilis Patrum admiratio; nihil enim possent Sacerdotes ad ligandum atque solvendum sibi juris arrogare; nec quidquam ab illis, qui post baptismum lapsi fuissent, subsidii expectarent, quippe qui sola recordatione baptismatis indigerent; nec ministrorum Ecclesiæ indignationem ac severitatem

tem pertimescerent, quibus in promptu esset, & independens a quolibet externo ministerio, ad expianda peccata remedium; ergo pœnitentiam esse Sacramentum traditionis perpetuæ confessio est.

§. QUARRTUS.

Eliduntur Hæreticorum cavilli.

Opponunt Hæretici: scripturarum testimonia ex Matthæo & Joanne in probationem adducta, non debent intelligi de judiciaria potestate, sive de facultate peccata dimittendi, sed de sola Evangelii prædicatione; ergo perperam inde infertur, pœnitentiam esse verum ac proprium Sacramentum.

R. Nego ant. prædicatio enim in sola exhortatione & verbi Dei explicatione consistit: e contra vero potestas retinendi aut remittendi peccata, conjunctam habet judicandi auctoritatem, quæ inter homines non potest sine forma exteriori, instar negotiorum forensium, exerceri; atqui hæc ipsa potestas est, quam Christus communicavit Apostolis, quando dixit: *Accipite Sp. Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*: falso itaque obtendunt Hæretici, non aliam nisi prædicandi Evangelii facultatem Apostolis esse datam: jam sic subsumo; atqui in potestate peccata dimittendi aut retinendi, tria hæc reperiuntur, quæ ad novæ legis Sacramentum, hæreticis ipsis judicibus, abunde pleneque sufficiunt: institutio divina, signum externum, & promissio gratiæ. Ergo &c.

Inst. 1. Probando ant. diversis Evangelii textibus.

Actuum 2, v. 38. *Pœnitentiam agite*, ait Petrus; *& baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum.*

Act. 5, 30 & seq. *Deus Patrum nostrorum*, inquit idem Apostolus, *suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno, hunc principem & Salvatorem exaltavit Deus dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum.*

Ib. c. 17, v. 30. *Deus*, ait S. Paulus, *nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant.*

Ib. c. 26, v. 20. *His*, ait idem, *qui sunt Damasci primum & Hierosolymis, & in omnem Regionem Judææ, & Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.*

Ex his & similibus sic detorquent argumentum:

In verbis Matthæi & Joannis quæ superius adducta sunt, debet illa potestas intelligi, quam deinceps Apostoli exercuerunt; atqui datam sibi potestatem non aliter quam prædicando & ad pœnitentiam exhortando exercuerunt Apostoli, ut ex actis eorum est manifestum. Ergo &c.

R. Admitto auctoritates: ad argumentum dist. maj. in verbis Matthæi & Joannis debet hæc potestas intelligi, quam deinceps Apostoli exercuerunt, *erga baptizatos*, conc. *erga baptizandos*, n. maj. similiter dist. min. Apostoli datam sibi potestatem non aliter quam prædicando & ad pœnitentiam adhortando exercuerunt, erga eos qui nondum baptisma susceperant, adeoque nondum erant pœnitentiæ Sacramenti capaces, conc. erga ipsos baptizatos, n. min. & conseq.

E. R. Ludunt illuduntque Hæretici, quando ad fidem Catholicam impugnandam, his & similibus testimoniis abutuntur: hic enim de iis solum agitur, qui nondum ad Christum conversi, vel in Judaismo, vel in caligine gentilitatis errabant, quibus proinde nondum tempus erat Sacramentalem pœnitentiam annunciandi, quæ per verum judicium exercetur; sed satis erat illam intimare, quam fuisse omni tempore necessariam, etiam illis qui baptismi Sacramento ablui petivissent, superius ex Concilio Trid. docuimus: ex his itaque & similibus, quæ tanto apparatu exaggerant, hoc unum probatur, quod non negamus, actum virtutis pœnitentiæ ab adultis baptismo præmitti debere, ejusdemque annunciandæ præceptum datum a Christo: minime vero sequitur, potestatem Matthæi 16 & 18, & Jo. 20 a Christo concessam, judiciariam & Sacramentalem, & a baptismo diversam non esse.

Inst. 2. Si Christus judiciariam potestatem Apostolis contulisset, ejus usus aliquis in historia Apostolicorum actuum appareret; atqui judiciorum hujusmodi in actibus Apost. nec minimum vestigium deprehenditur: tantum enim legitur, quod Apostoli pœnitentiam prædicaverunt, & quod baptizaverint. Ergo &c.

R. 1. Nego maj. non enim ex iis quæ ab Apostolis gesta narrantur, sed ex ipsis Salvatoris verbis, horum ejus oraculorum debet sensus legitimus colligi; atqui verba Christi sensum habent a prædicatione Evangelii ac pœnitentiæ omnino diversum: nam aliud longe est, peccatorum remissionem promittere agentibus pœnitentiam, (quæ sunt prædicantium partes:) aliud a peccatis reve-

ra

ra absolvere : (quæ potestas est clavium , Apostolis eorumque successoribus tradita) . Ergo &c.

Deinde : Argumentum negativum , ut sæpius dictum est , nullius est ponderis ad imminuendam veritatem certis & affirmantibus argumentis invincibiliter demonstratam; atqui veritatem Sacramenti pœnitentiæ præter testimonia ex Matthæo & Joanne petita , certo & ineluctabiliter asserit ab Apostolorum temporibus accepta traditio , ubique gentium radicata ; ergo etiamsi in sacris litteris non legatur , judicandi potestate aliquando Apostolos usos esse ; stat nihilominus inconcussa Sacramenti pœnitentiæ veritas . Si quis vero hujus silentii causam requirat ; in promptu habemus : in Apostolica nimirum historia describuntur , quæ ab Apostolis gesta sunt , quando Christum Judæis & Gentibus prædicabant: iis porro non pœnitentiæ sed baptismi Sacramentum conferri oportuit , priusquam de secunda post naufragium tabula mentio fieret : hujus vero remedii rarissimum beatis illis temporibus fuisse usum , probat innocentia , sanctitas , & castimonia fidelium quæ in hoc ipso actuum libro elogiis magnificentissimis commendatur : quid ergo mirum si ubi ægroti nulli pene fuerunt , de medicina altum reperiatur silentium ?

℟. 2. Transeat major , & n. min. non enim levis est conjectura , ad potestatem clavium respicere quæ leguntur in actibus , (*Act.* 8 , 22) a Petro ad Simonem Magum dicta : *Pœnitentiam age ab hac nequitia , & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui* . Jam enim crediderat Simon & baptizatus fuerat , ut ibidem narratur , quando donum Sp. Sancti oblata pecunia , non secus ac vile mercimonium emere ab Apostolis voluit : cui ideo Petrus tanti sceleris indulgentiam non concessit , quia videbat eum in peccato obstinatum , ut ibidem dicitur : (*ib. v.* 23) *In felle enim amaritudinis , & obligatione iniquitatis video te esse* .

Est & alterum ejusdem rei argumentum cap. 2 , 2. Ep. ad Cor. ubi Fornicarius Corinthius , de quo Epistolæ I , c. 5 , mentio fuerat , in gratiam ab Apostolo recipitur : *Sufficit illi , qui ejusmodi est* , inquit , (*versu* 6. *& seq.*) *objurgatio , quæ fit a pluribus : ita ut e contrario magis donetis & consolemini .... propter quod obsecro vos , ut confirmetis in illum caritatem . . . . . cui autem aliquid donastis , & ego : nam & ego , quod donavi , si quid donavi , propter vos in persona Christi* : quamquam enim hic locus absolutionem ab excommunicatione , & pœnarum canonicarum relaxationem directe videatur , expressiusque significare; innuitur tamen , imo necessario debet subintelligi , Corinthium a peccato jam esse per clavium ministerium absolutum , cui pœnarum relaxationem Apostolus clementer indulget .

Inst. 3. Non potest ex facultate ligandi atque solvendi Apostolis tradita inferri pœnitentiam verum esse Sacramentum ; si potestas hæc per solam baptismi administrationem debuerit exerceri; atqui de solo baptizandi ministerio debere ligandi & solvendi auctoritatem accipi non est difficile demonstrare . Ergo &c.

℟. Conc. maj. n. min. & dico opinionem hanc fidei Catholicæ e diametro adversari , quam sic expressit Concilium Trid. supra laudatum : (*sess.* 14 , *can.* 2) *Si quis Sacramenta confundens , ipsum baptismum pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit , quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint .... anathema sit* . „ Multis vero modis differt baptismus a pœnitentia , ut docet eadem sancta synodus : (*Ib. cap.* 2) tum quia ista materiam & formam habet a baptismo longe diversas ; tum quia baptismi ministrum judicem non esse oportet , cum Ecclesia in neminem judicium exerceat , qui non prius in illam , per baptismi januam fuerit ingressus : *Quid enim mihi* , inquit Apostolus , (1 *Cor.* 5 , 12) *de iis qui foris sunt judicare?* cum e contrario pœnitentiæ minister erga peccatores verum jurisdictionem exerceat : tum denique quia alius est baptismis alius pœnitentiæ fructus : per baptismum enim Christum induentes , nova in illo efficimur creatura , plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes : ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ , sine magnis nostris fletibus & laboribus , divina id exigente justitia , pervenire nequaquam possumus , ut merito pœnitentia laboriosus quidam baptismus a Patribus dicta fuerit".

Inst. 4. probando Min. Matthæi 28 , 19. *Euntes* , ait Christus , *docete omnes gentes , baptizantes eos in nomine Patris , & Filii , & Sp. Sancti , docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* : & Lucæ 24 , 45 & seqq. *Tunc* , ait author Sacer , *aperuit illis sensum , ut intelligerent scripturas: & dixit eis : quoniam sic scriptum est , & sic oportebat Christum pati , & resurgere a mortuis tertia die , & prædicari in nomine ejus pœnitentiam , & remissionem peccatorum in omnes gentes* .

Hinc sic eruunt argumentum :

Hæc verba Christi a Matthæo & Luca mandata memoriæ eodem tempore dicta sunt , quo alia quæ ex Joanne ad probationem conclusionis afferebamus : *Accipite Sp. Sanctum , quorum remise-*

miseritis peccata &c. affirmat enim vero S. Aug. (*lib. 3 de Cons. Evangel. cap. 25*) ad eamdem Christi apparitionem pertinere; atqui in textibus Matthæi & Lucæ de solo baptismo fit mentio: debet ergo eodem sensu accipi textus Joannis.

℞. Admitto auctoritates: ad argumentum concessa maj. & min. n. conseq. verba enim Joannis sensum habere ab aliis plane diversum, quamquam ex dictis satis superque est demonstratum, isto confirmamus argumento: quæ a Christo dicta referuntur apud Matthæum, ad solos infideles spectant, ut ex ipsis terminis est manifestum: *docete omnes gentes, baptizantes* &c. idemque de verbis Lucæ, quandoquidem idem est sensus, & verborum tenor admodum similis, jure nostro affirmamus, atqui verba Joannis: *Quorum remiseritis peccata* &c. non infideles tantum, sed principalius baptizatos ipsos respiciunt, proprias scilicet Christi oves: quod enim hic Apostolis committit ligandi & absolvendi ministerium, Matthæi 16, & 18 promiserat; atqui promissio hæc non ad solas gentes referebatur, sed etiam ad fideles, ad oves Christi, & ad Ecclesiam universam: *Tu es Petrus*, inquiebat, *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.... & tibi dabo claves Regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.*

Itaque licet concedamus id quod S. Aug. affirmat, Matthæi, Lucæ, & Joannis verba ad idem tempus, eamdemque Christi apparitionem pertinere; inde sane non sequitur quod Hæretici inferunt, eumdem habere sensum: potuerunt enim in eadem Christi apparitione, eodemque sermonis contextu res diversæ Apostolis præcipi: nec contrarium ex S. Augustino evincet quisquam.

Inst. 5. Atqui ita existimavit S. Aug. hæc Christi oracula ad idem tempus esse referenda; ut etiam voluerit de sola potestate remittendi peccata in baptismo debere intelligi. Ergo &c. prob. subs. variis ejusdem testimoniis.

Quidquid ab eis, inquit, (*Epist. 50 ad Bonif.*) *qui post acceptum baptismum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur quarumcumque culparum, propter ipsum lavacrum dimittitur.*

Et alibi: (*lib. 1 de nupt. & concup. c. 33.*) *Sic accipiendum est quod ait Apostolus: Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ... sic, inquam, accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis, & verbo sanctificationis, mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur, non solum peccata quæ omnia nunc remittuntur in baptismo; sed etiam quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur: non ut baptisma quoties peccatur, toties repetatur; sed quia eo ipso quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.*

Quorum similia repetit lib. 6 operis imperfecti contra Julianum, c. 13, & 18: hinc sic informatur argumentum:

Ille sentit Christi oracula de potestate remittendi peccata, debere omnia revocari ad baptismum, qui veniam peccatorum etiam post baptisma commissorum baptismo tribuendam esse affirmat; atqui ita S. Aug. Ergo &c.

℞. Nego subs. ad probat. admitto auctoritates, & dist. maj. ille sentit Christi oracula de peccatis condonandis, ad baptismum omnia revocanda, qui veniam peccatorum baptismo posteriorum affirmat tribuendam esse baptismo, *velut causæ proximæ*, conc. *velut causæ remotæ, & radici vitæ spiritualis*, n. maj. similiter dist. min. S. Augustinus affirmat, remissionem omnium peccatorum quæ post baptisma committuntur, tribuendam esse baptismo, *velut radici ac principio vitæ spiritualis*, conc. *tamquam causæ proximæ*, n. min. & conseq.

E. ℞. Non aliud quidem S. Doctor iis locis intendit, quam quod pœnitentia omnis, omnia bona opera, ipsaque æterna vita in cælo fruenda, a baptismo tamquam a radice vitæ spiritualis dependeat; nec immerito: quemadmodum enim se habet in natura carnalis nativitas, ita & baptismus in salutis œconomia: unde quemadmodum homo in natura, nec crescere, nec roborari, nec a morbo potest convalescere, nisi natus ante fuerit: ita nemo in spiritualibus, aut a peccato liberari, aut in bono proficere, aut resurgere ad gloriam potest, quin prius per sanctum lavacrum renatus in Christo supponatur, & sicut corporis incrementum, virilis perfectio, restitutio sanitatis, nativitati tamquam causæ primariæ & radici attribuuntur, licet a causis proximis pendeant, nec ad ea homo statim una die, sed externis adminiculis, & temporis successione pertingat: ita pariter peccatorum omnium condonatio, comparatio virtutum, & præmium æternæ felicitatis, in baptismum tamquam in radicem refundi debent: nec enim posset ea homo consequi, nisi esset baptizatus.

Nec tamen hinc colligendum, S. Augustinum nullas Sacramento pœnitentiæ partes tribuere, illudque veluti minime necessarium excludere velle: quod Calvinus ex ejus verbis perperam intellectis, sine judicio intulit: nam in iis ipsis quæ opponuntur testimoniis, sinistram hanc interpretationem S. Doctor clarissime rejicit, pœnitentiæ post baptismum necessitatem adstruens atque confirmans: *Quid enim prodesset*, inquit (*lib. 1 de nupt. & concup. c. 33*), *vel*,

vel ante baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea nisi præcederet? in ipsa quoque Dominica oratione, quæ quotidiana est nostra mundatio, quo fructu quo effectu diceretur: dimitte nobis delicta nostra: nisi ab eis qui baptizati sunt, diceretur? itemque eleemosynarum largitas & beneficentia quantalibet, cui tandem ad dimittenda peccata prodesset, si baptizatus non esset? postremo Regni cælorum ipsa felicitas, quorum erit nisi baptizatorum?

Inst. 6. atqui S. Aug. peccatorum remissionem ita baptismo acceptam refert, ut hanc indulgentiam Sacramento penitentiæ tamquam proximæ causæ nulla ratione tribuat. Ergo &c.

Prob. subs. S. Doctor hæc Christi verba expendens: (*tract. 121 in Joan.*) *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt: Caritas Ecclesiæ*, inquit, *dimittit peccata participum suorum, aliorum autem tenet.*

Hinc sic disputant:

Ille ad dimittenda peccata nullam Sacramento pœnitentiæ tribuit efficaciam, adeoque nec Sacramentum hoc noverat, qui docet peccata condonari per caritatem Ecclesiæ; atqui ita S. Augustinus. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & dist. maj. ille ad dimittenda peccata, nullam Sacramento penitentiæ tribuit efficaciam, qui docet ea dimitti per caritatem Ecclesiæ, *tamquam per causam effectivam*, conc. *tamquam per causam impetratoriam*, n. maj. similiter dist. min. S. Au. docet, peccata remitti per caritatem Ecclesiæ, *tamquam per causam impetratoriam*, conc. *tamquam per causam effectricem*, n. min. & conseq.

E. ℟. Ad mentem S. Augustini, remittunt peccata Sacerdotes, remittit pariter & Ecclesiæ caritas, aliter tamen atque aliter: Sacerdotes enim Christi & Ecclesiæ ministri, potestate judiciaria sibi a Christo concessa hoc faciunt, Sacramentum videlicet conferendo, cui peccata instrumentaliter tollere, divina institutione est attributum: caritas autem Ecclesiæ hunc ipsum effectum, orationibus ac supplicationibus impetrat, sicut enim in baptismo remissio peccatorum, fidei Ecclesiæ merito tribuitur; sic & in penitentia, reconciliatio vera quadam ratione gemitibus columbæ adscribitur, quæ pro peccatoribus Patrem misericordiarum rogare non desinit, ut det illis cor penitens, eosque a viis malis ad viam justitiæ revocet, quod autem S. Doctor in Sacerdotibus veram peccata, per Sacramenti penitentiæ largitionem, condonandi potestatem agnoverit, præter cætera ejus testimonia, invicte probat quod ex ejus ad *Honoratum* Ep. supra descripsimus: *An non cogitamus*, inquit, *cum ad istorum periculorum* (sæviente persecutione) *pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem & erogationem?* &c. numquid enim vero ita loqueretur S. Doctor, si putaret peccata post baptismum commissa, vel sola Ecclesiæ caritate, vel sola baptismi ante suscepti recordatione deleri?

Inst. 7. si potestate ligandi atque solvendi a Christo tradita Apostolis, velut fundamento Sacramentum pœnitentiæ niteretur; tam esset proprium Sacramenti ligare quam solvere; atqui consequens est absurdum: quis enim dixerit, ideo esse aliquod Sacramentum divinitus institutum, ut per illud homines peccati vinculo magis obstringantur: cum e contrario Sacramenta debeant ad peccatorum vincula solvenda instituí? Ergo &c.

℟. Nego maj. ligandi equidem solvendique potestas, Apostolis eorumque successoribus data est: cum illo tamen discrimine quod potestatem solvendi, Sacramentum conferendo, ligandi e contra hoc ipsum Sacramentum, absolutionem scilicet, & reconciliationem negando exerceant, donec nimirum peccatores corda sua Deo bene præparasse adverterint; itaque solvere a peccatis, pœnitentiæ Sacramenti proprius effectus est; ligare vero non Sacramento convenit, sed ministro Sacramentum negant i aut suspendenti: quæ de re dicetur loco suo uberius, ubi de clavium potestate agetur.

Vero tamen aliquo sensu dici potest, tam esse proprium Sacramenti ligare quam solvere; si nimirum hoc de satisfactione intelligatur, ligant enim in Sacramento penitentiæ Sacerdotes, cum satisfactionis modum & tempus imponunt: solvunt, cum de rigore penitentiæ, & penarum austeritate aliquid justis de causis remittunt: prout uberius, quæstionibus de satisfactione & indulgentiis ostendetur.

Inst. 8. atqui Patres præter baptismum, non aliud Sacramentum agnoscunt, peccatis remittendis divinitus destinatum. Ergo &c.

Probant subs. inter cæteros sic loquitur S. Pacianus: (*serm. ad competentes*) *Igitur, dilectissimi, semel abluimur, semel liberamur ... semel felices sunt, quorum remissa sunt facinora, & quorum tecta sunt peccata: tenete fortiter, quod accepistis, servate feliciter: amplius peccare nolite: puros vos & immaculatos in diem Domini reservate.*

Hinc sic disputant:

Ille existimat, præter baptismum, nullum esse

se Sacramentum quo peccata remitti possint, qui ita ad catechumenos loquitur, quasi post baptismum labentibus nullum remedium superesset; atqui sic loquitur S. Pacianus. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & concessa maj. n. min. in hoc enim & similibus testimoniis nec verbum occurrit, unde vel leviter adstruatur, S. Doctorem de veritate Sacramenti pœnitentiæ dubitasse: nam laudare vim & efficacitatem baptismi, profecto non est Sacramentum pœnitentiæ tollere, aut ejus virtutem extenuare: porro hic unus S. Paciani eo loci scopus est, baptismi virtutem & excellentiam prædicare, hortarique *competentes* ad perseverandum in innocentia per regenerationem accepta; minime ergo inde probatur, quod negaverit pœnitentiam esse Sacramentum, præsertim cum aliunde certum sit, Novatianos, qui volebant quædam esse peccata irremissibilia, a nemine solidius refutatos.

Inst. 9. *Si patres putaverunt*, pœnitentiam verum esse, & diversum a baptismate Sacramentum, qui fieri potuit, ut de hoc tam mirabili remedio parce adeo & obscure sermonem habuerint? nam de baptismo quidem præclarissime disseruerunt: de secunda vero post baptismum pœnitentia, sic implexa & involuta eorum testimonia sunt, ut certum ex illi argumentum, ad causam Ecclesiæ Catholicæ adjuvandam, erui vix ac ne vix quidem posse videatur: deinde, quod notabilius est, primæ ætatis scriptores tam alte de hoc Sacramento silent, ac si de illo instituendo Christus nequidem cogitasset, quod non leve præjudicium est, non divina ejus auctoritate, sed præsumptione hominum, post Apostolica tempora serius invectum.

℟. Meram hanc Calvinianorum cavillationem putidamque esse calumniam: Sanctos enim Doctores de Sacramento pœnitentiæ, apertissime, data occasione esse locutos, constat ex innumeris eorum testimoniis, quorum partem aliquam superius in probationem attulimus, quæque qui conantur eludere, cœcos se & in errore obstinatos demonstrant: numquid enim obscure Tertullianus locutus est, quando dixit, *Clausa ignoscentiæ janua, & intinctionis sera obstructa, collocasse Deum in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat?* numquid S. Cyprianus, quando refert, communi coepiscoporum suorum Concilio constitutum, *ut qui se sacrificiis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam, neque pacem nisi sub ictu mortis acciperent, si periculum infirmitatis urgeret?* Numquid S. Pacianus, quando ligandi & solvendi potestatem habere Episcopos inde probat, *quia lavacri & Chrismatis habent potestatem, nec minus ligare possunt ac solvere, quam baptizare & Spiritum S. dare?* Numquid S. Joannes Chrysost. quando affirmat, *plus esse datum presbyteris per hæc verba: quæcumque alligaveritis in terra, erunt alligata & in cælo, quam Angelis & Arcangelis concessum fuerit: & Sacerdotes non solum cum regenerant, verum etiam post baptismum, condonandorum peccatorum obtinere potestatem?* Numquid S. Ambrosius, quando pœnitentiam cum baptismo ita confert, ut asserat, *nihil interesse, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum, jus remittendi peccata sibi Sacerdotes vindicent?* numquid Cyrillus Alex. cum asserit, Sacerdotes duobus modis peccata remittere ac retinere: *Vel cum dignos admittunt ad baptismum & indignos arcent, vel cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, & pœnitentibus ignoscunt?* numquid S. Hieronymus, *duobus maxime Sacramentis baptismo & pœnitentia, Sanguinem Christi nobis applicari* affirmans? Numquid S. Aug. quando reconciliationem & actionem pœnitentiæ cum baptismo comparat, & utriusque potestatem, Sacerdotibus æqualiter vindicat? numquid S. Leo, quando hanc præpositis Ecclesiæ a Christo potestatem traditam attestatur, *ut & confitentibus actionem pœnitentiæ dent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admittant?*

Quid plura? numquid ambigua vel obscura vox Ecclesiæ est, in suis ubique Sacramentariis & Ritualibus libris, modum ac formam confessionis, absolutionis, satisfactionis ex instituto antiquissimo præscribentis?

Age vero nunc, ostendant nobis Lutherani & Calvinistæ, de doctrinæ antiquitate temerario contendentes: ostendant, inquam, unde aut quo magistro acceperint, pœnitentiam nihil quidquam esse præter novam vitam, vitæque veteris odium ac detestationem necessario non includere: per baptismum non præterita tantum, sed & futura peccata anticipato remitti: pœnitentiæ Sacramentum, ipsissimum esse baptismum, cujus solius recordatione, peccata quælibet quantumvis gravia remittuntur: satisfaciendi Deo nullibi præceptum extare: nihil posse in reconciliandis pœnitentibus Sacerdotes: evolvant veterum Patrum scripta; decreta Conciliorum, responsa Pontificum: & si quid alicubi suis opinionibus congruens aut affine occurrerit, plaudant sibi, per nos licet, de majorum auctoritate, nostræque doctrinæ insultent: quod si, ut revera est, hoc non possunt, afferant saltem plausibilem rationem, cur sibi licuerit schisma facere, & antiquam doctrinam nefariis introductis opinionibus conturbare.

At, inquiunt, negare saltem non possumus, 1, & 2 sæculo Sacramentum penitentiæ fuisse

se incognitum, cum ejus nulla his temporibus mentio fiat.

℟. Nego incognitum fuisse, etsi (nec enim diffitemur) rarissima de hac re primis illis ætatibus Patrum documenta occurrant: nec enim id omne negari putandum est, quod siletur: præsertim si de ejus veritate certissimis argumentis aliunde constiterit: hujus porro silentii multiplex causa affertur.

1. Fuit, quia ut plurimum ad Gentiles & catechumenos Patres verba dirigebant, quos non de Sacramento pœnitentiæ, sed de baptismo oportebat prius edoceri.

2. Fuit, aurei hujus sæculi felicitas, quæ tanta erat, ut qui Christo semel dedissent nomen, in innocentia per baptismum accepta pene omnes perseverarent, & vestem nuptialem illibatam ad exitum usque servarent: frustra enim id genus non tam hominibus quam angelis fuisset, frequens ad secundam, cujus non indigebant, pœnitentiam exhortatio: ubi enim morbus non est, officium medici, nec medicinæ commendatio requiruntur.

3. Huic proxima fuit, quod vererentur Patres ne facilitas remedii, occasio fieret & incentivum peccandi: ita enim a natura homo est comparatus, ut malum non multum reformidet, cui sciverit præsenti & opportuno remedio facile posse succurri: id quod præclarissime Tertullianus in libro de pœnitentia explicat: ubi postquam a c. 1 ad 6 de pœnitentia ante baptismum agenda tractavit, c. 7 sic prosequitur: *Huc usque Christe Domine, de pœnitentiæ disciplina servis tuis dicere vel audire contingat, quo usque etiam delinquere non oportet: nihil jam de pœnitentia noverint, nihil ejus requirant, piget secundæ, imo jam ultimæ spei subtexere mentionem, ne tractantes de residuo auxilio pœnitendi spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur: absit ut aliquis ita interpretetur, quasi sibi etiam nunc pateat ad delinquendum (via,) quia patet ad pœnitendum; & redundantia clementiæ cælestis, libidinem faciat humanæ temeritatis: nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur.*

Inst. 10 & ultimo: si pœnitentiam verum esse Sacramentum, constans & indubitatum dogma foret, perpetua Ecclesiæ traditione certitudo ejus asseri posset; atqui deest huic dogmati continuata & nusquam interrupta traditio: nam ab hac doctrina libere recesserunt:

1. In Latina Ecclesia veteres quidam scholastici, qui Sacerdotis absolutione nullam produci gratiam contendebant.

2. Longe plures in Oriente, qui nullum fere confessionis ac pœnitentiæ usum habere comperiuntur. Ergo &c.

℟. Concessa maj. n. min. Nemo enim unquam Catholicus audiit, qui veritatem & existentiam hujus Sacramenti negaverit.

Jam quod de Latinis quibusdam opponitur, equidem non diffitemur, aliquos ab antiqua simplicitate recedentes, vanisque introductis subtilitatibus, dogma Catholicum magis obscurasse quam explicasse; sed negamus quemquam esse repertum, qui pœnitentiam Sacramentorum numero excluserit: verum etiamsi in tanta scholasticorum turba aliquis forte a communi sententia recessisset, nihil hinc præsidii haberent hæretici: ut enim eleganter admonet S. Augustinus, (*Ep. 50 ad Bonifac.*) *Qui divina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonii perdiderunt:* porro quæ paucorum opponitur aberratio, inquit ibidem in causa simili S. Doctor, *non de lege Dei, non de præconio Prophetarum, non de sanctitate psalmorum, non de Apostolo Christi, non de Christi eloquio recitatur.*

Idemque de Græcis & Orientalibus affirmamus, a quibus pœnitentiam Sacramentis Evangelicis accenseri, nemo dubitabit, qui eorum Euchologia, nomocanones, & pœnitentiales libros, publica auctoritate probatos, consuluerit: in iis namque non secus ac in Ritualibus Latinorum, contritionis, confessionis, satisfactionis, & Sacerdotalis absolutionis necessitas, modus, & norma præscribitur, quodque validissimum eorum cum Latina Ecclesia consensionis est argumentum; veritatem Sacramenti pœnitentiæ & institutionem divinam, iisdem Evangelii verbis adstruunt, quibus Latini utuntur: *Accipite Sp. Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hinc etsi contra Græcos in Conciliis Lugdunensi, & Florentino, & sæpe alias querimoniæ de rebus ad fidem pertinentibus fuerint, nulla tamen de Sacramentis, & nominatim de pœnitentia quæstio usquam habita est, quia nimirum bene nostri noverant Græcos secum in septenario numero consentire.

Quod porro opponebatur, Orientales nullum fere confessionis & pœnitentiæ usum habere, triplici exceptione refellitur: 1 est, non magnam mereri fidem plerosque historicos, Theologos, & itinerum descriptores, qui Græcos violatæ fidei accusarunt: quales fuerunt *Caucus, Guido Carmelita*, & plerique alii, qui propriis præjudiciis impediti quidquid in ritibus Græcorum & Orientalium diversum a nostris comperiebant, continuo quasi fidei contrarium damnare non dubitarunt: 2 non inde probari quod Sacramentum aliquod esse negetur, quia negligitur aut in praxi contemnitur; adeoque etiamsi certo adstrueretur, a plerisque orientalibus pœnitentiæ & confessionis Sacramentum

mentum non frequentari, hoc unum sequeretur, malos in his Regionibus, uti & in nostris esse Christianos: quod non negamus: 3 est, si forte eorum aliqui divini dogmatis hostes fuerint, & *Cyrilli Lucaris* exemplo pœnitentiam numero Sacramentorum excluserint, pro Hæreticis habendos, eosdemque cum Lutheranis & Calvinistis anathemate feriendos: redibit idem sæpius argumentum, ubi de confessione, satisfactione & absolutione agemus.

Monitum.

Quo facilius vanæ retundantur hæreticorum cavillationes, & SS. Patrum auctoritatibus vel truncatis, vel perperam intellectis contra veritatem Sacramenti pœnitentiæ importunius disputantium: notandum scripturæ verba ex Matthæo & Joanne adducta, præter proprium ac litteralem sensum, quem in iis Catholica Ecclesia semper intellexit, posse in alios minus proprios, juxta quorumdam Patrum interpretationem inflecti: sic enim verba S. Matthæi: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*: S. Augustinus, Theophylactus, & alii, non modo de potestate clavium; sed etiam de correctione fraterna interpretantur, cujus faciendæ auctoritas, non Sacerdotibus tantum, sed & ipsis Laicis convenit: hæc eadem verba S. Hieronymus, in c. 14 Isaiæ de prædicandi ministerio explicat: quin & nonnulli de potestate conferendi baptismi intelligunt: verum nihil hinc contra Catholicum dogma eruitur; cum aliunde certum sit, S. Aug. Hieronymum, Theophilactum, & alios Sacramentum pœnitentiæ propugnasse, & iis ipsis scripturæ testimoniis esse usos, ad sacrum dogma tuendum.

§. QUINTUS.

Quo tempore fuerit Sacramentum pœnitentiæ institutum.

Sequitur ad quæstionis coronidem levis in institutionis tempore difficultas, pro cujus resolutione

Advertendum 1, aliud esse pœnitentiam, aliud Sacramentum pœnitentiæ prædicare. Christus equidem statim ac visibile ministerium, propter quod missus a Patre fuerat, obire cœpit, divinus pœnitentiæ præco fuit, neque ab hoc officio toto prædicationis tempore destitit: quin & plerosque peccatores, summa qua præditus erat excellentiæ potestate a vinculis peccatorum absolvit, nec tamen hinc sequitur quod jam tum esset Sacramentum pœnitentiæ institutum, tota enim ejus adhortatio ad virtutem pœnitentiæ pertinebat, nec Sacramentum impartiendo, cujus subsidio non egebat, sed suprema judicandi potentia, a peccatorum vinculis liberabat, cujus quidem auctoritatis insigne exemplum dedit, quando paralitico in lecto jacenti, corporis simul & animæ sanitatem restituit. *Ecce*, inquit Matthæus (*c.* 9, 2, *seqq.*) *offerebant ei paralyticum jacentem in lecto: & videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico, confide fili, remittuntur tibi peccata tua: & ecce quidam de scribis dixerunt intra se, hic blasphemat, & cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? quid est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua: an dicere surge & ambula? ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam; & surrexit, & abiit in domum suam: videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum qui dedit potestatem talem hominibus.*

Advertendum 2, aliud esse Sacramentum promittere, aliud instituere. Promisit quidem Christus antequam pateretur & resurgeret, se aliquando pœnitentiæ Sacramentum instituturum, quando Petro dixit: (*Matt.* 16, 19) *Tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Eamdemque paulo post promissionem omnes Apostolos alloquendo confirmavit his verbis: (*Matt.* 18, 18) *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Sed non continuo sequitur, quod eo ipso tempore promissis steterit, jam tum Sacramentum instituendo: cum enim, ut advertit S. Thomas, (3 *p. q.* 84, *art.* 7) hoc Sacramentum efficaciam habeat, ex virtute nominis Jesu Christi patientis & resurgentis, conveniens admodum fuit, ut post resurrectionem Salvatoris plene & perfecte institueretur, & virtus ejus prædicaretur, secundum illud Lucæ ultimo, v. 46, & seq. *Sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die: & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.*

Superest itaque, ut eo dicamus tempore institutum, quo post resurrectionem apparens Apostolis, in eosque insufflando dixit: (*Joann.* 20, 22) *Accipite Sp. Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt:* hæc est Concilii Trid. sententia: *Dominus autem*, inquit, (*Sess.* 14, *c.* 1) *Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue insti-*

instituit, *cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos dicens*: Accipite Sp. remiseritis peccata, Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt: *Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit*.

Et alio in loco: (*Sess.* 6, *c.* 14) *Pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus Sacramentum instituit pœnitentiæ, cum dixit*: Accipite Sp. Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.

¶ Quare autem hujuscé Sacramenti institutionem Christus distulerit post suam resurrectionem, cum cætera ante mortem suam instituerit, nulla reapse potior ratio assignari valet, præter ipsam instituentis voluntatem. Quædam tamen in hanc rem afferri a Theologis solent congruentiæ, quarum ea præcipua videtur: quod cum Christi resurrectio sit exemplar nostræ justificationis, qua a peccato resurgimus, juxta illud Apost. ad Rom. 4: *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*; congruum erat ut exemplar præcederet imaginem: ut quemadmodum *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur*; sic qui a peccato, quo mortuus fuerat, resurgit, haud amplius moriatur. ¶

Sequitur

QUÆSTIO TERTIA.

De partibus Sacramenti pœnitentiæ generatim.

Omnia & singula legis novæ Sacramenta diversis constare partibus, quas materiæ & formæ nominibus appellare, non scholarum tantum, sed ipsius Ecclesiæ usu receptum est, constat ex dictis l. 1 de Sacramentis in genere: cum itaque præcedenti qu. demonstratum fuerit, pœnitentiam in Evangelicis Sacramentis habere locum: consequens est, ut de ejus partibus generatim in præsenti dicamus: generatim, inquam; de singulis enim, quæ & quales sint, in sequentibus qu. plenior pro rei gravitate futurus est sermo.

Est vero illud pœnitentiæ proprium, quod in duplici versetur materia: & ad unam quidem abolendam conatus ejus omnis & efficacia, divina gratia operante, contendat: altera vero ad hunc effectum assequendum, velut instrumento utatur: quemadmodum enim in arte medica, morbus est materia expellenda, remedium vero, materia quam adhibet contra morbum: sic in pœnitentia, quæ medicina animæ est, peccatum est materia extirpanda: remedium quod ad hunc finem obtinendum usurpat, materia ejusdem propria & intrinseca nuncupatur.

Hæc itaque quæstio 3 capitibus continetur: 1 de materia per pœnitentiam destruenda: 2 de materia intrinseca Sacramenti: 3 de forma futurum est.

CAPUT PRIMUM.

De materia per Sacramentum pœnitentiæ abolenda.

Et illam quidem peccatum actuale esse, sive mortale sive veniale, ab homine baptizato commissum facile intelligitur.

Nam 1. Peccatum originale, & peccata actualia, quæ baptismum præcesserunt, non posse esse hujus Sacramenti materiam, vel inde probatur, quod pœnitentia sit secunda post naufragium tabula; ergo ante se necessario supponit baptismum, qui nisi præcesserit, Sacramento pœnitentiæ locus esse non potest.

Deinde: in iis tantum peccatis versatur pœnitentiæ Sacramentum, quæ Ecclesiæ jurisdictioni subjecta sunt; atqui peccata nondum baptizatorum Ecclesiæ jurisdictioni non subjacent: *Ecclesiam enim*, ait Concilium Trid. (*sess.* 14, *c.* 2) *in neminem exercet judicium, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus*: quid enim mihi, *ait Apostolus* 1 *Cor.* 5, 12, de iis qui foris sunt judicare?

Præterea: Peccato originali, aliisque propria voluntate ante baptismum commissis, baptisma ipsum est divinitus præparatum, ut hoc salutari remedio expientur, quotquot nomen Christo dare volunt, & fieri compotes Regni cælestis: de illo enim est dictum: (*Joan.* 3, 5) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Sp. Sancto, non potest introire in Regnum Dei*... &: (*Act.* 2, 38) *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum*: hæc ergo peccata pœnitentiæ Sacramenti materia esse non possunt.

2. Quod peccatum actuale post baptisma perpetratum, sive mortale sive veniale, materia sit, ad quam abolendam Sacramentum pœnitentiæ, divina institutione est ordinatum, sic probamus: eodem modo se habet pœnitentia erga peccatum, quo erga morbum medicina; atqui medicina de se ad omnem morbum sanandum dirigitur; ergo de pœnitentia idem dicendum.

Aliter tamen & aliter ad illam pertinet peccata mortalia & venialia expugnare: nam mortalia, ideo dicta quod mortem animæ inferant, necessaria Sacramenti materia sunt: quod de venialibus dici non potest: rem ita explicat Concilium Trid. (*sess.* 14, *c.* 5) *Ex institutione Sacramenti pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere: quia Dominus noster Jesus Christus e terris adscensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient: constat enim Sacerdotes judicium hoc, incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent: ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri: etiamsi occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima decalogi præcepta commissa, quæ nonnumquam animum gravius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur. Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt: verum cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios & Dei inimicos reddant; necessum est omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda confessione a Deo quærere; itaque dum omnia quæ memoriæ occurrunt peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt: qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere; quod ignorat medicina non curat.*

Plenius ista, q. 5 sequente, ubi de confessionis necessitate & integritate agetur, explicabuntur: una interim hic occurrit difficultas gravissima diluenda: utrum scilicet ita omne peccatum actuale pœnitentiæ Sacramento subjaceat, ut nullum penitus sit, quod clavium superet ac fugiat potestatem? sic ab initio Catholica Ecclesia tenuit. Obstitit tamen livore malo & inveterata malitia diabolus, qui ut homines a spe divinæ misericordiæ dejectos in desperationem adduceret, eoque redderet ad peccandum procliviores, quo minor pœnitendi locus relinqueretur; exitiabiles Montanistarum & Novatianorrum hæreses, 2, & 3, sæculo excitavit.

§. PRIMUS.

Errores recensentur.

Montanistæ.

Nomen illi & hæresim a Montano traxerunt, qui 2 sæculo in Phrygia Asiæ minoris provincia natus est: defectionis ejus a fide occasio, Episcopatus ambitio fuit: in cujus vindictam etiminis divinitus traditus est satanæ. Præstigiis variis, per minorem Asiam plurimos diu multumque delusit, sed arte adeo recondita, ut Catholicis ipsis dubium fecerit, diabolicis ne incantamentis, an Sp. Sancto afflatus prodigia ederet? Paracletum se esse Spiritum, sacrilega temeritate mentiebatur: Priscillam & Maximillam perditissimas, quas sibi addixerat, fœminas, velut prophetissas multum commendabat: *per illos*, inquit S. Hieronymus, (*in Epist. ad Ctesiphontem*) *multas Ecclesias primum auro corrupit, deinde hæresi polluit*.

Inter cæteros ejus errores fuit ille perniciosissimus, quod clavium potestatem imminuendo, certis criminibus aditum omnem veniæ ac reconciliationis præcluderet. Peccata enim in duas, ut prædiximus, classes, Montanus ejusque sequaces partiebantur: alia, sive quod natura levia forent, seu quod adversus hominem perpetrata, posse ab Ecclesia condonari assentiebant: alia vero tum propter ingenitam gravitatem, tum quod contra Deum commissa forent, irremissibilia contendebant: quam vero denegabant Ecclesiæ, Montano, paracleto scilicet suo, & aliis qui donis celestibus præfulgetent, liberaliter concedebant auctoritatem: hinc duplicem Ecclesiam distinguebant; Spiritus unam, quæ in Patre, Filio, & Sp. Sancto consisteret, vereque peccata per spirituales homines condonaret: alteram Episcorum, quæ præter leviorum culparum condonationem nihil posset: *Ecclesia*, inquiebat Tertullianus (*lib. de pudic. c.* 2) *equidem delicta donabit, sed Ecclesia Spiritus per spiritualem hominem, non Ecclesia quæ est numerus Episcoporum: Domini enim, non famuli est jus & arbitrium*, (absolvendi) *Dei ipsius, non Sacerdotis*.

Ter-

Tertullianus.

In hanc adeo absurdam hæresim Tertullianus, magno Ecclesiæ scandalo, nec minore populi Dei tentatione prolapsus est: quis enim non stupeat, virum tanta doctrinæ luce commendabilem, in divinis & humanis litteris labore tam felici exercitatum, cujus per omnes Ecclesias nomen cum summa admiratione celebratur; cujus quot verba tot sententiæ: quot sensus, tot contra Marcionem, Apellem, Praxeam, Hermogenem, Judæos, Gentiles, Gnosticos, cæterosque victoriæ fuerant: quis unquam non stupeat, sui ipsius oblitum, mutataque deinceps sententia, novellas Montani furias, & insana Fanaticarum mulierum somnia, tanta facilitate esse secutum, ut Montanum pro Sp. Sancto haberet, & præter cætera plenissima vanitatis commenta, lapsis, post baptismum iter pœnitendi præcluderet? sed non est illud frustra a Sp. Sancto dictum: *Deus resistit superbis: humilibus autem dat gratiam.*

Novatiani.

Novatus Carthaginensis Ecclesiæ Presbyter, medio circiter 3 sæculo, magnum in Ecclesia discordiæ ignem accendit; duoque schismata vel excitavit vel fovit, quæ contrariis excessibus in Ecclesiæ perniciem pariter conspirabant. Nam

1. Carthagine *Felicissimi* Diaconi partes amplexus est, qui perniciosa indulgentia, nullam lapsis pœnam, nullum satisfactionis laborem imponi volebat.

2. Africa pulsus, & communi Episcoporum Africanorum consensu excommunicatione percussus, aut propemodum plectendus, Romam perrexit, ubi Novatiani Anti-papæ factioni adhæsit, cujus capitalis error erat, indulgentiam erga lapsos Ecclesiæ esse exitialem, nullumque ad remittenda peccata graviora Sacerdotibus jus inesse. (1). Contra illos sit:

§. SECUNDUS.

Ostenditur, nullum prorsus esse peccatum, quod non possit per pœnitentiam expiari.

Fidei hæc assertio est, divinitus in Scriptura & traditione revelata, expressa in Concilio Trid. his verbis: (*Sess. 14, can. 1*) *si quis dixerit ... pœnitentiam non esse vere & proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum: anathema sit.*

PROBATIO PRIMA.

Ex inexhausta Dei misericordia.

1. Veritatem hanc adstruunt oracula Scripturarum, quibus suprema Dei erga homines misericordia commendatur.

Lavamini, inquit Dominus, (*Is. 1, 16 & seqq.*) *mundi estote ... quiescite agere perverse, discite bene facere .... & venite & arguite me: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt ....* (*Ib. 55, v. 6, & seq.*) *quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est: derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas: & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.*

Si impius egerit pænitentiam (*Ezec. 18, 21, & seqq.*) *ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor: in justitia sua, quam operatus est, vivet. Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat?*

Non veni vocare justos, sed peccatores, ait sæpissime Christus in Evangelio (*Mar. 2, 17*) & S. Petrus: *non tardat*, inquit, (*2. Petr. 3, 9*) *Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.*

Ex his, aliisque longe pluribus ejusdem sensus testimoniis sic instauro argumentum:

Atqui nisi Christus omnia peccata remittendi potestatem Ecclesiæ concesserit, haud facile intelligitur quomodo harum Scripturæ sententiarum constare veritas queat: nam quomodo summe misericors diceretur, cui aliquid ad plenam absolutamque misericordiam deesset? quomodo perire neminem vellet, sed omnes reverti ad pœnitentiam, qui aliquorum quidem peccatorum remedium Ecclesiæ commisisset, aliorum vere negasset? quomodo tandem vere promisisset, se omnium iniquitatum, quas operatus est impius, non recordaturum, si peccatis aliquibus aditum ad reconciliationem immisericorditer intercluderet? ergo &c.

(1) *Hac de re legendus D. Chardon.* T. 2, lib. 1, c. 1, Historiæ Sacramentorum.

PROBATIO SECUNDA.

Ex Divinis comminationibus contra peccatores impœnitentes effusis.

2. Id ipsum probant æternæ damnationis minæ, quas Deus peccatoribus pœnitentiam non agentibus ubique intendit.

Si averterit se justus, inquit, (*Ez.* 18, *v.* 24) *a justitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius, numquid vivet? omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur: in prævaricatione qua prævaricatus est, & in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur.*

Nisi pœnitentiam habueritis, ait Christus, (*Luc.* 13, 3, & 5) *omnes similiter peribitis.*

Idemque inculcat gravissimis verbis Apostolus in Ep. ad Rom. ubi postquam c. 1 atrocissima Gentilium scelera enumeravit, c. 2 sic prosequitur: (*Roman.* 2, 2, & *seqq.*) *Scimus, quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt. Existimas autem, o homo, qui . . . facis ea, quia tu effugies judicium Dei? an divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis ejus contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus; iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, &c.* quorum similia in veteri & novo testamento ubique occurrunt.

Atqui, inquit Tertullianus adhuc catholicus, (*lib. de pœn. c.* 8) *non comminaretur non pœnitenti, si non ignosceret pœnitenti*, ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex Testimoniis Scripturarum ad Sacramentum pœnitentiæ pertinentibus.

3. Nec est quod reponatur, authoritates Scripturæ hactenus allegatas, significare quidem nullum esse peccatum Deo irremissibile, (quod non inficias ibant Montanistæ & Novatiani:) non vero significare, quod omnia ab Ecclesia valeant per clavium potestatem remitti.

Nam ubi divina lex non distinguit, nullus effugio aut exceptionis locus relinquitur; atqui Christus promittendo Sacramentum pœnitentiæ & instituendo, plenam Apostolis ad dimittenda peccata, sine exceptione facultatem fecit: *quæcumque*, inquit, *alligaveritis, erunt ligata; quæcumque solveritis, erunt soluta . . . . accipite Sp. Sanctum: sicut misit me Pater & ego mitto vos; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, ergo &c.

Deinde misit Christus Apostolos, quomodo missus ipse a Patre fuerat: hacque de causa dedit illis Sp. Sanctum; atqui non ut aliqua tantum peccata condonaret, missionem a Patre habuerat, qui venerat ut deleret omne peccatum, nec ad pauca, sed ad omnia abolenda virtus Sp. Sancti extenditur: ergo &c.

Præterea cum virtus pœnitentiæ, Sacramento ipsi materiam præbeat, non minoris efficacitatis in nova Lege putari debet, quam in veteri fuerit: imo eo major est existimanda, quo novæ dignitatis accessione, novum utique potentiæ gradum accepit; atqui in Lege veteri, quin & in ipsa lege naturæ, tanta fuit veræ pœnitentiæ efficacitas, ut ad omne, quantumvis atrox, peccatum expiandum, & penitus abolendum sufficeret; ergo multo magis in nova lege, ubi duplicata Dei misericordia, quæ mera virtus ante fuerat, Sacramentum effecta est, ad omne peccatum extendi debet.

¶ Huc accedit ea potestate præditam esse Ecclesiam per claves suas, cujus faciendi tum a Christo Domino, tum ab Apostolis, exemplum recepit, nempe gravia etiam, immo gravissima peccata dimittendi. Nam, ut egregie S. Pacianus Episcopus urget quemdam Novatianum, *quid ad illa tot similitudinum Dominicarum argumenta respondent? Quod drachmam invenit mulier, & gratulatur inventam? Quod Pastor ovem reportat errantem? Quod filio revertenti post producta omnia bona & cum meretricibus, & fornicariis epotata, Pater blandus occurrit?* Filius, *inquiens*, meus hic mortuus fuerat, & revixit: *Quid ille in via vulneratus a sacerdote, & levita præteritus? Nonne curatur? Revolve, quæ spiritus dicat Ecclesiis. Ephesios desertæ dilectionis accusat: stuprum Thyatirenis imputat, Sardos in opere cessantes, Pergamenos docentes diversa reprehendit: & tamen omnes ad pœnitentiam, satisfactionis invitat* (1). ¶

PRO-

(1) *His ferme exemplis ac similitudinibus in eamdem rem etiam usus est Tertullianus lib. de* Pœnit., *antequam in Montanistarum errorem laberetur.*

PROBATIO QUARTA.

Ex decretis Ecclesiæ contra Montanistas, & Novatianos.

4. Si credidisset Ecclesia, nullum sibi jus ad gravissima remittenda peccata divinitus esse datum, Montanistas, & Novatianos sic sentientes, laudare debuerat, nedum anathemate feriret; atqui longe aliter accedit: nam

1. Statim atque versus finem secundi sæculi (*an.* 171) vulgata est in Minori Asia doctrina Montanistarum, ab ejusdem Regionis Episcopis tamquam hæretica profligata est: nec multo post Gallicanorum Antistitum, ac tandem totius Ecclesiæ judicio condemnata: qua de re legi potest præter cæteros, Eusebius Cæsariensis in historia Ecclesiasica (*lib.* 5, *Capp.* 3, 15, 16, & 17).

2. Ex Sacris annalibus certum est, Novatianos 3 sæculo, Romæ in Concilio 60 Epicoporum longeque plurium Presbyterorum ac Diaconorum; (*an.* 255) eodemque pene tempore in Synodo Carthag. Episcoporum 42 damnatos & excommunicatos fuisse: hocque judicium 4 & 5 sæculo sæpe confirmatum; donec extincta sacrilega factio fuit, ergo &c.

PROBATIO QUINTA.

Ex traditione Sanctorum Patrum.

5. Tandem doctrina hæc velut catholica est tenenda, quam SS. Patres consensu unanimi propugnarunt; atqui nullum crimen esse, cui, ope clavium Ecclesiæ, non pateat nova ignoscentiæ janua, una voce Sacri Doctores affirmant.

Juvat 1 proferre Tertullianum, cujus de hac re, quando in castris Ecclesiæ militabat, præclarissima sententia fuit: *omnibus ergo delictis*, inquit (*lib. de Pœnit. c.* 4), *seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem & veniam per pœnitentiam spopondit* . . . . (*ibid. cap.* 7, & 8) *non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit, pigeat sane peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat. Pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari: neminem pudeat iteratæ valetudinis: iteranda medicina est, gratus in Dominum extiteris, si quod tibi Dominus offert non recusaveris; offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfaciæ, & quidem volentem id si dubitas, evolve quæ Spiritus Ecclesiis dicat.* (Apocal. 1, & 3.) *Desertam dilectionem Ephesiis imputat: stuprum & idolothytorum esum Thyatirenis exprobrat. Sardos non plenorum operum incusat: Pergamenos docentes perversa reprehendit: Laodicenos fidentes divitiis objurgat; & omnes ad pœnitentiam commonet, sub comminationibus quidem: non comminaretur autem non pœnitenti, si non ignosceret pœnitenti. Dubium, si non & alibi hanc clementiæ suæ profusionem demonstrasset. Non ait: qui ceciderit, resurget, & qui aversatus fuerit, convertetur? Ille est scilicet, misericordiam mavult quam sacrificium? Lætantur cœli, & qui illic Angeli pœnitentia hominis. Heus tu peccator, bono animo sis: videbis ubi de tuo reditu gaudeatur. Quid illa similitudinum Dominicarum argumenta nobis volunt? Quod mulier drachmam perdidit, & requirit, & reperit, & amicas ad gaudium invitat, nonne restituti peccatoris exemplum est? Errat & una Pastori Ovicula: sed grex una carior non erat: una illa conquiritur, una pro omnibus desideratur, & tandem invenitur, & Pastoris ipsius humeris refertur: multum enim errando laboraverat. Illum, etiam mitissimum Patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, & post inopiam pœnitentem libens suscipit, immolat vitulum præopimum, convivio gaudium suum exornat; quidni? Filium enim invenerat, quem amiserat: cariorem senserat, quem lucrifecerat; quis ille nobis intelligendus Pater? Deus scilicet, tam Pater nemo, tam prius nemo: is ergo te filium suum, etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet quia redisti: magisque de regressu tuo, quam de alterius sobrietate lætabitur: sed si pœniteat ex animo: si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos, immundum relinquas pecus, si patrem repetas vel offensum: deliqui, dicens, Pater, nec dignus jam ego vocari filius tuus.*

Ita Tertullianus, cui, quamdiu noster fuit, haud scio an in tota retro antiquitate aliquem audeas in vindicanda clavium potestate atque amplitudine comparare.

Eadem S. Cypriani in Concilio Carthagin. doctrina fuit, ubi, eo præside, communi Patrum consensu decretum est lapsos in persecutione, ad reconciliationem peracta pœnitentia admittendos. Quod Decretum in Ep. ad Cornelium Pontificem memorans: (*Ep.* 54) *Statueramus jam pridem, frater carissime*, inquit, *participato invicem nobiscum consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario & elapsi fuissent, & sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam, & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent* . . . .

quan-

quando permiserit ille qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent, solvi autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia solverentur.

Quorum similia in aliis ejusdem Ep. reperies. (*Ep.* 52, *&* 73).

Nec minus de hac re expressus est S. Joannes Chrysost. tum in libris *de Sacerdotio*, jam citat. tum in hom. de penitentia, tum præsertim in parænesi 1 ad Theodorum Monachum, ubi: *Talis est erga homines pietas Dei*, inquit: *numquam spernit pœnitentiam, si ei sincere & simpliciter offeratur, etiamsi ad summum quis perveniat malorum, & inde tamen velit reverti ad virtutis viam, suscipit libenter & amplectitur, & facit omnia, quatenus ad priorem revocet statum.*

S. Aug. Serm. 61 de verbis Dom. (*al.* 11) docet, *pœnitentiæ quorumcumque criminum locum in Ecclesia non negari: & ipsos hæreticos ad hoc utique corripiendos Apostolum dicere*: (2 *Timot.* 2, 25) *ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem .... quis enim fructus correctionis sine ulla spe remissionis?*

Et serm. 351 (*al.* 50, *inter hom.* 50) cap. 5: *si jam de sanitate desperans, addis peccata peccatis, sicut scriptum est*; (Prov. 18, 3) peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit. *Noli contemnere, noli desperare, clama etiam de profundo ad Dominum, & dic ei*: De profundis clamavi ad te Domine: *De tali Ninivitæ profundo clamaverunt, & hanc propitiationem invenerunt: faciliusque est evacuata comminatio Prophetæ, quam humiliatio pœnitentiæ: hic fortasse dicis: sed ego jam baptizatus sum in Christo, a quo omnia mihi peccata præterita dimissa sunt; vilis factus sum nimis, iterans vias meas, & canis horribilis oculis Dei, conversus ad vomitum suum: quo ibo a Spiritu ejus, & a facie ejus quo fugiam? Quo frater, nisi ad ejus misericordiam, pœnitendo, cujus potestatem peccando contempseras? nemo enim recte fugit ab illo, nisi ad illum: ab ejus severitate, ad ejus bonitatem .... quidquid feceris, quæcumque peccaveris, adhuc in vita es, unde te Deus omnino, si sanare nollet, auferret; cur ergo ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Qui enim clamando, non tibi persuasit ut non recederes, parcendo clamat ut redeas.*

Eadem denique, ne in congerendis Patrum textibus diutius immoremur, sententia fuit S. Paciani, in Ep. 1 ad *Sempronianum* Novatianum: *S. Ambrosii* l. 1 de pœnit. cap. 2 & seqq. *S. Hieronymi*, multis locis: *S. Epiphanii*, hær. 59, & omnium qui de Sacramento pœnitentiæ & clavium potestate, vel obiter, vel ex professo scripserunt: omni ergo genere argumentorum, Montanistarum & Novatianorum hæresis vincitur.

§. TERTIUS.

Solvuntur objectiones.

Opponebant Novatiani testimonium Scripturæ, (*lib.* 1 *Reg.* 2, 25) *si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* cui simile est istud Joannis: (1 *Joan.* 5, 16) *qui scit fratrem suum peccare peccatum, non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti, non ad mortem: est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.* Hinc sic argumentum contorquebant:

Peccatum, pro cujus condemnatione Deum nec rogare quidem permittitur, est irremissibile, atqui aliquod hujusmodi esse peccatum, scriptura multis locis significat, ergo &c.

℞. Admitto auctoritates: ad argumentum concessa maj. n. min. nego, inquam, quædam esse peccata, pro quibus condonandis ne orare quidem liceat. Nihil enim in Scripturis frequentius inculcatur, quam quod Deus oratione pro admissis quantumvis immanibus sceleribus ad misericordiam flecti possit: nam quæso, quod unquam peccatum fuit atrocius Diabolica machinatione Judæorum atque Gentilium, Christum Deum hominem crucis morti tradentium? Et tamen pro eis tanto scelere contaminatis oravit Salvator e patibulo pendens. *Pater*, inquiebat, (*Luc.* 23, 34) *Dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Numquid pariter, Novatianis ipsis ac Montanistis fatentibus, maximum non fuit idololatriæ peccatum ab Hebræis in deserto perpetratum? Deum tamen, propter vitulum a populo adoratum precatus est Moyses, & veniam impetravit: (*Exo. Capp.* 32, *&* 33) itaque textuum, qui opponuntur, alius est ex mentem Patrum sensus exquirendus.

Et in 1 quidem, ubi legitur: *quis orabit pro eo?* non significatur Deum, si offensus ab homine fuerit, futurum inexorabilem; sed peccata contra supremam ejus majestatem commissa remitti difficilius iis, quibus simplex homo læsus fuerit, & admodum paucos reperiri justos, ea præditos sanctitate, qua possint iram Dei placare, & ad misericordiam flectere: quomodo enim quando ait Christus: (*Luc.* 12, 42) *quis putas est fidelis dispensator & prudens?* & quando dicit Regius psaltes: (*Ps.* 14, 1) *Domine quis habitabit in Tabernaculo tuo*,

tuo, aut quis requiescet in monte Sancto tuo? & quando sapiens anxius interrogat: (*Prov.* 31, 10) *mulierem fortem quis inveniet?* sensus non est, nullibi esse mulierem fortem, aut nullum esse fidelem œconomum, aut neminem in Tabernaculo Dei habitaturum; sed paucos eos admodum esse in comparationem aliorum; ita ubi dicitur: *quis orabit?* non significatur absolute neminem esse, sed paucos occurrere qui tanta apud Deum præstent fiducia & auctoritate, ut audeant se pro peccatoribus interponere. Ita respondet S. Ambrosius: *Non scriptum est*, inquit, (*lib.* 1 *de Pœnit. c.* 9) *nullus orabit pro eo: sed quis orabit? hoc est: quis ille sit, qui in tali causa orare possit, quæritur, non excluditur.*

In 2 pariter ubi dicitur: *est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis*: non prohibet Apostolus, pro fratribus peccato ad mortem obstrictis fieri orationes: sed non audet hortari, ut oretur pro talibus cum ea impetrandi fiducia de qua proxime erat locutus (1 *Joan.* 5, 14, & 15) dicendo: *Hæc est fiducia quam habemus ad eum* (Christum:) *quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos, & scimus quia audit nos, quidquid petierimus: scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo &c.* peccatum enim ad mortem vocatur, cujus non agitur pœnitentia, nec remorsus habetur, nec venia qua par est humilitate efflagitatur: pro eo autem quis non videt frustra orandum, cum impœnitentia & obduratio peccatoris, preces omnes, quæ pro ejus conversione effundi possunt, quamdiu impœnitens esse supponitur, irritas reddat? Ita respondet S. Aug. l. 1 de serm. Dom. in monte, c. 22, eodemque sensu S. Pacianus affirmat, (*Ep.* 3 *ad Sympronianum*) *hæc Joannis verba ad peccata manentia pertinere, non ad eos qui aliquando peccaverint, & cœperint pœnitere, antequam quisquam pro illis roget.*

¶ Hæc quidem verosimilior videtur ad hunc locum responsio. Nihilominus alias etiam explicationes ejusdem afferunt SS. Patres. Ambrosius l. 1 de pœnit. c. 10 existimat non excludi a S. Joanne quamcumque pro hujusmodi peccatore deprecationem; sed insinuari dumtaxat quam difficile sit invenire, qui hac in parte apud Deum intercedendi munus obire valeat. S. Hieronymus l. 2 cont. Jovin. putat eo loci non veniæ impossibilitatem significari, sed singularem difficultatem: *cernis*, inquit, *quod si pro peccatis minoribus deprecemur, impetramus veniam: si pro majoribus, difficilis impetratio sit.* S. Pacianus Ep. 3 ad Sympronian. S. idem Hieronymus in c. 14 Jerem. S. Aug. *lib. de correp. & grat. peccatum ad mortem* illud intelligunt, in quo quis absque pœnitentia ex hac vita decedit, quod utique nunquam amplius dimittitur, cum nulla redemptio sit apud inferos. *Ego dico*, inquit Aug. *peccatum ad mortem esse, fidem, quæ per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem.* Eodemque modo peccatum hocce intellexerunt Patres Concilii Nicæni II, can. 5: *peccatum ad mortem est, quando quidam peccantes incorrepti persistunt* ¶.

Inst. 1. atqui ita sunt hæc testimonia intelligenda, quod per ea significetur, aliqua esse peccata penitus irremissibilia: ergo &c.

Prob. subs. verbis Christi: (*Matth.* 12, 31, & *seq.*) *ideo dico vobis, omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemiæ non remittetur; & quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Sp. Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

Hinc sic disputabant:

Pro iis peccatis ideo preces prohibentur, quod irremissibilia sint, quæ nec in hoc sæculo, nec in futuro dimittenda declarat Christus; atqui hujusmodi sunt peccata in Spir. Sanctum: ergo &c.

Explicantur Textus Matthæi.

2 Quæritur quid sit blasphemia Spiritus, de qua eo loci loquitur Christus? Quæstio hæc Doctorum perspicacissimo S. Aug. ita difficilis visa est, ut confessus ingenue fuerit, (*Serm.* 11 *de verb. Dom.*) nullam forte in tota Scriptura intricatiorem occurrere; hincque contigit, ut sæpe de hoc testimonio disputans, sententiam interdum aut mutaverit, aut correxerit: cum enim l. 1 de serm. Dom. in monte, c. 22 dixisset, *blasphemiam spiritus esse, per malitiam & invidiam oppugnare fraternam caritatem:* deinceps, l. 1 retract. c. 19 addendum dixit: *Si in hac tam scelerata mentis perversitate homo vitam finiverit.* Itaque ad mentem ejus, per blasphemiam spiritus debet intelligi perseverantia in nequitia cum desperatione indulgentiæ Dei, sive finalis impœnitentia, quæ est duritia cordis usque in finem vitæ: juxta quam explicationem facile est intelligere, locum hunc nihil facere contra nos.

Est & altera aliorum interpretatio, quam multi probabiliorem contendunt, blasphemiam scilicet spiritus esse impietatem, qua manifesta opera Sp. Sancti, hoc est divinæ bonitatis & Sanctitatis, Beelzebub, Spiritui nimirum immundo attribuuntur: *hoc enim est Deum facere diabolum*, inquit S. Athanasius in hunc locum:

locum, eaque non ejus solum, sed Hieronymi, Chrysost. Theophylacti, & aliorum sententia est. Jam ad argumentum

℞. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & concessa maj. distin. min. peccata in Spiritum S. neque in hoc sæculo, neque in futuro dimittenda declarat Christus, hoc est, *difficilius dimittenda*, conc. *omnino non condonanda*, n. min. & conseq.

E. R. quando res aliqua sic difficilis ac insolens est, ut raro contingat; Scripturarum loquendi more, ipsaque hominum consuetudine, nusquam fieri affirmatur: quale istud est: (*Jer.* 13, 23) *si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum*. Idemque longe pluribus exemplis, si res postularet, ostendi posset. Porro hujusmodi est peccatum in Sp. Sanctum, quod vix remitti posse fatemur, propter pravam animi dispositionem, & deploratum hominis statum, eo majorem gratiæ obicem ponentis, quo atrociori malitia, divinæ bonitatis opera Diabolo auctori attribuit: quale fuit crimen Pharisæorum, qui cum viderent Christum Dæmonia verbo fugantem, & inaudita hactenus prodigia facilitate admirabili operantem: *hic non ejicit Dæmones*, ajebant, (*Matth.* 12, 24) *nisi in Beelzebub Principe Dæmoniorum*. Hæc enim consummata ac desperata cæcitas erat, non videre quod videbant, Sancti Sp. opera adscribere diabolo, & gloriam Dei qua Princeps tenebrarum vincebatur, Diaboli appellare virtutem. De hujusmodi peccato vere est a Christo dictum, quod non dimittatur, neque in hoc sæculo, nec in futuro, hoc est, quod rarius ac difficilius dimittatur: in cæteris enim aut errore labimur, aut metu frangimur, aut carnis infirmitate superamur: in isto autem nulla talis excusatio locum habet: inde tamen non sequitur, hoc peccatum penitus esse irremissibile: a facto enim ad posse legitima consecutio est. Porro ut observat S. Joannes Chrysost. (*hom.* 24 *in Matth.*) multi eorum qui de Christo dixerant: *Dæmonium habet*: ad eum postea conversi sunt, & ab eo quem crucifixerant, veniam impetrarunt.

Inst. 2. atqui peccata quædam in scripturis dicuntur absolute non dimittenda: ergo &c. probant subs. verbis Apostoli: *impossibile est*, inquit, (*Hebr.* 6, 4) *eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Sp. Sancti, gustaverunt etiam bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes Filium Dei, & ostentui habentes*. Hinc sic eruebant argumentum:

Qui dicit impossibile esse, lapsos ad pœnitentiam revocari; quædam peccata absolute non dimittenda affirmat; atqui ore Apostoli ita loquitur Sp. Sanctus: ergo &c.

℞. nego subs. ad probat. admitto auctoritatem; & ad argumentum

Resp. 1. Si quid probet contra Catholicos, pari ratione Montanistas & Novatianos urgere: fatebantur enim illi, quædam esse peccata remissibilia post baptismum, ut superius observavimus; atqui probaret hoc argumentum, omnia penitus irremissibilia esse; cum nullam fecerit exceptionem Apostolus: non minus ergo adversariis, quam Catholicis ipsis incommodaret.

Resp. 2 concessa maj. dist. min. pronunciat Spiritus S. impossibile esse lapsos renovari ad pœnitentiam, *per baptismum de novo susceptum*, conc. *Per Sacramentum a baptismo diversum*, subdist. *hoc impossibile*, idest, *admodum difficile esse declarat*, conc. *impossibile absolute*, n. min. & conseq.

E.R. Potest illud Apostoli testimonium duobus modis intelligi.

1. De Pœnitentia prima, quæ baptismum præcedit, sive de baptismo ipso, de quo dictum est in scriptura: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*.

2. De pœnitentia, quæ fit post baptismum, quam prædiximus secundam post naufragium tabulam a Patribus appellari.

Si 1 sensu accipiatur, nullam habet difficultatem: hoc enim unum significat, quod catholica credit & propugnat Ecclesia, impossibile esse eos, qui lapsi sunt post baptismum, lavacro regenerationis iterum purgari: quia quemadmodum nasci in natura, sic renasci in gratia semel contingit. Hunc vero textus Apostolici sensum esse legitimum, communis patrum græcorum ac latinorum doctrina est, in ipsis Apostoli verbis fundata, ut attendenti patebit. Nec aliam afferebant responsionem Sancti Doctores a Montanistis & Novatianis lacessiti.

Quod si 2 sensu intelligatur, scilicet de pœnitentia post baptismum, debet sensu accommodo vox (*impossibile*) accipi: ut rem quidem significet admodum difficilem, non vero quæ absolute esse non possit. Nam, ut paulo ante monebam, non est ab usu scripturarum abhorrens, si quid difficultatem magnam præferat, impossibile dicere. Porro plenam gemitibus, veramque pro peccatis post baptismum admissis pœnitentiam, maximam importare difficultatem, solus ille negaverit, qui pœnitentiæ conditiones & pondus nescierit.

Inst. 3. atqui ita contendit S. Paulus, impossi-

possibile esse, post baptismum lapsos ad pœnitentiam revocari; ut nulla absolute gratia restitui posse affirmet: ergo.

Prob. subs. ex aliis ejusdem verbis: (*Hebr.* 10, 26 *& seq.*) *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia: Terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios*. Unde sic inferebant argumentum:

Ille affirmat post Baptismum lapsos, nulla penitus posse gratia relevari, qui dicit voluntarie peccantibus nullam hostiam esse relictam; atqui ita beatus Paulus: ergo &c.

℟. Nego subs. ad probationem admitto auctoritatem, & duobus modis sequens argumentum resolvo.

1. Dist. maj. Ille affirmat, post baptismum lapsos nulla prorsus gratia posse restitui, qui dicit voluntarie peccantibus nullam hostiam esse relictam: *Si hoc dicat cum exclusione omnimoda*: conc. *Si ad exclusionem solius hostiæ baptismalis*, n. maj. dist. pariter min. Ita Apostolus affirmat; *ad ostendendum neminem posse denuo baptizari, conc. ad significandum, nullam prorsus victimam superesse*, n. min. & conseq.

E. R. Ita hunc locum S. Aug. interpretatur, *in expositione inchoata* Ep. ad Rom. ubi docet unumquemque dum baptizatur, seipsum in similitudinem Dominicæ Passionis, Deo hostiam vivam offerre: idque præsertim significari, quando Sacerdos Christi nomine baptizans, Catehumenum Cruce signat. Sicut ergo semel Christus passus est, sic etiam nobis semel hanc hostiam licet offerre: ea communis erat Augustini temporibus Apostolici textus interpretatio. *Illud ad Hebræos*, inquit, *qui diligenter pertractant, sic intelligunt, ut non de Sacrificio contribulati per pœnitentiam cordis accipiendum sit, quod dictum est*: non adhuc pro peccatis relinquitur Sacrificium: *sed de Sacrificio, de quo tunc loquebatur Apostolus, idest, holocausto Dominicæ Passionis, quod eo tempore quisque offert pro peccatis suis, quo ejusdem Passionis fide dedicatur, & Christianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur: ut hoc significaret Apostolus, non posse deinceps eum qui peccaverit, iterum baptizando purgari*.

2. ℟. Nego maj. Hæc enim ipsa vox (*voluntarie peccantibus*) innuit aliquam quidem peccantibus hostiam esse relictam, non tamen iis qui voluntarie peccant, idest qui deliberata malitia in peccandi voluntate persistunt. Quod peccatum præcipue Apostasia est, per quam fides abnegatur. Huncque Apostoli esse sensum patet, tum ex vêrbis antecedentibus: *non deserentes collectionem nostram*: tum ex consequentibus: *post acceptam notitiam veritatis*. Loquitur autem Scriptura de hoc peccato, velut de lapsu irreparabili, non quod vere pœnitenti non pateat ad indulgentiam aditus per sanguinem Christi, sed quia qui fidem Dei, verumque ejus cultum semel abjecit, cum in Sp. Sanctum blasphemaverit, rarissimo ad pœnitentiam revocatur. Hinc merito Apostolus addit, hujus perfidiæ reis non relinqui hostiam pro peccato. Cum enim veram hostiam, idest Christi mortem, effecerint sibi Apostasia sua ac infidelitate inutilem; quamdiu in hoc excæcationis statu perdurant, quid offerant, quo confugiant, amplius non habent. Unde consequens est, ut de eorum numero sint, quos manet æternum judicium, & ignis æmulatio, sine intermissione Dei adversarios consumptura.

Monitum.

Et hæc quidem præcipua erant Montanistarum & Novatianorum Scripturas depravantium argumenta, quibus suam insaniam plebi imperitæ instillare 'adnitebantur. Nam quod ad alia spectat testimonia Scripturarum sæpissime affirmantium, gratiam peccatoribus denegari, *subsannari a Deo impios in interitu suo & irrideri*, nedum exaudiantur: (*Prov.* 1, 25) illa, inquam, quæ magno numero afferri possunt, catholicam doctrinam ne specie quidem oppugnant: aliud enim est, peccata justo Dei judicio non remitti, quod sacræ litteræ dicunt; aliud, absolute irremissibilia esse, quod nullibi dicunt.

Quia vero SS. Patres sic de peccatis aliquibus sunt locuti, ut prima fronte videantur irremissibilia judicasse, par est, ut quæ afferri solent eorum testimonia expendamus, eosque a suspicione violatæ fidei liberemus. Itaque.

Inst. 4. in gratiam Montanistarum & Novatianorum. Plerique patres affirmant, quædam 'peccata esse irremissibilia. Ergo vel dicendum Montanistas & Novatianos ab errore immunes esse: vel si accusamus illos hæresis, pari debent Sancti patres judicio condemnari.

℟. Nego antec. Qui enim præcipue opponuntur, sunt S. Cyprianus, Pacianus, & Hieronymus; atqui res est omnibus nota Novatianos & Montanistas, a nemine felicius quam ab illis debellatos prostratosque fuisse: perperam ergo tamquam Hæreticorum patroni laudantur, atque adeo, si quid alicubi subobscure locuti comperiuntur, debet, adductis eorumdem clarioribus testimoniis, ad sensum Catholicum revocari. Quod ut magis pateat:

Inst. 5. *Solus Deus*, inquit S. Cyprianus, (*Tract.*

(*Tract. de Laps.*) *misereri potest: veniam peccatis, quæ in illum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit. Homo Deo non potest esse major: nec remittere aut donare indulgentiæ sua servus potest, quod in Dominum graviore delicto commissum est*. Hinc sic argumentum conficitur:

Ille Novatianorum causam suo suffragio adjuvat, qui dicit solum Deum largiri posse veniam peccatis in ipsum commissis; atqui ita Cyprianus; ergo &c.

R. admitto auctoritatem. Ad argumentum concessa maj. dist. min. S. Cyprianus affirmat solum Deum posse largiri veniam peccatis in ipsum commissis; & ita loquitur, ut significet nullam esse absolutionem ab iis acceptam, qui neglecto rigore pœnitentiæ, pacem & reconciliationem indulgentia præcipiti dabant, conc. ita loquitur, eo quod sentiat dimittendi peccata gravissima potestatem, Ecclesiam non habere, n. min. & conseq.

E. R. Mirum est, opponi S. Cyprianum, qui in vindicanda contra Novatianos Ecclesiæ potestate, omnem quoad vixit operam posuit, ut ex ejus scriptis certissimum est; quique coacto Carthagine numeroso Concilio, hæresim infaustam proscripsit. Itaque ut mens sancti Doctoris aperiatur, notandum in hoc de lapsis tractatu duos refutari errores contrarios, alter erat *Felicissimi* diaconi, volentis lapsos in persecutione debere absque ullo satisfactionis rigore in gratiam recipi: alter *Novatiani* affirmantis, ne martyrio quidem posse crimen nefarium expiari: utrosque ut revincat, 1 contra Novatianos demonstrat, lapsis patere adhuc ad veniam aditum, unde eos ad pœnitentiam paterna pietate hortatur: 2 ostendit contra crudelem *Felicissimi* indulgentiam, ab Ecclesia sine magnis pœnitentiæ fletibus remitti peccata non posse, soliusque Dei proprium esse sic misereri, ut satisfactionis asperitatem omnino remittat:

Inst. 6. Atqui revera putavit S. Cyprianus, quorumdam remittendorum peccatorum nullam in Ecclesia esse potestatem: ergo &c. probatur subs. ex aliis ejusdem S. Doctoris verbis ibid. (*Tract. de Laps.*) affirmantis, *Noe, & Danielem, & Job orasse pro peccatoribus, nec impetrasse, dicente Domino*: (*Ezech.* 14, *v.* 14, 18) *& si tres in medio eorum fuerint, Noe, Job, & Daniel, non liberabunt filios, neque filias, sed ipsi soli salvi erunt*. Unde sic arguitur:

Ille existimavit, ad quædam dimittenda peccata nullam in Ecclesia esse potestatem, qui dixit orationes sanctorum veniam peccatoribus non impetrare: atqui hæc S. Cypriani sententia fuit: ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & cum S. Paciano (*Ep.* 3 *ad Sympronianum*) dist. maj. ille existimavit, ad quædam peccata dimittenda nullam in Ecclesia esse potestatem, qui dixit orationes sanctorum veniam peccatoribus non impetrare, *absolute*, conc. *Si conditionate* tantum hoc dixerit, in hypothesi nimirum, quod peccatores converti nolint, n. maj. Similiter distinguo minorem. S. Cyprianus dixit orationes sanctorum veniam peccatoribus non impetrare, *quamdiu renuunt ipsi converti*, conc. *absolute*, nego min. & conseq.

Cyprianus, inquit loco laudato S. Pacianus, *cum lapsos ad pœnitentiam cogeret, qui pœnitere nolebant, dicentes a confessoribus sive martyribus accepisse se pacem, docuit & ostendit, quod nec Patriarchæ illi pro non pœnitentibus impetrarent; etenim quis liberare possit invitum? quis pro superbis humiliari? quis pro non pœnitentibus impetrare? quod utique cum diceret, ad pœnitentiæ cogebat remedia; nec contra se locutus est aliquid vir illius gravitatis & meriti; sed fundendas a peccatoribus preces docuit, & exomologesim diligendam*.

Inst. 7. S. ipse Pacianus docuit quædam peccata irremissibilia esse; frustra ergo ad solvenda patrum testimonia ejus auctoritas adhibetur.

Prob. ant. ex ejus modo cit. Ep. 3 ad Sympronianum, ubi: *scriptum legisti*, inquit, *cum Dominus dæmonia verbo fugaret, & virtutes multas speciali vigore compleret, dixisse Pharisæos*: hic non expellit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. . . . *hoc est ergo quod non dimittitur: reliqua bonis pœnitentibus, Semproniane frater, donantur*: hinc sic nascitur argumentum:

Sentit S. Pacianus peccata in Sp. Sanctum, quale fuit Pharisæorum, irremissibilia esse: ergo &c.

R. Nego ant. ad probat. auctoritatem recipio, & dist. ant. sentit ita S. Pacianus ad mentem Scripturæ, quæ affirmat blasphemiam spiritus non remittendam, conc. ad mentem Novatianorum, n. ant. & conseq.

Sensus S. doctoris est, peccata in Sp. Sanctum pari facilitate, qua cætera, non remitti, eo quod nullam habeant excusationem, ut alia minora peccata quæ errore, aut metu, aut carnis infirmitate committuntur: cum e contrario ex obstinata malitia & voluntaria cæcitate procedant, per quam homo, ut ibidem loquitur, non vult ea videre quæ videt, & Sancti Sp. opera Diabolo deputat, gloriamque Domini qua Diabolus superatur, ipsius Diaboli virtutem appellat. Nam quod hæc peccata absolute

lute remitti possint, probat in his tribus ad Sympronianum Ep. & multis argumentis confirmat.

Alterum est ejusdem sensus in S. Ambrosio testimonium, cui eadem aptari debet responsio. Libro namque 2 de penitentia, c. 4, videtur innuere duo esse peccata irremissibilia: Pharisæorum scilicet, qui Diabolo Christum comparabant, & Schismaticorum, qui unitatem ejus discerpunt. Ubi non aliud S. Doctor intendit, quam hæc peccata vulgo non remitti, quia rarissimum est, ut de illis penitentia agatur, propter obstinationis & excæcationis obstaculum, quod vulgo impietatem hanc sequitur. Absolute namque tum a Christo, tum ab Ecclesia remitti posse docet ib. his verbis: *& ideo revertimini ad Ecclesiam, si qui vos separastis impie. Omnibus enim conversis pollicetur venia, quia scriptum est:* (*Rom.* 10, 13) omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. *Denique etiam Judæorum populus, qui dicebat de Domino Jesu*: Dæmonium habet: in Beelzebub ejicit dæmonia: *qui etiam crucifixit Dominum Jesum, Petri prædicatione vocabatur ad baptismum, ut sceleris tanti merita deponeret.*

Similiter explicandus erit textus alter, qui ex S. Hilario objici potest: (*Cant.* 12 *in Matth.*) ubi dicit, *omnino dimittenda peccata cujuscumque generis: blasphemiam vero in Sp. Sanctum non remittendam*. Nam hoc etiam peccatum posse deleri ac condonari, docet ibidem, affirmans, *sub secreto indulgentiæ Dei repositam esse veniam, qua omne peccatum sit remittendum.*

Inst. 8. ex auctoritate S. Hieronymi, in Ep. ad Marcellam, (Ep. 149) ubi probat contra Novatianos, ideo negationem Christi, vi tormentorum extortam, non esse peccatum... irremissibile, quia non est blasphemia in Sp. Sanctum. *Manifestum est*, inquit, *peccatum in Spiritum Sanctum, ideo non posse dimitti, quod habeat blasphemiam; ut cum videas in virtutibus Deum, Beelzebub calumnieris in factis. Doceat igitur* (Novatianus) *aliquem negatorem Beelzebub vocasse Christum; & ultro referam gradum, negatorem non posse veniam consequi post ruinam. Quia aliud est tormentis cedere, & se Christianum negare, aliud Christum Diabolum dicere, sicut tibi ipsa scriptura potuit demonstrare*. Inde sic petitur argumentum:

Docet S. Hieronymus blasphemiam in Sp. Sanctum inexpiabilem esse, eo sensu quo Novatiani contendebant negationem Christi, tormentorum metu extortam esse irremissibilem, atqui Christi abnegationi nullam veniæ spem esse relictam Novatiani mordicus affirmabant. Eadem ergo S. Hieronymi de blasphemia in Sp. Sanctum sententia est.

℟. Admitto auctoritatem. Ad probat. dist. maj. Docet S. Hieronymus blasphemiam in Sp. Sanctum inexpiabilem esse, eodem sensu quo de negatione Christi hoc ipsum Novatiani affirmabant: *& illud dicit per modum concessionis*, conc. *ex propria mente & assertive hoc dicit*, n. maj. & concessa min. n. cons.

E. ℟. ut de hoc perdifficili S. Hieronymi testimonio verum judicium sit, attendendum quis ejus scopus in hac Ep. fuerit. Nimirum respondendum habebat ad quoddam Novatianorum argumentum, cujus enodationem a se exquisierat Marcella, doctrinæ, nataliumque splendore conspicua fœmina. Argumentum sic erat: peccatum blasphemiæ in Sp. Sanctum, est irremissibile, sed idololatria & abnegatio Christi, est peccatum in Sp. Sanctum. Ergo irremissibilis est. Quid ad hoc S. Hieronymus?

1. Negat minorem. Negat, inquam, idololatriam & Christi negationem, esse blasphemiam in Sp. Sanctum: quia alioquin nullum discrimen futurum esset inter blasphemiam, quæ dicitur in filium hominis, & blasphemiam in Sp. Sanctum.

2. Blasphemiam eorum, qui Christum negant, remitti posse probat exemplo S. Petri, cui triplicis negationis peccatum est condonatum.

3. Ad argumentum, quomodo in scholis sæpe facimus, respondet; scilicet, dato quod blasphemia in Sp. Sanctum absolute irremissibilis esset, inde non secuturum idololatriam & Christi negationem pariter inexpiabilem esse, ut Novatiani volebant. Ita porro breviter respondendum putavit; tum quia satis hoc erat ad demonstrandam argumenti a Navatianis propositi vanitatem: tum quia plura eloqui per temporis angustias non licebat. *Fuerat quidem*, inquit in fine Ep. *prolixius disserendum, sed quoniam amicis, qui ad nostrum hospitiolum convenerunt, præsentiam nostram negare non possumus, & tibi non statim respondere visum est arrogantis: latam disputationem brevi sermone comprehendimus.*

Jam de mente S. Doctoris ne quod dubium supersit, peccatum quodlibet etiam gravissimum absolute remitti posse affirmat expresse, tum aliis multis locis, tum apertissime l. 1 adversus Pelagianos c. 10, ubi contendit, *pænitentiam imitari baptismatis gratiam, per ineffabilem clementiam Salvatoris, qui non vult perire quemquam, nec delectatur morte peccatorum, sed ut convertantur & vivant.*

Inst. 9, & ultimo. S. Athanasius verba Matthæi pertractans: *qui dixerit verbum contra Sp. Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*: docet (*Ep.* 10) blasphemiam in Spiritum S. esse inveniabilem: ergo &c.

℟. Dist. ant. Docet ad sensum Scripturæ,

 conc.

conc. ad mentem Novatianorum Scripturam adulterantium, n. Quod vere est a Scriptura dictum, potuit ab Athanasio & ab alio quolibet, sine reprehensione aut erroris suspicione sexcenties repeti, maxime si verbis scripturæ nihil de suo addiderit, nec in peregrinos sensus detorserit. Porro ita se res in præsenti habet. Athanasius enim Scripturæ sententiam nude ac simpliciter refert, nihil addit, nihil minuit. Non ergo alterum a Scriptura sensum habere putandus est. Immo in hac ipsa Epistola blasphemiam in Sp. Sanctum absolute remitti posse, non obscure insinuat. Nam peccata in Christum, ut hominem perpetrata, cito ac facile remitti posse affirmat: igitur e contrario quando dicit blasphemiam in Sp. Sanctum, inveniabilem esse, sic debet intelligi, non quod absolute, sed quod nisi difficulter remitti non possit. Deinde, ibidem Arianorum perfidiam Christi divinitatem negantium, dicit esse æqualem impietati Pharisæorum in Sp. Sanctum blasphemantium; atqui peccatum Arianorum absolute irremissibile S. Athanasius non putavit, cum eos ad reconciliationem admiserit: ergo &c.

De hoc argumento & de tota hac controversia qui plura voluerit, legat Natalem Alex. dissert. 22 in historiam Eccl. sæculi 3.

§. QUARTUS.

¶ Q. An alterum sine altero lethali peccato remitti valeat.

Hanc excitat quæstionem S. Thomas 3 part. qu. 76, a. 3, eamque negative resolvit, adeo ut ne possibile quidem censeat unum peccatum sine alio remitti, idque tribus rationibus probat, quarum prima est, quod peccatum remittitur, quatenus offensa Dei tollitur per gratiam justificantem. Quodcumque autem lethale peccatum gratiæ justificanti directe opponitur, eamque excludit: adeoque impossibile est, quod unum lethale peccatum sine alio remittatur.

Altera. Peccatum mortale remitti nequit absque vera pœnitentia, *ad quam*, inquit, *pertinet deserere peccatum, in quantum est contra Deum: quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus*. Porro eadem ratio est de uno ac de cæteris omnibus lethalibus peccatis: adeoque vere pœnitens esse non potest, qui de uno peccato pœniteat, & non de alio. *Si enim*, subdit S. Doctor, *displiceret ei illud peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ) sequeretur, quod de omnibus peccatis pœniteret*.

Tertia. Quoniam perfectioni divinæ misericordiæ adversatur, quod unum lethale crimen sine alio remittat. Dei enim perfecta sunt opera: nec veniam dimidiatam concedit: *Sed cujus miseretur, totaliter miseretur*.

Hoc idem diserte tradidit S Aug. sive quicunque sit Author libri *de vera & falsa Pœnit.* c. 9 scribens: *sunt plures, quos pœnitet peccasse, sed non omnino, reservantes sibi quædam, in quibus delectantur, non animadvertentes Dominum simul mutum, & surdum a Dæmonio liberasse, per hoc docens nos nunquam nisi de omnibus sanari .... Quædam impietas infidelitatis est, ab illo, qui justus, & justitia est, dimidiam sperare veniam*.

Objicies 1. Plura sunt peccata, quæ nullatenus inter se connexa sunt, ut nemo diffitetur; eorum autem, quæ nullam inter se connexionem habent, videtur alterum sine altero posse remitti.

Resp. S. Thomas, qui hoc sibi 3 loco objecerat argumentum, quod *peccata, quamvis non sint connexa quantum ad conversionem ad bonum commutabile, sunt tamen connexa quantum ad aversionem a bono incommutabili, in quo conveniunt omnia peccata mortalia*. Atque adeo cum aversio a Deo æque sit in omnibus peccatis lethalibus, hæc auferri nequit, quin omnia remittantur.

Objic. 2. Peccata quædam debita sunt, quæ in Oratione Dominica relaxari nobis petimus. Unum autem debitum sine alio remitti potest.

R. Aliud est loqui de debito *rei exterioris*, *puta pecuniæ*: aliud de debito, quod est *offensa*, vel *culpa*. Primum debitum remitti potest sine alterius remissione, quoniam ex neutra parte sive debitoris, sive creditoris amicitiæ opponitur. Alterum vero quod est culpa, aut offensa, cum amicitiæ repugnet, non remittitur sine alio, quod pariter amicitiam dissolvit. *Ridiculum enim videtur*, inquit S. Thomas, *quod etiam ab homine aliquis veniam peteret de una offensa, & non de alia*.

Objic. 3. S. Gregorius M. *Hom.* 10 *in Ezech.*, alludens ad illud Amos 4: *pluit super unam civitatem, & super alteram non pluit*, scribit: *cum aliquis ab aliis se vitiis corrigit, atque ab aliis emendari contemnit, una eademque civitas & ex parte compluitur, & ex parte arida remanet*. Hinc animadvertit, *quosdam esse, qui alia in se vitia resecant, sed in aliis graviter perdurant*. Videtur autem inde colligi, juxta S. Doctorem unum peccatum sine alio ab eodem subjecto auferri posse.

R. Dictum S. Gregorii, ut exponit S. Thomas hic ad 1, *non est intelligendum quantum ad remissionem culpæ, sed quantum ad cessationem ab actu: quia interdum ille, qui plura peccata consuevit committere, deserit unum, non tamen aliud: quod quidem fit auxilio divi-*

no,

no, quod tamen non pertingit usque ad remissionem culpæ. Unde, inquit Suarez in hunc art., desinit quidem in aliquo habitus unius vitii, & non alius, integra manente culpa.

Ex iis liquet idem dicendum non esse de remissione peccatorum venialium, quorum alia sine aliis remitti possunt, ac sæpe remittuntur. Non enim pro his eædem militant rationes, quas pro lethalibus culpis attulimus.

CAPUT SECUNDUM.

ARTICULUS PRIMUS.

De materia Sacramenti Pœnitentiæ remota.

QUemadmodum in cæteris, ita & in hoc Sacramento duplex materia distinguitur, proxima nempe, & remota. Remota materia, circa quam ut destruendam pœnitentiæ Sacramentum versatur, sunt peccata, ut ex ipso pœnitentiæ vocabulo satis liquet. Sed quia inter peccata aliud est originale, aliud actuale, quod vel lethale est, vel veniale; ideo quænam ex his propria sit hujus Sacramenti materia inquiri potest. Pro quo

Res. 1. Originale peccatum non est materia Sacramenti pœnitentiæ.

Prob. quoniam ad delendum originale peccatum aliud a Christo Domino institutum est Sacramentum, nempe baptismus. Igitur ad Sacramenti pœnitentiæ materiam pertinere nequit.

Confirm. ex D. Th. 3 p. q. 84, a. 2, ad 3, quia pœnitentia de iis tantum proprie est, quod voluntate nostra commisimus. Porro *peccatum originale non est nostra voluntate peractum, nisi forte in quantum voluntas Adæ reputatur nostra, secundum modum loquendi, quo Apost. dicit Rom. 5.* in quo omnes peccaverunt. Subdit tamen apposite S. Doctor, quod *si pœnitentia large accipiatur pro quacunque detestatione rei præteritæ, potest dici pœnitentia de peccato Originali*.

Non hoc postremo sensu pœnitentiam accepisse dicendi sunt Authores propositionis 19 inter damnatas ab Alexandro VIII, nempe: *homo debet agere* tota *vita pœnitentiam pro peccato Originali*. Quinam hanc propositionem docuerint, & quo determinato sensu eam intellexerint, satis exploratum non est. Eam diserte tradidisse Jansenium in suo opere *Augustinus*, contendit P. *Dominicus Viva* in suo *Tract.* in hanc propositionem: sed verba, quæ ex illo profert, id plane non ostendunt: solumque ex ejus sistemate, ac doctrina de concupiscentia, cæterisque inordinatis moribus ex primigenia labe provenientibus, eam quosdam Jansenii discipulos collegisse existimari potest. Quocumque autem in sensu eamdem acceperint, proculdubio a catholicæ fidei sensu ac doctrina in sacra Trid. Synodo tradita exorbitarunt. Hæc enim S. Synodus sess. v de peccato Originali ita decrevit: " Si quis per Jesu „ Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non „ tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantum „ radi, aut non imputari; anathema sit. In „ renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est „ damnationis iis, qui vere consepulti sunt „ cum Christo per baptisma in mortem qui „ non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo „ dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, „ cohæredes autem Christi, ita ut nihil eos „ ab ingressu cælorum remoretur ". Ex quibus verbis contra damnatæ propositionis doctrinam hoc conficitur argumentum:

Pœnitentia agenda est pro peccato, quod non plene remissum est, saltem quoad reatum pœnæ temporalis, quæ luenda superest post culpæ remissionem, & debiti penæ æternæ. Atqui originale crimen, quod est peccatum naturæ, per baptismum ita deletur, ut nihil omnino damnationis remaneat in renatis, qui e sacro fonte emergunt puri, immaculati, & sanguine Christi super nivem dealbati, adeo ut vere renati dicantur, quia nova cœlesti nativitate donantur, quasi modo a Deo geniti infantes, Paradiso addicti ex hæreditate, quam per Christi sanguinem consequuntur. Igitur asserere, quod pro peccato originali agenda sit pœnitentia, maximeque *totius vitæ* tempore, erroneum commentum credendum est.

Id amplius declaratur ex doctrina Angelici Præceptoris hic q. 68, art. 5, ubi ait: „ Per „ baptismum aliquis incorporatur passioni, & „ morti Christi, secundum illud Rom. VI: *si* „ *mortui sumus cum Christo, credimus, qui simul etiam vivemus cum eo*. Ex quo patet, quod „ omni baptizato communicatur Passio Christi „ ad remedium, ac si ipse passus, & mortuus „ esset. Passio autem Christi, sicut dictum est, „ sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis est „ omnium hominum. Et ideo ille, qui baptizatur, liberatur a reatu totius pœnæ pro „ peccatis ac si ipse sufficienter satisfecisset pro „ omnibus peccatis suis „. Quibus verbis nedum S. Thomas docet in pueris originale peccatum plenissime deleri, sed etiam in adultis originale simul & actuale omnino remitti, ita ut etiam quoad reatum pœnæ penitus innoxii sint, qui regenerantur, quibus proinde nulla superest pœna

na

na luenda. Ex hoc autem principio, & ex ipsa conditione originalis peccati colligit idem S. Doctor *in suppl.* q. 2, *a.* 2, dolorem, qui ad pœnitentiam pertinet, non esse de peccato originali. Sic enim scribit: „ contritio est dolor „ respiciens, & quodammodo comminuens vo„ luntatis duritiem. Et ideo solum de illis pec„ catis potest esse, quæ ex duritie nostræ vo„ luntatis in nos proveniunt, & quia peccatum „ originale nostra voluntate non est inductum, „ sed ex vitiatæ naturæ origine contractum; „ ideo de ipso non potest esse contritio proprie „ loquendo, sed tantum displicentia vel dolor": quatenus nempe est malum naturæ ex prævaricatione Protoparentis nostri proveniens, & in nos plures pœnalitates inducens. Sed hæc displicentia, vel dolor ad pœnitentiam non pertinet. Ac de hoc quidem satis.

R. 2. Peccatum omne actuale quod baptismum consequitur, est remota materia pœnitentiæ: mortale quidem materia necessaria: veniale vero sufficiens.

Prob. 1 Pars, 1 quia illa est materia remota Sacramenti pœnitentiæ, circa quam ut destruendam versatur materia proxima, contritio scilicet, confessio, & satisfactio: sed hæc versatur circa peccata actualia ut destruenda, ergo &c. Dixi tamen *omne peccatum actuale consequens baptismum*: si quidem materia pœnitentiæ sunt ea sola peccata, quæ subjici possunt, vel debent Ecclesiæ clavibus: ea autem sola peccata subjici possunt Ecclesiæ clavibus, quæ baptismum consequuntur, qui est janua, per quam Ecclesiam intramus.

Prob. 2. Pars: Ea peccata sunt necessaria Sacramenti pœnitentiæ materia, quæ clavibus Ecclesiæ necessario subjicienda sunt. Atqui peccata mortalia nondum remissa necessario Ecclesiæ clavibus subjici debent: ut declaratum est in Concilio Trid. sess. 14, Can. 7 dicente: *si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, anathema sit.* Hinc non ille tantum, qui per ferventem caritatis actum remissionem, & veniam peccatorum adeptus est, ea Tribunali pœnitentiæ subjicere tenetur; sed etiam, qui ab iisdem in hoc Tribunali solutus esset indirecte, vel quia in præcedenti confessione eorundem oblitus fuerit, vel alia justa de causa non declaravit. Quoniam generale Christi præceptum nullum mortale crimen excipit a lege confessionis. Sed de hoc fusius infra.

Prob. 3 Pars de venialibus, quod nempe sufficiens materia pœnitentiæ sacramenti sint, ex eodem Concilio Trid. sess. 14, Cap. 5, ubi ait: *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quam recte & utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicuntur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Idemque asserendum est de peccatis mortalibus jam dimissis, ut ex eadem communi fidelium piorum praxi colligitur, quam approbavit semper Ecclesia ac specialiter approbat Benedictus XI in Decretali *inter cunctas*, ubi ait: *licet de necessitate non sit eadem confiteri peccata; tamen proter erubescentiam, quæ magna est Pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum reiteretur confessio, reputamus salubre &c.*

At inquies adversus postremam hanc partem: nemo potest bis in idipsum exterius judicari in eodem Tribunali, aut bis a vinculis corporeis solvi. Igitur neque iterato absolvi a peccatorum vinculis in Tribunali pœnitentiæ.

R. Disparitas est: ideo namque nec bis in idipsum judicatur aliquis in exteriori foro, nec bis a corporeis vinculis solvitur: quia & secundum judicium inutile foret, & secunda vinculorum solutio nihil auferre potest, quod antea ablatum non fuerit. At vero aliud est in sacramentali judicio quoad peccata remissa. Posterius quippe judicium & pœnæ aliquid auferre, & ampliorem gratiam impertiri potest: adeoque inutile, & supervacaneum non est dicendum. ¶

ARTICULUS SECUNDUS.

De materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, sive ex qua ipsum sacramentum constat.

Duo hic præstanda incumbunt: 1° Doctrina Ecclesiæ proponenda: 2 Scholarum controversiæ dirimendæ. Ut igitur a priori ordiamur:

Tres pœnitentis actus, contritionem, confessionem, & satisfactionem esse quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, fidei doctrina est, ab Ecclesia totidem verbis expressa ac definita: *sunt autem quasi materia hujus Sacramenti*, ajunt Trid. patres, (*Sess.* 14, *c.* 3) *ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, & ad plenam & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, pœnitentiæ partes dicuntur* ... (*Ib. can.* 4) *si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remissionem, requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur: aut dixerit, duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio,*

ut

vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata: anathema sit.

Idemque antea fuerat ab Eugenio IV Pontifice Max. declaratum his verbis: (*in decreto pro instr. Armen.*) *quartum Sacramentum est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est, cordis contritio ... secunda oris confessio... tertia satisfactio.*

Eamdem Græcorum, Orientaliumque doctrinam esse in posterum ostendetur, ubi sigillatim de contritione, confessione, & satisfactione agetur.

Nec desunt hujus veritatis certissima argumenta.

In iis enim actibus Sacramenti materia est ponenda, qui ad ejus integritatem, & plenam atque perfectam peccatorum remissionem ex Christi instituto requiruntur; atqui tales sunt contritio, confessio, & satisfactio.

Ac 1 quidem contritionem divina naturalique lege esse necessariam, vel hinc invicte probatur, quod materia Sacramenti, virtus ipsa pœnitentiæ sit, quam Christus Sacramenti excellentia sublimavit; atqui virtus pœnitentiæ, ut prædiximus (*qu. 1.*) potissimum in contritione consistit: ergo &c.

2. Confessionem ex Christi præscripto requiri, ipsa clavium potestas significat, quam Apostolis contulit, dicendo: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: equidem in lege naturæ & lege scripta, quando a peccatis absolvendi ministerium nemini homini creditum Dei indulgentia fuerat, satis erat peccatoribus ad invisibile Die tribunal se sistere, eidemque conscientiæ ulcera, intimosque recessus confessione humili propalare: *delictum meum*, inquiebat David, (*Ps. 31, 5 & seq.*) *cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi, dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*... item Ezechias Rex (*Is. 38, 15*) *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Sed postquam judicii auctoritas Apostolis eorumque successoribus data est, exinde confessionem non Deo soli, sed & homini fieri oportuit: ubi enim judicium intervenit, causam cognosci necessarium est; atqui a sacerdote cognosci causa peccatoris non potest, nisi humilis & sincera confessio præcesserit: ergo &c.

3. De satisfactione, quod necessaria sit, perspicuum est: pœnitentia enim non solum est actus judicialis, per quem homo in Dei gratiam redit, sed etiam judicium vindicativum juris divini, quod peccato est violatum, atqui vindicatio sine pœna & satisfactione esse non potest. Deinde: quæ pars est virtutis pœnitentiæ; eadem pertinere ad Sacramentum putari debet; quia ut est sæpe dictum, virtus ipsa præbet materiam Sacramento: atqui satisfactio ad virtutem pœnitentiæ pertinet, ut prædictum est, & qu. 6 plenius declarabitur: hinc in Joelis prophetia legitur; (*Joel 2, 12 & seq.*) *convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, &c.*

De his tribus pœnitentiæ partibus præclara SS. Patrum testimonia ubique occurrunt: unum in præsenti, aut alterum exscribemus, inferius plura daturi. *Confiteantur*, inquit S. Cyprianus, (*tract. de laps.*) *singuli, quæso vos fratres, delictum suum: dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata est, convertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur.*

Et S. Joannes Chrysost. (*hom. de pœnit.*) *perfecta pœnitentia cogit pœnitentem omnia libenter ferre: in corde ejus contritio, in ore confessio, in opere toto humilitas: ut quibus modis Deum offendimus, corde, ore, opere, iisdem reconciliemur Deo: corde quidem per contritionem, ore per confessionem, opere per satisfactionem.*

Eodemque sensu S. Aug. explicans hæc verba Ps. 146, v. 3, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum: *sanat* inquit, *contritos corde, sanat confitentes, sanat se ipsos punientes.*

Atque hinc perspicuum est, longissime a veritate catholica Lutherum exorbitasse, quando Lovanienses Doctores refutans, (*in scripto cont Lovaniens. prop. 37*) *pœnitentia tradita a Lovaniensium Synagoga, scilicet quod sit contritio, confessio, & satisfactio, nulla est, nisi Judæ proditoris & similium: & ideo ut hæretica est damnanda.* Quis non rideat nebulonis audacissimi ignorantiam, doctrinam totius Ecclesiæ, uni academiæ velut propriam adscribentis? Quis vero non stupeat privatum hominem ab Ecclesia profugum, tantam sibi arrogare auctoritatem, ut dogmata Religione certissima audeat hæresibus accensere, sibique uni credi velit contra indefectibile perpetuæ traditionis judicium?

Jam si quæratur, utrum tria hæc parem habeant in Sacramento gradum necessitatis?

℟. Negative. Quando enim pleraque ad unius ejusdemque rei perfectionem ita concurrunt, ut primum formaliter, ut loquuntur, inesse oporteat, nullaque ratione suppleri ejus absentia possit: cætera vero, si haberi aliter nequeant, solo desiderio compensentur: evidens est, quod æqualis necessitatis non sint; atqui ita inter se comparantur contritio, confessio, & satisfactio.

ctio. Contritio enim sive cordis compunctio sic necessaria est, ut sine illa stare pœnitentiæ Sacramentum penitus impossibile sit. Nemo enim est venia dignus, nisi qui vere ad Deum conversus est. Porro si quis conversionem sine contritione intelligit, pari facilitate montem intelliget sine valle. Jam vero confessio, si quis casu quolibet linguam habet impeditam, vel signis ac nutibus, vel vitæ bene actæ testimonio, vel, ut multis quidem placet, ejusdem saltem præsumptione suppletur. Satisfactio denique omitti ex integro potest, ejusque sufficit formale aut virtuale propositum, si pœnitens in ipso mortis articulo absolutione donetur: ergo &c.

ARTICULUS TERTIUS.

Scolarum dissidia componuntur.

Atque in his quidem scholarum omnium in Ecclesia Catholica, nemine contradicente, consensio est. Sed qua ratione debeat materiæ nomen in præsenti accipi, an de materia Sacramentum intrinsece componente, quomodo aqua esse baptismi pars affirmatur; an de materia extrinseca & objectiva, quæque mera ad Sacramentum dispositio sit? In hoc nimirum Theologorum, nec sine æstu agitata contentio est.

§. PRIMUS.

Referuntur opiniones.

1. Quidem Thomistæ omnes, & plerique alii cum Angelico præceptore contendunt, contritionem, confessionem, & satisfactionem esse materiam proprie dictam, ex qua Sacramentum in se constituitur.

2. In contrarium Scotistæ Doctoris subtilis vestigiis insistendo volunt, tres pœnitentis actus necessario quidem requiri, ut Sacramentum ex effectu sit integrum, sive esse materiam, circa quam proxime & objective pœnitentia occupatur: negant vero ad integritatem substantialem pertinere, aut intrinsece Sacramentum ipsum componere. Scotus enim (*in* 4, *dist.* 14, *q.* 4, *& dist.* 16, *q.* 1) Sacramenti essentiam in sola absolutione reposuit: ita ut, quatenus ritus sensibilis est, pro materia: quatenus vero remissionem peccatorum significat, debeat pro forma haberi. Unde intulit, veram hanc & adæquatam Sacramenti esse definitionem: *Pœnitentia est absolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis, cum debita intentione prolatis, a Sacerdote jurisdictionem habente, ex institutione divina efficaciter significantibus absolutionem animæ a peccato.*

3. Durandus (*in* 4, *dist.* 16) partim cum Scoto consentit, partim dissentit, etsi enim concedat, contritionem & satisfactionem partes pœnitentiæ aliquatenus dici posse, si pars pro eo omni sumatur quod pœnitentiam vel antecedit, vel sequitur: negat tamen eo nomine appellandas, si stricte & proprie pars esse dicatur hoc solum, per quod ipsum in se Sacramentum constituitur. Aliter vero de confessione decernit, quam vult ad Sacramentum intrinsece pertinere: censet itaque absolutionem esse pœnitentiæ formam, totamque ejus materiam in sola confessione consistere; atque adeo contritionem esse, præviam ad Sacramentum dispositionem; satisfactionem vero fructum ejus & appendicem.

Quæritur quid de his opinionibus sentiendum: Quæ difficultas ut resolvantur, sit

§. SECUNDUS.

Ostenditur Scoti opinionem fidei nihil habere contrarium.

Ut enim censura adeo gravi perstringeretur, probari ex Scriptura aut traditione deberet contritionem, confessionem, & satisfactionem, esse partes intrinsece & per modum materiæ Sacramentum pœnitentiæ componentes; atqui in tota Scriptura & traditione nec verbum suggeritur, unde inferri queat sententiam hanc fidei dogmatibus comprehendi. Nam semper quidem Ecclesia credidit contritionem, confessionem, & satisfactionem vel in re, vel in voto ad Sacramentum necessario, & aliquatenus essentialiter pertinere, an vero intrinsece Sacramentum componerent, aut e contrario eidem velut conditiones extrinsece adhærerent? quæstionem hanc subtilem magis quam necessariam, intactam penitus voluit, & Scholarum disputationi reliquit. Hinc prudenti consilio ab Eugenio IV, & Synodo Trid. declaratum, *contritionem, confessionem, & satisfactionem esse quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ*: ubi vox (*quasi*) observationem meretur.

Deinde: Ubi multorum in eodem dogmate propugnando plena consensio est & in solis vocibus ac nodis scholasticis controversia tota versatur, tum sane non est inter eos tale ponendum discrimen, ut alii pro fide, alii dicantur contra pugnare; atqui si bene advertimus, Thomistarum cum Scotistis, & Durandi cum utrisque in dogmate Catholico admittendo plena est concordia: in qualibet enim parte contra Lutheranos, velut pro aris ac focis pugnatur, non sufficere ad veram penitentiam terrores conscientiæ incussos, & fidem, qua creditur peccata

enta per Christum esse remissa; sed præterea necessario requiri contritionem, confessionem, & satisfactionem. Quidquid vero inter illos rixarum est, illuc tandem revocatur, qua ratione ad Sacramentum actus isti pertineant, intrinsece an extrinsece, objective an subjective? quam quæstionem, fidei substantiam non attingere, fereque de solo nomine esse, dudum a viris apprime doctis, nominatim vero ab Andrea Vera Scriptore inter Scotistas primi subsellii, (*in Concilium Trid.*) observatum est. Iniquum ergo fuerit, propter tam leve discrimen, Scotistas læsæ fidei accusare.

Præterea: non potest in hæresis suspicionem adduci opinio, quam a duodecimo sæculo ad nostram usque ætatem, libere & consentiente Ecclesia, Scriptores fidei Catholicæ addictissimi propugnarunt; atqui hujusmodi est opinio asserens contritionem, confessionem, & satisfactionem esse tantum partes & conditiones extrinsecas pœnitentiæ. Nam

1. Doctrinam hanc 12 sæculo tenuerunt, *Robertus Pullus* Cardinalis, (*part.* 6, *c.* 61) & *Stephanus Langthonus* Archiepiscopus Cantuariensis; eamque deinceps a *Scoto* nobilitatam manibus pedibusque amplexi sunt *Guillelmus Okamus*, *Joannes Major*, *Jacobus Almainus*, Scotistæ denique omnes, quibus multi alii adhæserunt.

2. Nec minor fuit opinandi licentia, post emissum sæculo 15 ab Eugenio IV Pontifice Max. pro Armenis instruendis decretum. Imo Concilii Trid. temporibus, communem hanc multorum fuisse opinionem, fide digni Scriptores affirmant.

3. Narrat Cardin. Pallavicinus in Histor. Concilii Trid. (*l.* 12, *c.* 12) Scotistis in Synodo conquerentibus, quod patres definivissent, tres pœnitentis actus esse quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, verentibusque ne hoc canone crederetur suæ opinioni allatum aliquid detrimenti, plene a patribus satisfactum.

4. A temporibus Synodi Trid. acceptæ a suis majoribus opinioni, ubique Scotistæ pari ac antea libertate, nec minore tenacitate adhæserunt; eamque etiam num, tum in Scholis domesticis, tum in orbis Christiani Academiis, Ecclesia non improbante defendunt: ergo &c.

Quod vero de Scotistarum sententia dictum est, debere pariter de opinione Durandi intelligi, quod scilicet fidei Christianæ integritatem nec leviter lædat, eadem pene argumenta evincunt.

§. TERTIUS.

Ostenditur Sancti Thomæ doctrinam propius ad veritatem accedere.

Quamquam vero certo teneamus, Doctoris subtilis, & ab ejus nomine dictæ celeberrimæ scholæ sententiam ab omni hæresis suspicione remotissimam esse; contendimus tamen jure nostro, verosimiliorem Angelici præceptoris esse doctrinam, affirmantis actus pœnitentis esse propriam & internam Sacramenti materiam; idque probamus

1. Ex analogia pœnitentiæ cum aliis Sacramentis. Cætera enim duabus partibus intrinsece coalescere, quarum altera materiæ, formæ altera locum teneat, axioma est in Theologia receptissimum. Hinc quod est a S. Aug. de baptismo dictum: *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum:* omnibus Sacris Symbolis generaliter accommodatur; atqui si substantia Sacramenti pœnitentiæ, in sola, ut volunt Scotistæ, absolutione consisteret, nulla, in hac saltem parte, illius esset cum cæteris Sacramentis convenientia: nec de illa dici posset, quod haberet materiam a forma diversam. Quod enim ajunt, absolutionem respectu vario materiæ & formæ vices implere: materiæ quidem, quatenus sensibilis est, formæ vero, prout peccatorum remissionem significat, merum effugium est, cum non minus debeat esse sensibilis forma Sacramenti, quam ipsa materia: ergo &c.

2. Ideo e. c. dicimus, aquam esse internam Baptismi materiam, quia Christus elementum aquæ eo dignitatis evexit, ut accedente verbo: *ego te baptizo &c.* peccatum abstergeret, & gratiam sanctificantem ex opere operato conferret; atqui ad eumdem honoris gradum virtutem pœnitentiæ extulit, ut scilicet accedente Sacerdotis absolutione peccatorum remissionem operaretur. Ergo virtus pœnitentiæ, Sacramenti propria & intrinseca materia est. Jam sic subsumo; atqui virtus hæc potissimum in contritione & satisfaciendi voluntate consistit: deinde vero, quatenus absolvendi ministerium ritu judiciario exercetur, sine confessione esse non potest. Ergo tres illi pœnitentis actus veram constituunt Sacramenti materiam.

3. Si qua ratio, actus pœnitentis materiam Sacramenti esse non sineret, maxime quia eorum cum forma Sacramentali nulla proportio foret, atqui non valet hæc ratio: nam ut constat ex dictis libro primo, de Sacramentis in genere, Sacramentum non est totum physicum, ex partibus natura conjunctis coalescens; sed

sed totum morale, quod scilicet ex partibus disparatis consurgit, minimeque natura convenientibus. Nam quæso quid similitudinis aut proportionis naturalis est, inter aquam elementarem, & verba; *ego te baptizo &c.* hinc sic subsumo: tam potuit Deus, ex actibus pœnitentis & absolvendi forma Sacramentum hoc constituere, quod pœnitentiam dicimus, quam ex ablutione aquæ naturalis & verbis accedentibus Sacramentum baptismatis efformare: non enim major in uno, quam in altero pugnantia est: imo actus inter pœnitentis, & ejusdem a peccato absolutionem convenientiam quandam esse negare non possumus; cum in foro ipso humano absolutio Rei ex ejus confessione & voluntario acceptata satisfactione sequitur. Cum itaque potuerit ex elementis & verbis natura disjunctissimis reliqua Sacramenta formare, quanto magis fatendum est, ex præparatione pœnitentis & ministerio Sacerdotis judicantis Sacramentum pœnitentiæ constituere potuisse?

4. Ejusdem rei petitur ex decreto Eugenii IV non contemptibile argumentum. De Sacramentis enim generatim ita pronuntiat: *hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia . . .* Deinde de pœnitentia specialiter: *quartum*, inquit, *Sacramentum est pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus pœnitentis*. Unde sic argumentor:

Utroque in loco nomen materiæ summus Pontifex, eodem sensu accipit, quod nemo, opinor, negabit; atqui quando ait, tribus perfici omnia Sacramenta, loquitur, non de materia circa quam, sed de materia intrinsece & substantialiter Sacramentum componente: hoc enim affirmat alludendo ad sententiam S. Aug. (*Tract. 80 in Joann.*) *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Pariter itaque qnando dicit, pœnitentis actus esse quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, non de materia circa quam, sed de materia Sacramentum intrinsece perficiente debet intelligi. Non enim ait (*quasi*) ad insinuandum his actibus Sacramentum pœnitentiæ interius non componi; sed ad significandum, non esse materiam elemento similem, & extrinsecus ob oculos positam: quomodo aqua in baptismo, & Chrisma in confirmatione materia est.

5. Denique eidem doctrinæ favet Conc. Trid. Etsi enim hoc iterum fateamur, quod superiori paragrapho in gratiam Scotistarum adstruebamus, Trid. patres gravioribus negotiis occupatos, sibi non sumpsisse controversias scholatum dirimere, ultro tamen quisquis attenderit, recognoscet, magis in S. Thomæ, quam in contrariam sententiam propendisse. Nam sessione 14, c. 3 & can. 4 supra cit. affirmant:

1. Actus pœnitentis esse partes Sacramenti pœnitentiæ.

2. Ad integritatem Sacramenti pertinere.

3. Esse quasi materiam hujus Sacramenti.

Unde sic argumentum prosequimur; atqui quæ ad rem aliquam mere objective & extrinsece pertinent, non solent dici partes ejus integrantes & materiales: quis enim dixerit, oculi partem esse colorem, propterea quod ejus objectum sit? Intelligit ergo Concilium, iis actibus intrinsece & substantialiter Sacramentum constitui.

Deinde. Supponit Concilium, actus pœnitentis vim quandam Sacramentalem habere: ait enim in hoc cap. 3: *Docet præterea S. Synodus, Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue vis ipsius sita est, in illis Ministri verbis positam: ego te absolvo &c.* ubi enim duo occurrunt, quorum uni aliquod attributum præcipue convenit, consequens est, ut alteri suo quoque modo conveniat, etsi minus principaliter. Ergo Concilium Trid. ideo actus pœnitentis Sacramenti materiam nominat, ut ex illis componi intrinsece innuat: adeoque haud immerito dictum, probabiliorem S. Thomæ quam Scoti esse doctrinam.

§. QUARTUS.

Scotistarum argumenta solvuntur.

Quod ut evidentius appareat, juvat præcipuas Scotistarum difficultates expendere.

Objiciunt. Perfectum pœnitentiæ Sacramentum a Sacerdote confertur; nec enim alius præter Episcopum aut presbyterum, potest hoc sibi officium arrogare, ut Concilium Trid. ad mentem Scripturæ & traditionis definit; (*Sess. 14, cap. 6, & can. 10*) atqui si pœnitentis actus intrinsece componerent Sacramentum pœnitentiæ, jam non solus Sacerdos, sed ipse etiam pœnitens esset hujus Sacramenti minister: ergo &c.

℟. Concessa maj. n. min. Is enim solus, verus est pœnitentiæ Sacramenti minister, cujus est verba proferre, quæ dant materiæ, gratiæ conferendæ fœcunditatem, quibus accedentibus ad elementum, fit Sacramentum; atqui licet pœnitens actus exerat, quos dicimus pœnitentiæ esse materiam, ad Sacramenti tamen dignitatem actus illi non provehuntur, neque habent gratiæ Sacramentaliter conferendæ virtutem, nisi quatenus cum verbis absolvendi a Sacerdote prolatis junguntur: a quibus

bus si distrahantur, materia proxima Sacramenti dici non poterunt, quomodo aqua sine verbo baptismi materia, nisi remote, non est: ergo &c.

Deinde: idem dicendum de pœnitentia ac de matrimonio; atqui licet materia Sacramenti Matrimonii sit mutuus contrahentium consensus, quod erit alibi demonstrandum, hoc non impedit, quominus solus Sacerdos dicatur hujus Sacramenti minister. Ergo a pari etiamsi materia pœnitentiæ in actibus hominis pœnitentis consistat, est tamen solus Sacerdos ejus conficiendi minister.

Inst. 1. prob. min. qui majori ex parte conficit Sacramentum, titulo ministri fraudari nequit; atqui in hypothesi Thomistarum pœnitens in Sacramenti confectione præcipuas & difficiliores partes adimplet, cum ad illum pertineat materiam exhibere: ergo &c.

℟. Dist. maj. Qui majorem conficit partem Sacramenti, titulo ministri fraudari nequit, si de iis Sacramentis sit sermo, quorum materia consistit in elemento sensibili, conc. si de iis agatur, quorum materia sunt ipsi actus suscipientis, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. ℟. Pœnitentiam inter & reliqua Sacramenta (solo dempto Matrimonio) hoc discriminis intercedit, quod in cæteris materia, res aliqua sensibilis sit, omnino a subjecto diversa, in pœnitentia vero actus penitentis materiæ loco sint: quo fit ut ab ipso Sacramenti subjecto expendi, præstarique debeant. Quocirca non idem de pœnitentia ac de baptismo e. c. debet esse judicium, neque ex eo quod Sacerdos materiam pœnitentiæ non conferat, consequens est, non esse Sacramenti ministrum. Ille enim solus Sacramentum conficit, qui formam materiæ applicat, unde vim omnem suam trahit Sacramentum; atqui solus Sacerdos formam materiæ applicat, solus clavium potestatem exercet, earumque virtute absolvit: ergo &c.

Inst. 2. Atqui in hypothesi quod actus pœnitentis sint propria & intrinseca Sacramenti materia, non poterit dici solus Sacerdos hujus Sacramenti minister; ergo &c.

Prob. subs. ille solus non est Sacramenti minister, qui non id omne exhibet, cui proprium est gratiam ex opere operato conferre; atqui in Thomistarum doctrina, non id omne præbet Sacerdos, cui convenit gratiam ex opere operato conferre, nam materiam ministrare ad eum non pertinet; atqui materia Sacramenti ad gratiam ex opere operato producendam ex Christi institutione concurrit: ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. concessa maj. n. min. & ad ultimum argumentum concessa pariter maj. dist. min. materia Sacramenti ex institutione Christi ad gratiam ex opere operato producendam concurrit, quatenus cum forma conjungitur, & ab illa, ut ita dixerim, fœcundatur, conc. quatenus in se præcise, & separatim a forma spectatur, n. min. & conseq.

E. R. Cum materia Sacramenti non ex se præcise habeat, quod ad gratiam ex opere operato producendam concurrat; sed quatenus est per formam determinata: ille solus putari debet verus Sacramenti minister, qui formam materiæ admovet. Jam vero quod actus penitentis non ex se præcise & separatim a forma, effectus producendi vim habeant, sed quatenus formæ connectuntur; tum aliorum Sacramentorum exemplum probat, tum expresse tradit S. Thomas: *actus humani qui sunt ex parte peccatoris*, inquit, (3 p. q. 86, *art.* 6, *in C.*) *materialiter se habent in Sacramento pænitentiæ, omne autem Sacramentum producit effectum suum, non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ: ex utroque enim est unum Sacramentum. Unde sicut remissio culpæ fit in baptismo, non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ, scilicet aquæ, principalius tamen virtute formæ, ex qua & ipsa aqua virtutem recipit: ita etiam & remissio culpæ est effectus pænitentiæ, principalius quidem ex virtute clavium quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id quod est formale in hoc Sacramento: secundario autem ex vi actuum pænitentis, pertinentium ad virtutem pænitentiæ, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiæ.*

Inst. 3. Cum Sacramentum sit essentialiter res sensibus subjecta, non potest aliquid dici Sacramenti materia, nisi sensibile fuerit, atqui contritio non est quid sensibile, cum tota intus in anima sit. Ergo is saltem actus ad materiam Sacramenti non pertinet.

R. Dist. maj. non potest aliquid dici Sacramenti materia, nisi sensibile sit, vel mediate, vel immediate, vel in se, vel in signo quodam suo, conc. immediate & in se ipso, n. maj. Similiter dist. min. Contritio non est sensibilis, immediate & in se ipsa, conc. mediate, & in aliquo suo signo, n. min. & conseq.

E. ℟. Fatemur contritionem immediate & in se non esse sensibilem, quia ut bene in argumento notatum est, intime cor adhæret, & internus animi dolor essentialiter est. Sed mediate sensibilem esse contendimus, quatenus per actus exteriores confessionis, & satisfactionis, aliaque externa doloris signa manifestatur. *Dicendum*, inquit S. Thomas; (3 p. q. 90, *art.* 2, *ad* 1) *quod contritio secundum essen-*

essentiam quidem est in corde, & pertinet ad pœnitentiam exteriorem, in quantum scilicet importat propositum confitendi & satisfaciendi.

Inst. 4. Atqui licet possit contritio se ipsam exterius signo aliquo prodere: non est tamen dicenda Sacramenti materia, ergo &c. Prob. subs. idem de pœnitentia ac de baptismo debet esse judicium; atqui licet contritio quædam baptismo præmitti debeat ab adultis, non ideo tamen pars sive materia baptismi dicitur esse: ergo &c.

℞. Nego subs. ad probat. n. maj. & paritatem. Disparitas ex ipsa Sacramentorum differentia peti debet, ut docet præceptor Angelicus. *Dicendum*, inquit, (*3 p. q. 84, art. 2, ad 1*) *quod in illis Sacramentis, in quibus confertur excellens gratia, quæ superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exterius, sicut in baptismo & in confirmatione .... unde si qui actus humani sunt in talibus Sacramentis, non sunt de essentia Sacramentorum, sed dispositive se habent ad Sacramenta: in illis autem Sacramentis, quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materiæ, ut accidit in pœnitentia & matrimonio*. Ita S. Thomas; cujus responsio si cuiquam minus arrideat, alteram damus ex ipsa Christi institutione petitam. Quando enim dixit Salvator: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Sp. Sancto, non potest introire in Regnum Dei:* abunde significavit, aquam futuram baptismi materiam, contritionem vero in adultis, non secus ac fidem, in meris Sacramento præmittendis dispositionibus locum habituram: eoque magis, quod si contritio Sacramenti regenerationis materia foret, nullibi sine contritione posset verus esse baptismus; atqui infantes & amentes vere sine contritione præhabita baptizantur. Ergo mera Sacramenti conditio, non materia dici debet. Numquid vero possumus idem de Sacramento pœnitentiæ affirmare, in quo præter actus pœnitentis, quod locum materiæ teneat nihil occurrit?

Inst. 5. Cum debeant materia & forma Sacramenti simul existere, non potest dici materia Sacramenti pœnitentiæ, quod formam præcedit, multoque minus poterit hunc sibi titulum arrogare, quod erit forma posterius; atqui confessio & satisfactio non simul existunt cum forma: absolutionem enim præcedit confessio, satisfactio vulgo sequitur: ergo &c.

℞. 1. Nego maj. propositionem universaliter intellectam de omni & quolibet Sacramento: nego, inquam, materiam & formam in unoquoque Sacramento ita necessario coexistere, ut si aliqua intercapedine dividantur, verum desinat esse Sacramentum. Hæc enim regula etsi in baptismo & cæteris Sacramentis locum habeat, in quibus nihil impedit, quominus materia & forma simul existant, in pœnitentia certe non habet, cujus forma debet applicari materiæ juxta modum suæ institutionis. Porro sic instituta est pœnitentia, ut ad modum judicii debeat exerceri. Quemadmodum itaque in causis forensibus accusatio & confessio Rei, præcedit sententiam judicis, pœna vero sive satisfactio aliquando anteit, aliquando sequitur. Ita in pœnitentia debet confessio peccatoris præcedere, satisfactio vero, prout spirituali medico visum fuerit, vel ante, vel post sententiam fieri. Et quemadmodum accusatio, sententia, & impositio pœnæ, licet simul non existant, forensis judicii partes revera creduntur, & sunt: ita nulla causa est, cur non idem de pœnitentiæ Sacramento dicatur. Quod facile concedet quisquis attenderit, Sacramentum non esse totum physicum, sed morale, cujus partes plerumque non simul, sed continuata, aut etiam intermissa successione existunt.

℞. 2. Transeat major, & dist. min. Confessio & satisfactio non simul existunt cum forma, *actu & revera*, conc. *virtualiter*, n. min. & conseq. quemadmodum enim intentio finis in moralibus, virtualiter perseverat, in virtute scilicet actus præcedentis; licet qui operatur, de fine in præsenti non cogitet. Ita in pœnitentia, confessio quæ præcessit, virtualiter cum forma sive absolutione existit; itemque satisfactio licet secutura, habet tamen in voto ac proposito pœnitentis existentiam aliquam virtualem: eoque magis, quod sine voluntate satisfaciendi, vera contritio esse non possit.

Inst. 6. Et ultimo. Sacramento gratia confertur; atqui confessio & satisfactio nullam gratiam afferunt: confessio enim eam expectat, satisfactio ante habitam præsupponit. Ergo non sunt partes Sacramenti.

℞. Dist. maj. in Sacramento gratia confertur, quando forma applicatur materiæ, vel Sacramentum ipsum percipitur, conc. hoc ipso quod aliqua pars ejus existit, n. maj. Et concessa ad hunc sensum min. n. conseq. non est necesse infundi gratiam, quando parsquæcumque Sacramenti existit; sufficit enim quod conferatur in ipsa formæ ad materiam applicatione, aut in actuali Sacramenti perceptione, velut quando sumitur Eucharistia; atque adeo etiam si actus confitendi, & Deo satisfaciendi, gratiam actu non conferant, quam vel supponunt acceptam, vel expectant infundendam; non propterea desinunt Sacramenti materiam constituere.

A-P-

APPENDIX.

De impositione manuum utrum Sacramenti pœnitentiæ materia dici possit.

Manuum pęnitentibus imponendi ritum esse in Ecclesia antiquissimum, & omnium ubique gentium ab ipsis Religionis primordiis consensione servatum constat: ejus enim frequentissime meminerunt Tertullianus, S. Cyprianus, Constitut. Apostolicæ, Optatus Milevit. S. Aug. S. Leo Pontifex Max. Concilium Carthag. IV, Toletanum IV, Arausicanum in Gallia: & alii denique multi Scriptores: unde haud immerito creditur ab ipsis Apostolis institutus.

Non inde tamen sequitur, quod ad materiam Sacramenti pęnitentiæ stricte loquendo pertineat. Materiam enim pęnitentiæ proprie dicimus, ad quam accedente verbo seu absolutione Sacerdotis fit Sacramentum. Porro de impositione manuum non potest hoc affirmari: ut enim proxime est demonstratum, ex solis actibus pœnitentis coalescit Sacramenti materia, & ex illa, accedente verbo, constituitur Sacramentum. Itaque pro mera cæremonia manuum impositio haberi debet, quam etsi fateamur ad Sacramenti essentiam non pertinere; nefas tamen fuerit sine justa aliqua causa prætermittere: ritum enim quem constat a majoribus observatum & ab Ecclesia ubique retentum, non est in privati cujuslibet hominis potestate infringere; atqui talis est cæremonia manuum impositionis super pœnitentes, quando Deo, & Ecclesiæ reconciliantur. Temere ergo ageret minister impositionem manuum negligendo.

Objectio.

At, multorum, inquies, gravium Scriptorum sententia fuit, impositionem manuum esse materiam saltem partialem Sacramenti pęnitentiæ. Ita enim sæculo 12 docuit Guillelmus Altissiodorensis: (*in Sum. l.* 4) quem deinceps secuti sunt Guillelmus Parisiensis, Vincentius Bellovac. Alexander Halensis, & alii primi subsellii Theologi. Ergo &c.

℞. 1. Transeat ant. & nego conseq. esto enim ita auctores memorati putaverint, contrarium tamen S. Thomas, aliique numero & auctoritate majores senserunt, quorum doctrinam Ecclesia approbavit, ut constat ex decreto Eugenii IV & Concilii Trid. supra relatis, ubi dicitur actus pœnitentis esse quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, de manuum vero impositione nec minima mentio fit.

℞. 2. Dist. ant. multorum sententia fuit, manuum impositionem esse materiam pœnitentiæ, *accessoriam*, *& cæremonialem*, conc. *necessariam*, n. E. ℞. Cum materia Sacramenti, ut sæpius observavimus, altera sit *essentialis*, altera *accessoria & mere cæremonialis*; ubicumque in veterum scriptis occurrit nomen materiæ non est necessarium materiam essentialem & Sacramentalem intelligere; aliquando enim de accessoria fuisse locutos, res ipsa, aut occasio scribendi declarat: porro talis est impositio manuum, quam ad intrinsecam Sacramenti naturam non pertinere, constat ex principiis positis: quod si ad hunc mitiorem sensum prædicti auctores nequeant revocari, standum erit primæ responsioni, & dicendum eos in hac parte sine injuria deseri, quippe qui certum doctrinæ suæ principium, & causam necessariam non attulerint.

Inst. Certo fundamento eorum sententia nititur, qui olim putarunt impositionem manuum ad pęnitentiæ Sacramenti essentialem materiam pertinere. Ergo &c.

Prob. subs. Sanctorum Patrum auctoritate.

1. Quidem solemne fuit antiquis doctoribus Sacramentum pœnitentiæ haud aliter quam impositionem manuum appellare: sic inter cæteros S. Aug. *Manus impositio*, inquit, (*lib.* 3 *de bapt. contr. Donat. c.* 22) *non sicut baptismus repeti non potest*: ubi per impositionem manus certissime pœnitentiæ Sacramentum intelligit.

2. Manuum impositioni virtutem reconciliandi & a peccatis absolvendi, Patres adscribunt: *Pœnitens*, inquit Concilium Carthag. IV, can. 76, *reconcilietur per manus impositionem*: cui simile est illud S. Aug. (*lib.* 5 *de bapt. contr. Donat. c.* 22) *Quomodo exaudit Deus homicidam deprecantem super capita eorum quibus manus imponitur*? quibus videlicet pœnitentiæ Sacramentum confertur: eaque fuit manuum impositio reconciliatoria, quam Hæreticis in gremium Ecclesiæ redeuntibus conferri olim solitam fuisse, ab impositione manuum confirmatoria longe diversam alibi observavimus. (*lib.* 3 *de confirmat.*) Hinc sic eruitur argumentum:

Illi gravi auctoritate movebantur, ut dicerent impositionem manuum, essentialem esse pęnitentiæ Sacramenti materiam, qui acceperant a majoribus, manuum impositionem virtutem reconciliandi habere, eaque de causa pœnitentiam impositionem manuum esse dictam; atqui videtur hoc certum ex testimoniis Patrum adductis, aliisque longe pluribus, quæ afferri poterant. Ergo &c.

℞. Nego subs. ad probat. admitto auctoritates, & concessa maj. n. min. Nam

1. Ideo Sacramentum pœnitentiæ manuum impositionem legimus interdum a Patribus appel-

pellatum; non quod putarent ritum hunc esse Sacramento essentialem; sed propterea quod esset pœnitentiæ administrationi antiqua traditione adjunctus: quamquam enim ab iis rebus vulgo Sacramenta nomen habeant, quæ sunt sibi essentiales: quomodo quando baptismus lavacrum aquæ, & Eucharistia Corpus & Sanguis Domini nominatur: interdum tamen ab aliis non pariter necessariis ritibus, aut ab effectibus ac proprietatibus, appellationem trahere nihil obstat: unde quod a Patribus pœnitentia, manuum impositio dicta fuerit: non magis hinc sequitur, putatam ab illis partem pœnitentiæ essentialem, quam si quis probare vellet, fidem esse partem baptismi intrinsecam, eo quod ab antiquis Sacramentum fidei sive illuminationis dictus fuerit.

2. Non ideo affirmarunt, pœnitentes per manus impositionem reconciliari, quod in hoc ritu virtutem quandam propriam peccata remittendi ex opere operato agnoscerent; sed quia sine illo reconciliatio non fiebat; unde propter conjunctionem hujus cæremoniæ cum aliis ex Christi institutione necessariis, potuit a SS. Patribus vero aliquo sensu dici, pœnitentes per manuum impositionem reconciliari: cujus rei ex aliis Sacramentis exempla afferre ad manum foret, nisi facile intelligeretur.

Nec tamen hinc inferendum, impositionem manus negligi aut prætermitti impune posse: quin e contra contendimus magna cautione observandam, eorumque culpabilem gravique reprehensione plectendam fore negligentiam, qui ritum hunc sine causa præterire præsumerent: tum quia antiquitus magno ubique, ut prædiximus, pretio habitus est: tum quia ab Apostolica traditione, & ab ipsius Christi exemplo descendere pie creditur: tum quia per illum exprimitur jurisdictio Sacerdotis erga pœnitentem, & clavium potestatis exercitium: tum quia Sacerdos per illum significat se pro illo orare, eique bene precari, cui manum imponit: *Quid enim est aliud manus impositio*, inquit S. Aug. (*lib.* 3 *contr. Donat. c.* 16), *quam oratio super hominem?* tum quia licet nullibi definitum legamus, ad pœnitentiam essentialiter pertinere; nullibi tamen legimus non pertinere: unde cum in administratione Sacramentorum teneantur sequi ministri quod est tutius in praxi, quamquam minus, ut loquimur, speculative probabile: si quis cæremoniam hanc voluntario negligeret, nullam excusationem haberet, maxime cum in Oriente & Occidente sine controversia observetur: de Latinis nulla difficultas est, neque de Græcis & Orientalibus, quisquis in eorum ritibus tantisper versatus fuerit, dubitabit: indeque est, quod in eorum Euchologiis, forma absolutionis: *oratio super pœnitentem*: *oratio super confessos* dicatur; ut nimirum significetur, sine manuum impositione non fieri.

CAPUT TERTIUM.

De forma Sacramenti pœnitentiæ.

Forma Sacramenti pœnitentiæ, quomodo in cæteris sacris symbolis, verbum est, quo accedente ad elementum, aut ad rem elementi locum tenentem, fit Sacramentum: verbum porro illud esse absolutionem, quæ a Sacerdote profertur, constans est & perpetua doctrina Ecclesiæ in ipsis Christi verbis fundata: (*Joan.* 20, 22, *& seq.*) *Accipite Sp. Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. voluit enim Salvator, potestatem hanc ab Apostolis eorumque successoribus per modum judicii exerceri; adeoque immutabili lege constituit, absolvendi sententiam gratiæ efficacem futuram, & ad delenda ex opere operato peccata perpetuo valituram.

Et vero in unoquoque Sacramento ea verba vim habent formæ, quæ materiæ adjunguntur, & proprium ejus effectum expresse significant ac producunt; atqui verba absolutionis actibus pœnitentis, qui Sacramenti quasi materia sunt, proxime conjunguntur, propriumque ejus effectum practice denotant, non secus ac ista in baptismo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti*; ergo pro forma Sacramenti haberi debent: quod si quis inde impugnare tentaret, quia sæpe contingit pœnitentem, etiam edita Sacerdotis favorabili sententia non absolvi, quin & strictius a Deo ligari, nihil proficeret; nec magis Ecclesiæ doctrinam everteret, quam si quis aut solem lucidum, aut ignem comburendi virtutem habere negaret: quia nec cæcos Sol irradiat, nec saxum ignis comburit: hoc enim unum hinc sequitur, quod Catholica pariter tenet & propugnat Ecclesia, ubi Sacramenti materia deest, effectum formæ non exeri: porro ideo multi per judicis spiritualis sententiam non solvuntur, quia materiam Sacramento necessariam, actus scilicet contritionis, confessionis & propositum saltem satisfaciendi non afferunt.

Quibus autem verbis forma absolvendi contineatur, cum verba Christi modo laudata satis superque demonstrant; tum Concilium Trid. antiquæ traditioni insistens sic explicat: "Docet præterea S. synodus, *inquit*, (*Sess.* 14, *c.* 3) Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue vis ipsius sita est, in illis ministri verbis positam esse: *ego te absolvo &c.* quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces

„ ces quædam laudabiliter adjunguntur, quæ „ ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam „ spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ .... *& Catechismus ejusdem Concilii jussu editus*: est „ autem forma, *inquit*, (*p. 2 de Sac. pœn. n.* 15, *& seq.*) *Ego te absolvo:* quam non solum ex illis verbis licet colligere: *quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis*: sed ex eadem Christi Domini doctrina ab Apostolis traditam accepimus: ac „ quoniam Sacramenta id significant quod efficiunt, & illa: *ego te absolvo*: ostendunt „ peccatorum remissionem hujus Sacramenti „ administratione effici; planum est hanc esse „ pœnitentiæ perfectam formam: sunt enim peccata tamquam vincula, quibus constrictæ animæ tenentur, & ex quibus pœnitentiæ Sacramento laxantur ... adduntur præterea „ quamplures preces, non quidem ad formam „ necessariæ: sed ut ea removeantur, quæ „ Sacramenti vim & efficientiam, illius culpa „ cui administratur, impedire possent".

Itaque in his solis verbis, aut æquivalentibus essentialis pœnitentiæ forma ponenda: æquivalentibus, inquam, ut enim libro 1 de Sacramentis in genere, & alibi sæpe monuimus, iterumque data occasione monebimus, non ex numero syllabarum, sed ex verborum sensu, formarum Sacramentalium, & nominatim formæ absolutionis veritas ac significatio æstimanda; quo fit, ut eadem absolute forma futura sit, ubi idem sensus, etiam mutatis exterioribus verborum mensuris ac sonis, manebit: unde si quis diceret: *Ego condono tibi*: vel: *ego remitto tibi peccata tua*: ad formæ essentiam nihil deesset: qua de re si cui dubium insit, attendat ad Græcorum consuetudinem, quos constat verum habere, Romanæ Ecclesiæ judicio, pœnitentiæ Sacramentum, & tamen absolvendi formulam a nostra diversam servare.

Ritus Græcorum.

Quod ut unicuique ad oculum pateat, afferre juvat, quas collegit *Goarius*, (*in Rituali Græcorum edit. Par. p.* 673, *& seqq.*) eorum absolvendi formas, magni deinceps argumenti vim habituras, quando quæstione 8 ex professo expenditur, quibus verbis debeat absolutio exprimi, indicativis, deprecativis, aut imperantibus.

Sic porro sunt Græcorum preces.

Oratio super pœnitentem.

„ Deus salvator noster, qui per Nathan Prophetam, Davidi de propriis peccatis pœnitentiam agenti concessisti indulgentiam, & „ iterum Manasse orationem in pœnitentia exaudisti: ipse & servum tuum N. de iis quæ „ perpetravit peccatis pœnitentiam agentem, „ solita tibi humanitate suscipe: ne respicias „ ad ea quæ egit, tu qui injustitias dimittis, „ & præteris iniquitates: tu enim dixisti Domine: nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat; &, ut septuagies septies „ remitterentur peccata, quoniam sicut incomprehensa est magnitudo tua; ita & misericordia: si enim iniquitates observaveris, quis „ sustinebit? quia tu es pœnitentium Deus, „ & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, „ & Sancto Sp. nunc & semper, & in sæcula „ sæculorum, amen.

Alia oratio.

„ Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, pastor & agnus qui tollis peccatum mundi, & „ qui duobus debitoribus mutuo datum dimisisti, & peccatrici delictorum ejus indulgentiam largitus es: ipse Domine relaxa, remitte, condona peccata, iniquitates, delicta, sponte & non libere, scienter, vel ignoranter, ex transgressione, vel inobedientia, a servis tuis commissa: & si ut homines carnis infirmitate circumdati, & mundi incolæ, a diabolo, sive in verbo, sive in „ opere, sive ex scientia, aut ignorantia decepti sunt, aut Sacerdotis verbum spreverunt, aut ejusdem maledictioni subjecti sunt, „ aut in propriam suam execrationem inciderunt, vel jurejurando se adstrinxerunt, ipse „ ut bonus & malorum immemor Dominus verbo absolvi consentias, relaxato eorum anathemate vel jurejurando, secundum magnam „ misericordiam tuam: ita fiat benigne Domine: exaudi nos clementiam tuam pro famulis tuis deprecantes, & ut misericors valde, cunctis eorum peccatis ne attendas: ab „ æterna damnatione illos libera: tu enim dixisti Domine: *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*. Quia tu solus es absque peccato, & tibi gloriam referimus Patri, & Filio, & Sancto Sp. nunc & semper, & in „ sæcula sæculorum, amen.

Super confessos.

„ Domine Deus noster, qui Petro & Meretrici per lacrymas peccatorum remissionem „ largitus es, & Publicanum propria fatentem „ scelera justum reddidisti: confessionem servi „ tui N. suscipe, & si in aliquo facinore spon-

„ taneo

„ taneo vel involuntario, verbo, opere, vel „ cogitatione deliquit; ut bonus & misericors „ Deus remitte, quia tu condonandi peccata „ potestate polles: & tibi gloriam referimus, „ cum principii experte tuo Patre, & cum bo- „ no & vivifico spiritu, nunc & semper, & „ in sæcula sæculorum, amen.

Altera oratio.

„ Deus qui propter nos homo effectus est & „ totius mundi peccata tollit: ipse suavissima „ sua benignitate cuncta hæc suscipiat, quæ „ coram indignitate mea enarrasti, frater, con- „ donans tibi omnia, & in præsenti sæculo „ pariter ac in futuro: & indemnatum coram „ tribunali suo, te astare concedat, qui vult „ omnes homines salvari, & omnium salutem „ moderatur: qui est benedictus in sæcula sæ- „ culorum.

Oratio condonatoria super confessos. Dominum precemur.

„ Deus qui per Nathan Prophetæ David „ propria peccata confesso, & Petro negatio- „ nem lugenti, Meretrici quoque ad immacu- „ latos pedes tuos lacrymanti, & Publicano, „ & Prodigo pepercisti: qui dixisti: (*Jac.* 5, „ 16) *Confitemini alterutrum*; & (1. *Joa.* 1, „ 9) *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est* „ *& justus, ut omnia nobis dimittat, & ab* „ *omni peccato nos mundet*: ipse Salvator no- „ ster & Dominus Jesus Christus remittat ti- „ bi omnia quæ nunc coram tenuitate mea „ confessus es, & quorum memoriam non te- „ nes, in præsenti & in futuro: & indemna- „ tum coram se adstare te jubeat, qui est be- „ nedictus in sæcula, Amen.

Altera oratio Chrysostomi. Dominum precemur.

„ Dominator Domine Jesu Christe Deus no- „ ster, qui per Prophetam Nathan Dei parenti „ Davidi peccata quæ perpetraverat pepercisti, „ & ipsi dixisti: (2 *Reg.* 12, 13) *Dominus* „ *quoque abstulit peccatum tuum*, eo quod di- „ xisset: (*ib.*) *peccavi Domino*: qui Petrone- „ gationem amare flenti & confesso condona- „ sti, ejusque lacrimas acceptas habuisti, qui „ & Meretricem fervide lugentem, pedesque „ tuos immaculatos rigantem, & capillis eos „ tergentem suscepisti, eique dixisti: (*Luc.* 7, „ 48) *Mulier remittuntur tibi peccata tua*: qui „ & Manassen in Babylone pœnitentem, & „ in æreo animali tibi confitentem rursum in „ Regem in Sion constituisti, qui & prodigum „ cum meretricibus omnem suam substantiam „ dilapidantem, & more porcorum deinceps „ siliquis pastum, ad te reversum benigue am- „ plexus es, & mactato vitulo saginato, an- „ nuloque in manum ejus immisso exosculatus „ es: qui Publicani pœnitentiam & humilita- „ tem, præ superbo Pharisæo laudasti, justi- „ ficatumque declarasti: qui & in cruce la- „ tronis pœnitentiam suscepisti: qui dixisti: „ (*Jac.* 5, 16) *Confitemini alterutrum peccata* „ *vestra*: Sicut vocasti, ita fidelis & justus „ existis, ut dimittas nobis omnia, & ab „ omni inquinamento carnis & spiritus nos „ emundes: tu optime & valde misericors „ Domine, cuncta quæ filius meus spiri- „ tualis N. contrito corde coram te tenuitati „ meæ confessus est, in præsenti & in fu- „ turo sæculo condona: & indemnatum co- „ ram te adstare concede: qui es benedictus „ in sæcula. Amen.

Oratio in hominem peccata confessum a Patre Spirituali recitanda. Dominum precemur.

„ Domine Deus salutis servorum tuorum mi- „ sericors & longanimis, qui super peccatis & „ malitiis nostris pœnitentiam agis: qui per „ Ezechiel Prophetam dixisti: *Quia non vo-* „ *luntate volo mortem peccatoris: tantum ut* „ *convertatur a viis suis & vivat*: (*Ezec.* „ 18, v. 23, & 32) Ipse humane & malorum „ tolerator Domine Dominator, exorare nunc „ quoque super servum tuum N. & modum „ pœnitentiæ, peccatorumque veniam illi con- „ cede; condonans illi per me indignum fa- „ mulum tuum, omne delictum spontaneum „ pariter ac involuntarium: tu enim dixisti „ Domine divinis & Sanctis discipulis tuis & „ Apostolis: *Accipite Sp. Sanctum: quorum re-* „ *miseritis peccata remittuntur eis: & quorum* „ *retinueritis retenta sunt*; &: *quæcumque li-* „ *gaveritis super terram, erunt ligata & in* „ *cælo: & quæcumque solveritis super ter-* „ *ram, erunt soluta & in cælo*: ipse igitur „ Domine, remitte servo tuo N. per me indi- „ gnum & abjectum propria quæ commisit de- „ licta, & reconciliare, & S. Ecclesiæ tuæ „ illum aggrega &c.

Altera oratio compendiosa. Dominum precemur.

„ Dominus noster Jesus Christus & Deus, „ qui hoc mandatum ligandi atque solvendi „ peccata hominum, divinis & sacris suis di- „ scipulis & Apostolis tradidit: ipse de excel- „ so prætereat omnia peccata & omnes iniqui- „ tates tuas; ego vero indignus ejus servus, „ ab

„ ab ipsis idem faciendi occasiones & causas „ nactus: absolvo te ab omni excommunicatio- „ ne, in quantum possum, & valeo, & tu in- „ diges, insuper ego absolvo te ab omnibus „ peccatis tuis, quæcumque coram Deo, & „ mea indignitate confessus es: in nomine Pa- „ tris &c.

Alia confessionis oratio.

„ Deus justus qui propter nos carnem as- „ sumpsit, & universi orbis peccatum tollit: „ ipse suavissima sua benignitate, volens, ex- „ pectans & dispensans omnibus salutem, hæc „ quoque, frater, delicta tua deleat, quæcum- „ que meæ indignitati revelasti; ego vero con- „ dono tibi omnia peccata tua, in nomine Pa- „ tris &c.

Altera item oratio.

„ Fili mi spiritualis, abjectus sum & humi- „ lis peccator: ejus propterea qui apud me con- „ fitetur, non valeo remittere super terram „ peccata, sed Deus est, qui illa condonet: „ propter illam autem divinitus prolatam, post „ Christi resurrectionem auditam, & Aposto- „ lis dicentem vocem: *Quorum dimiseritis pec- „ cata* &c. propter illam, inquam, & nos „ confisi dicimus, quæcumque tenuissimæ meæ „ humilitati enarrasti, & quæcumque ex igno- „ rantia vel oblivione (qualecunque sit,) ex- „ primere non valuisti, condonet tibi Deus, „ in præsenti sæculo & in futuro".

Altera oratio.

„ Deus qui Davidi propria peccata confiten- „ ti per Nathan pepercit, qui Petrum nega- „ tionem lugentem, & Meretricem ad pedes „ flentem, & Publicanum, & prodigum su- „ scepit: ipse Deus per me peccatorem in „ præsenti & in futuro sæculo tibi parcat: & „ indemnatum te tremendo suo tribunali siste- „ re faciat.
Sequitur.

QUÆSTIO QUARTA.

De Contritione.

Dicendum modo de singulis speciatim materiæ partibus, in quibus primum ac præcipuum, nemine diffitente, contritio locum habet: quod ut perspicue fiat,

1 Quid & quotuplex sit contritio, inquiremus.
2 Contritio afferenda ad Sacramentum, an necessario debeat esse perfecta?
3 Utrum contritio imperfecta, sive attritio, ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concepta, sit bona & utilis?
4 Utrum ita utilis & bona sit, ut ad justificationem in Sacramento obtinendam absque ullo Dei amore sufficiat?

CAPUT PRIMUM.

Quid & quotuplex sit contritio.

Quæritur 1 Contritionis nomine quid significetur?

℟. Hanc vocem a rebus corporeis ad spiritualem effectum significandum, usu Theologorum & Ecclesiæ approbatione esse translatam: quemadmodum enim corpus conteri dicitur, quod in minutas partes, agentis potentioris virtute, disrumpitur: sic dicitur anima conteri, quod fracta peccati duritie, ad amorem divinæ justitiæ flectitur & emollescit.

¶ „ *Frangi*, inquit S. Thomas q. 1 Suppl. a. „ 1, dicuntur aliqua, quando in magnas par- „ tes dividuntur: Sed comminui, vel conteri, „ quando ad partes minimas reducitur hoc, „ quod in se solidum erat. Et quia ad dimis- „ sionem peccati requiritur, quod affectum pec- „ cati homo totaliter dimittat, quem per quan- „ dam continuitatem, & soliditatem in sensu „ suo habebat; ideo actus ille, quo peccatum „ dimittitur, contritio dicitur per similitu- „ dinem". ¶

Appellari etiam solet præcellens ille virtutis actus, *Compunctio cordis*, *scissio cordis*, ducta a corporalibus medicamentis metaphora: nam sicut ulcus ferro pungitur, ut latens virus emittat, aut caro putrida resecatur, ut in ejus locum nova subeat: ita cor doloris acumine pungitur, ut foras peccatum pellat: sciditur pariter, ut mala vetustate depulsa in vitam novam transformetur.

Nec deest harum vocum in sacris litteris fundamentum, legitur enim Exodi 7, 13: "Induratum est cor Pharaonis . . . *Ezechielis* „ 11, 19: dabo eis cor novum, & spiritum „ novum tribuam in visceribus eorum; & au- „ feram cor lapideum de carne eorum, & da- „ bo eis cor carneum, ut in præceptis meis „ ambulent & judicia mea custodiant . . . . „ *Joelis* 2, 13: scindite corda vestra, & non „ vestimenta vestra: & convertimini ad Do- „ minum Deum vestrum . . . . *Ps.* 4, 5: quæ „ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus ve- „ stris compungimini. . . *Ps.* 50, 19: cor con- „ tritum & humiliatum Deus non despici- „ es, &c. "

Q. 2. Quid sit contritio?

R. A Concilio Trid. sic definiri : (*sess.* 14, *c.* 4) *Contritio est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*.

Explicatur definitio.

1. Dicitur, *animi dolor*, idest intus animum angens ac crucians, virtus enim pœnitentiæ, adeoque contritio ipsa intra mentem tota consistit, ut alibi dictum est; unde licet dolor effusus exterius, quatenus affectum sequitur & imperium voluntatis, bonus sit ac laudabilis; non tamen ad veram contritionem necessario requiritur; imo aliquando contingit, eo acerbiorem intus in corde esse dolorem, quo minus extra in lacrymas & alia signa mœroris erumpit: quo sensu a poeta dictum: *curas leves loquuntur, ingentes stupent*.

2. Dicitur, *detestatio*; nam ut quæstione prima contra Lutheranos probatum est, pœnitentia sive contritio non solum est nova vita, seu resipiscentia, sed etiam vitæ veteris odium cum studio satisfaciendi conjunctum essentialiter importat.

3. Dicitur, *detestatio de peccato commisso*: quæ propositio indefinita, cum in materia necessaria sit, universali æquivalet; atque adeo debet pœnitentis afflictio ad omne peccatum extendi, quo Deus lethaliter est offensus: alioquin non tam pœnitentia, quam derisio foret, si quis adulterium e. c. quia Deo totius justitiæ fonti contrarium detestari se affirmaret, interim vero in furti, non minus summæ huic æquitati contrarii voluntate persisteret: hinc duo hæc peccatoribus indistincte Sp. Sanctus injungit, ut a peccatis convertantur, & ab omnibus convertantur. *Si impius*, inquit, (*Ezec.* 18, 21) *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam: vita vivet, & non morietur*... (*Ibid. v.* 30, *& seq.*) *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas: projicite a vobis omnes prævaricationes vestras in quibus prævaricati estis: & facite vobis cor novum & spiritum novum*. Quid quod, ut vere solideque S. Thomas docet, (*in suppl. q.* 14, *artic.* 1) *non potest peccator pro uno peccato satisfacere, aliis retentis*, sive non satisfaciendo pro aliis: quanto ergo minus poterit dolere de uno, nisi simul omnia detestetur? præterea, sine aliquo saltem initiali caritatis actu contritio vere esse non potest, quod speramus quantocyus argumentis convincentissimis demonstrandum; atqui caritas, sive Dei super omnia dilectio, non magis potest cum affectu alicujus mortalis peccati consistere, quam possunt de uno & eodem objecto, eodemque modo sumpto amor & odium simul esse. Ergo &c.

4. Dicitur: *Cum proposito de cætero non peccandi*: nam ad veram pœnitentiam pertinet, non solum præteritas culpas ut abolendas, respicere, sed & prospicere futuras ac præcavere: hinc S. Gregorius M. (*hom.* 34 *in Evang.*) & alii passim Sancti Doctores: *Pœnitentia*, inquiunt, *est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*, quæ duo nisi procuret diligenter implere, veræ pœnitentiæ nomen tenere non poterit; imo nec dolere de præteritis convincetur, qui futura non præcavebit: hæc enim duo ita cohærentia sunt, conjunctaque officia, ut qui unum spreverit, alterum contemnere sit necesse: id quod Apostolus verbis clarissimis exprimit, quando dicit: (*Ephes.* 4, 22, *& seqq.*) *Deponite vos veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis*. (1)

Q. 3. Quodnam sit objectum contritionis?

R. Esse peccata propria pœnitentis, & præterita, quamquam enim aliena, ipsaque culpa originalis quam quisque contrahit natura, non voluntate, debeant propter suam fœditatem summopere displicere: de eorum tamen numero non sunt, de quibus contritio stricte ac proprie loquendo haberi possit: nam in iis tantum peccatis proprie dicta contritio exercetur, quæ pœnitet commisisse, & necessarium est præcavere in posterum: quod in peccatis alienis & culpa originali locum non habet.

Q. 4. Utrum pœnæ peccatis debitæ, aut ex illis secutæ, ad objectum contritionis pertineant?

R. Negative, vel enim ad hanc vitam pertinent,

(1) *Aliam plane de natura contritionis ideam informavit animo Lutherus, ut constat ex articulis confixis a Leone X in sua contra eumdem constitutione. Docuit nempe Lutherus, 1 contritionem nihil aliud esse, quam terrorem quemdam conceptum ex consideratione tum peccati, tum suppliciorum, quæ divina lex peccatoribus comminatur. Docuit 2 necessarium non esse in homine pœnitente odium veteris vitæ: sed satis esse novæ vitæ propositum. Docuit 3 contritione, quantacumque ea sit, numquam Deo reconciliari pœnitentes, cum id soli fidei conveniat. Demum docuit Gehennæ timorem, nedum ad justificationem minime prodesse, sed hominem facere hypocritam, magisque peccatorem. De his, deque Lutheranorum quoad has sententias dissensionibus, legendus est Bellarminus lib. 2, Cap. 1 &c.*

tineat, vel futuræ reservantur: si primum, non pœnitentiæ sed patientiæ materia sunt; easque nedum refugere ac deprecari pœnitens debeat, tenetur ultro amplecti, ut irato Deo satisfaciat: si secundum, idest, si pœnarum vitæ sequentis ratio habeatur, merito equidem dolet homo quod eas incurrerit: sed contritio proprie dicta ista non est, nisi quatenus dolor est de peccatis propter quæ æternæ damnationis reus est factus.

Q. 5. **Utrum absolute necessarium sit, pro numero peccatorum, actus contritionis multiplicare?**

℞. Negative: quamquam enim foret perfectius tot actus contritionis, quot fuerint peccata perpetrata elicere; sufficit tamen absolute, ut omnibus & singulis discussis, collectis quoad potest fieri, & in memoriam revocatis unus doloris actus ad omnia & singula referatur ac terminetur: *Maxime hortandi & movendi sunt fideles*, inquit Catechismus Concilii Trid. (*par. 2, tit. de Sacr. pœnit.* §. 30, *& seq.*) *ut ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere studeat; ita enim Ezechias contritionem describit, cum ait:* (Isai. 38, 15) recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: *Etenim recogitare omnes annos, est sigillatim peccata executere, ut eâ ex animo doleamus; sed apud Ezechielem quoque scriptum legimus:* (Ezech. 18, 21.) Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet: *atque in hanc sententiam S. Aug. inquit*, (*lib. de vera & falsa pœn. c.* 14) consideret peccator qualitatem criminis, in loco, in tempore, in veritate, in persona.

Neque tamen hac in re desperent fideles de summa Dei bonitate & clementia, ille enim cum nostræ salutis cupidissimus sit, nullam moram ad tribuendam nobis veniam interponit, sed peccatorem paterna caritate complectitur, simul atque se collegerit, & universa peccata sua detestatus, quæ deinde alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere, ac detestari in animo habeat, ad Dominum se convertit, ita enim nos per Prophetam jubet sperare, cum ait: (Ezec. 33, 12) Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.

Q. 6. Quantus & quam vehemens debeat esse actus contritionis?

℞. Summum, sive omnium maximum esse debere, non in sensu quidem, sed in corde; non intensive, sed appretiative.

1. Quod summus esse debeat, inde probatur quod habeat in amore Dei originem, eoque velut fundamento nitatur; atqui Deum jubemur super omnia, & toto corde diligere; ita ut nullum penitus objectum sit, cujus amor cum amore Dei æquari conferrive possit: ergo a pari debemus peccata dolore omnium maximo detestari: ita ut nullus, saltem appretiative, major valeat excogitari: sicut enim Deus inter omnia diligenda summum est bonum: unde *modus eum diligendi*, ait S. Bernardus (*lib. de diligendo Deo*) *est diligere sine modo:* sic e contrario peccatum inter omnia quæ odisse homo debet, summum est malum. Hinc eadem scriptura quæ præcipit, ut Deum toto corde diligamus, pariter imperat, de Deo offenso ex toto corde esse dolendum: *Convertimini ad me*, inquit Deus, (*Joel.* 2, 12) *in toto corde vestro*, &c.

2. Dolorem de peccatis in corde equidem summum esse debere, at non in sensu, præter rationem paulo ante adductam, (*in Resp. ad q.* 2) sic declaratur: summum illum dolorem esse non oportet, sine quo potest vera absolute esse contritio; atqui sine ullo dolore sensuum potest vera stare contritio: dolor enim, qualem vera pœnitentia exigit animi, est imperatus a voluntate & elicitus; atqui dolore sensuum affici, ex quo peccavit Adamus, & caro contra spiritum rebellavit, ab hominis voluntate non ita pendet, ut quando & quoties voluerit, in lacrymas effundatur, aliquando enim contingit, ut quantumvis velimus & adnitamur, nec lacrymula ex oculis effluat: aliquando e contrario, ita vehementi doloris sensu afficimur, ut inviti penitus & nolentes, in fletus ubertim ac lacrymas effluamus; ergo sine ullo dolore sensuum potest vera stare contritio; imo tam potest contingere, ut animus acerbissime siccis oculis doleat, quam ut torrentes lacrymarum ab oculis, absque vera cordis contritione erumpant.

Lacrymæ tamen, inquit catechismus Concilii Trid. (*par. 2, tit. de Sacr. pœnit. n.* 29) *summopere optandæ & commendandæ sunt: præclara est enim eadem re S. Aug. sententia:* (serm. 41 de Sanctis) *non sunt in te Christianæ caritatis viscera; si luges corpus a quo recessit anima, animam vero a qua recessit Deus non luges; atque huc spectant illa Salvatoris verba: væ tibi Corozain,* (Matt. 11, 21) *væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent, tametsi ad eam rem comprobandam satis esse debent clarissima Ninivitarum, Davidis, peccatricis, Apostolorum principis exempla, qui omnes plurimis lacrymis Dei misericordiam implorantes, peccatorum veniam impetrarunt.*

3. Quod sufficiat dolor appretiative summus, nec requiratur ut talis sit intensive, magnam difficultatem non habet: dolorem enim appretiative summum appellamus, quo magis de Deo offenso, quam de alio quovis malo affligimur:

adeoque nihil est quod perpeti magis non eligamus, quam Deum novis offensis exacerbare? dolorem intensive summum dicimus, qui supremum attigit gradum, qui nimirum sic est acerbus & vehemens, ut nullus alius cum eo æquari possit. Jam sic subsumo:

Atqui non est absolute necessarium, ut veræ contritionis actus ad summum doloris gradum pertingat, intensio enim actus voluntatis sequitur ex vehementia & impetu objecti moventis; atqui objectum sensibile in præsenti corruptæ naturæ statu, vividius plerumque objecto spirituali voluntatem commovet ac percellit: sicut ergo amor bonorum sensibilium potest esse intensior affectu spiritualium, ita dolor qui ex malis sensibilibus percipitur, intensior esse potest, quam qui nascitur ex spiritualibus: cujusmodi procul dubio sunt peccata, unde sæpe contingit homines quantumvis justos, filiorum obitu, amicorum infortuniis, aliisque id genus humanæ vitæ casibus magis conturbari, & vehementiori doloris sensu affici, quam de offensa Dei: qua in re putandum non est aliquam pœnitentium esse culpam, aut de cordis duritia accusari posse: ut enim modo dicebam, homo quamdiu mortalem hanc vitam degit, vehementius bonis & malis sensibilibus tangitur; etiamsi nec illa Deo appretiative plus diligat, nec ista magis quam mala spiritualia oderit: licet itaque maxime deceat, optandumque sit, dolorem de peccatis acerrimum ac vehementissimum esse, vera tamen & efficax sine hoc gradu perfectionis contritio esse potest.

Q. 7. Utrum contritio possit esse nimia?

℟. Quatenus dolor animi, est, nimiam esse non posse, quia pro mensura habet, tum Dei amorem, qui modum nullum agnoscit, nulloque termino circumscribitur: tum deformitatem peccati, quod cum Deo infinite contrarium sit, non potest nimium displicere.

Quatenus vero in externum doloris sensum effunditur, dubium non est quin nimia esse possit, & excessu aliquo vitiari: velut si quis ita lacrymis indulgeret, ut jacturam oculorum faceret, aut si jejunii & macerationis obtentu omne sibi alimentum subtraheret.

Q. 8. Quibus conditionibus vera contritio contineatur?

℟. Quatuor præcipuæ a Theologis recenseri.

1. Debet esse interior: ut enim prædiximus contritio est animi dolor; itaque neque ex fronte, neque ex oculis, neque ex vultus nec denique ab externo sermone: (hæc enim sæpissime mentiuntur:) sed ex interno cordis affectu, & animæ afflictione, debet vera contritio æstimari.

2. Debet esse supernaturalis, idest motu fidei & impulsu Sp. Sancti, non motivo naturali excitata; & sane cum contritio ad justificationem per Sacramentum obtinendam dispositio sit, ipsaque justitia sit qualitas supernaturalis, consequens est, ejusdem ordinis contritionem esse debere: unde si quem peccata sua motivo tantum naturali torquerent, putá propter pudorem aut infamiam, aut pœnam temporalem inde secutam: vera illa contritio dici non posset: nisi pro vero pœnitente volumus habere Antiochum, qui uti scriptura refert, (2 *Machab.* 9, 11 *& seq.*) *Divina admonitus plaga, & per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus*, *cum nec ipse jam fœtorem suum ferre posset*, dolebat de culpa præterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem quam patiebatur. (1)

4. De-

(1) *Valde obiter de hac conditione disserit N. A. Quare pauca quædam adjicere præstat ad ampliorem ejusdem notitiam. Duo ad contritionem, sive dolorem, qui de peccatis concipitur, præter alia, concurrunt, principium nempe, ac motivum. Utrumque naturale est, si a natura sola objecti naturalis consideratione proveniat: supernaturale vero, si tum principium sit a gratia intus operante, tum motivum quidpiam sit, quod a fide proponatur, vel per fidem apprehendatur. Dolet e. g. quis de peccato commisso vel propter infamiam, vel propter ægritudinem inde consecutam, dolor iste naturalis penitus est tum ex parte principii, tum ex parte motivi: utrumque enim intra naturæ limites continetur. Si vero doleat se per peccatum Deum offendisse, quem diligere potius debuerat, & ad hunc dolorem moveatur vel ex ipsa cognitione bonitatis divinæ, vel ex apprehensione æternæ pœnæ, quam promeritus est, aut cœlestis gloriæ quam amisit, supernaturale est & principium, & motivum. Extiterunt itaque quidam Theologi, qui docuerunt, satis esse ad valorem Sacramenti attritionem naturalem tum ex parte principii, tum ex parte motivi, modo honesta foret, atque sufficere crediderunt peccatorem de admisso peccato dolere ob morbum e. g. ob infamiam, ob egestatem, & his similia. Alii tamen addiderunt necesse esse, ut peccator hujusmodi mala respiceret, prout immissa a Deo, tanquam criminum ultore.*

Hæc sententia proscripta fuit ab Innocentio XI in suo Decreto, & est inter damnatas N. 57, his verbis expressa: Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam. *Quam merito hæc propositio fulgur ita fuerit, pluribus ostendi posset tum Scripturarum, tum Conciliorum,*

3. Debet esse summa: *Dolor enim in contritione*, inquit S. Thomas (*Suppl. q.* 3, *art.* 1, *in c.*) *excedit omnes alios dolores; quia quantum aliquid placet, tantum contrarium ejus displicet, finis autem ultimus super omnia placet, cum omnia propter ipsum desiderentur; & ideo peccatum quod a fine ultimo avertit super omnia displicere debet.*

4. Debet esse universalis, id est ad omnia ut prædictum est mortalia peccata extendi: nemo enim simul esse potest vere pœnitens, & Dei inimicus; atqui quisquis peccati alicujus mortalis affectum habet dominantem, quantumlibet de aliis doleat, hoc ipso Dei inimicus esse convincitur; pœnitens ergo esse non potest; atque adeo falsa ejus contritio est.

¶ Q. 9. An sufficiat ad effectum Sacramenti contritio existimata?

Resp. Nonnulli Theologi, quos indigitat P. Suarez *de Pœnitentia*, senserunt ad obtinendum effectum hujus Sacramenti satis esse contritionem existimatam, quamquam in se vera non foret. Verum hæc opinio a cæteris communiter rejicitur: & merito quidem. Nam 1. ex sacris litteris exploratissimum est, nullum peccatorem criminum suorum veniam a Deo consequi, nisi ea vere detestetur, nisi ab impietate sua reapse recedat, & ad Deum ex toto corde convertatur. Nihil autem horum præstat apparens, & fucata contritio, quæ plane voluntatem non immutat, aut ab affectu inordinato creaturæ ad creatorem convertit.

Ulterius: Si ad veniam obtinendam prodesset existimata contritio, id haberet, vel ex Sacramenti virtute, vel ex bona pœnitentis fide, vel ex laudabili ejus affectu: vel demum ex aliqua de re hac promissione Dei. Sed nullo ex his capitibus ad veniam obtinendam prodest. Et primo quidem *non virtute Sacramenti pœnitentiæ*: nam Sacramentum virtutem suam non effundit, nisi apponatur legitima materia, ac dispositiones necessario requisitæ: quæ sane non apponuntur ab eo, qui non veram, sed apparentem duntaxat contritionem habet. Sed neque *ex bona pœnitentis fide*: quæ quidem excusare potest a peccato, non autem illud supplere, quod est rei essentiale, aut omnino requisitum. Hinc vero sequitur, neque *ex laudabili pœnitentis affectu* eam ad veniam prodesse. Nam ? ut ut concedamus contritionem illam fucatam esse *laudabilem affectum*, ad justificationem certe consequendam valere non potest: neque enim ad hunc effectum satis est quicumque bonus, aut laudabilis actus. Demum neque *ex aliqua de*

rum, & Patrum, tum etiam rationum momentis. Sed cæteris aliis prætermissis, constat primo contritionem, sive dolorem debere esse supernaturalem ex parte principii ex decreto Concilii Trid. Sess. 6, *Can.* 3, *ita definientis:* Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti operatione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. *Hinc propositionis damnatæ hæreseos notam affixit Conventus Cleri Gallicani* 1700, *utpote repugnanti fidei dogmati, & apertæ Ecclesiæ definitioni. Hinc etiam constat contritionem sive dolorem debere pariter esse supernaturalem ex parte motivi. Actiones namque humanæ a motivis præsertim speciem desumunt: adeoque si contritio supernaturalis esse debeat, debet pariter supernaturale esse ipsius motivum.*

Oppones tamen. Nemo dubitat veram, ac sufficientem fuisse ad veniam obtinendam pœnitentiam Ninivitarum. Hi porro videntur inducti naturali quodam motivo, nempe proxima urbis subversione, quam minabatur Propheta.

℟. Urbis subversionem & ruinam fuisse quidem Ninivitis occasionem agendi pœnitentiam, non autem proprie dictum motivum pœnitendi. Dicendum quippe est, quod dum Jonas morte, ac ruina Civitatis Ninivitarum animos percellebat, Deus ab ipsis abstulit cor lapideum, ut verum, ac supernaturalem dolorem de commissis peccatis conciperent: id, quod etiam pluribus aliis peccatoribus non infrequenter contigit, qui vel divinæ justitiæ flagellis absterriti, vel morbi, vel infamia, aut alia calamitate temporali commoti, ad Deum confugiunt, spiritum pœnitentiæ concipiunt, ac divina operante gratia dolent de suis peccatis ex motivo aliquo supernaturali.

Quoniam vero a PP. Diana, & Viva, aliisque in numero eorum, qui damnatam propositionem docuerunt, recensentur Eximius Melchior Cano, lubet hic animadvertere injuria plane præstantissimum virum tanquam authorem, vel fautorem ejusdem traduci, ut ego alio in Opere fuse ostendi, & præter alia, constat ex hac satis diserta ejus sententia, quæ habetur in Relect. de Pœnit. Altera quoque, *inquit* ille, attritio est, ex qua cum Sacramento non justificatur, V. g. quæ ex timore infamiæ proficiscitur, vel cujusque mali temporalis: ut qui detestatur peccatum, & proponit confiteri, ne ejiciatur ab Ecclesia, vel ne mulctetur pecunia &c. sive enim discutiat conscientiam suam, & imperfectionem doloris &c., homo sic attritus non fit etiam virtute Sacramenti contritus, idest non accipit gratiam. Sic enim hoc loco intelligi volumus ex attrito feri contritum, idest gratiam, & justificationem consequi virtute Sacramenti, perinde ac si vere fuisset contritus.

de hac re promissione Dei, quæ nullibi prostat: quin potius Deus ipse aperte declaravit, se non rerum superficiem aut hominum æstimationem respicere, sed fundum, & veritatem. Sic enim dixisse legimus c. 16 Regum 1: *non juxta intuitum hominum ego judico: homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor*.

Objicies: SS. Patres, ac præsertim Augustinus aliquando hortantur eos, quibus videtur, non posse Deum, ut par est, diligere, aut de perpetratis sceleribus pro merito dolere, ut id præstare saltem desiderent, adduntque benignissimum Deum ejusmodi desiderium pro re ipsa suscepturum. Igitur juxta eos necesse non est, ut contritio vera, ac realis sit, sed satis est, ut desideretur, aut talis esse existimetur.

Resp. Rectissime id asseruerunt SS. Patres, quos plane de efficaci desiderio locutos fuisse putandum est. Fieri namque non potest, ut qui vere, & efficacitar Deum diligere, aut de præteritis peccatis dolere desiderant, jam reipsa quadantenus Deum non ament, ac de peccatis vere non doleant; tametsi non adeo vividus intensusque sit hujusmodi dolor. At vero numquam SS. Patres dixere sufficere quodcumque desiderium etiam inefficax, seu quamcumque velleitatem aut Deum amandi, aut de peccatis dolendi: quia videlicet tenue hujusmodi desiderium, aut velleitas a seipsa sejungi solet. Multoque minus illi asseruerunt ad veniam peccatorum obtinendam satis esse, quod falso sibi quispiam persuadeat debitum de illis dolorem concepisse.

Q. 10. An contritio, quæ Sacramenti pœnitentiæ par est, debeat esse formalis, aut virtualis sufficiat?

R. Formalis esse debet, nec sufficit sola virtualis in caritate contenta.

Prob. 1. ex Concilio Trid. qui anathemate perculit eos qui dixerint, contritionem inter cæteros pœnitentiæ actus non requiri ad Sacramentum Pœnitentiæ. Porro si contritio virtualis sufficeret in actu caritatis contenta, dici optime posset contritionem ad pœnitentiæ Sacramentum non requiri: cum actus caritatis ab actu contritionis omnino distinguatur. Igitur &c.

2. Incredibile plane videtur Sacrum Concilium tam improprie loqui potuisse: ut necessariam esse contritionem assereret, si per actum caritatis suppleri posset: quæ nonnisi valde improprie contritio posset appellari, cum ab ea plurimum differat, ejusque officia diversa sint.

3. Nomen ipsum, ac idea Sacramenti Pœnitentiæ satis indicare videntur ad ipsum requiri formalem actum doloris. Dicitur enim, & est Sacramentum *pænitentiæ*, quod pœnitentiæ virtutem includat, eamque ad Sacramenti rationem elevet. Nihil porro esset, cur ita appellaretur, si ad ipsum solus sufficeret caritatis actus.

4. Dum agitur de impetranda venia pro offensa alicui irrogata, ipsum naturæ jus docet, atque præscribit; offensorem minime contentum esse debere sola amoris exhibitione, sed præterea necessarium esse ut habeat, ostendatque formalem de illata offensa dolorem, sive displicentiam. Quidni igitur idem cum Deo agendum erit in Sacramento Pœnitentiæ?

5. Demum. Accusatio de peccatis, quæ fit in hoc Sacramento, refertur, & ordinatur ad obtinendam absolutionem. Debet ergo esse *dolorosa*; seu cum dolore, ac pœnitentia conjuncta: aliter enim mere historica foret: neque Sacerdos, qui in hoc tribunali sedet tanquam judex, absolutionem impertiri posset, quin recti judicii limites transiliret.

Objicies 1. Sacræ litteræ justificandi vim caritati frequenter attribuunt, docentque illos, qui diligunt Deum, ex Deo esse, & Dei filios, adeoque Regni cœlestis hæredes. Caritas igitur contritionis, aut pœnitentiæ defectum supplere valet, ac reipsa supplet.

2. Si quisquam intensa divinæ bonitatis consideratione abreptus in actum perfectæ caritatis, Deo aspirante, prorumperet, quin ipsi peccatorum suorum memoria recurreret, statimque e vita decederet, is profecto salutem æternam consequeretur. Igitur.

R. Hujusmodi objectiones, ut nemo non videt, contritionem aut pœnitentiam respiciunt, nedum ut pars Sacramenti est, sed etiam ut absolute etiam extra Sacramentum consideratur. Ad priorem itaque dico, primo, si ex eo, quod Sacræ litteræ justificandi vim caritati adscribant, recte inferretur eam posse pœnitentiæ, seu formalis contritionis supplere defectum; colligi inde jure posset, idem semper posse præstare; neque enim scriptura in locis indicatis caritatis ad justificandum efficaciam ad casum pœnitentiæ inculpate omissæ ullo modo coarctat. Ulterius, Sacra Scriptura modo caritati, modo fidei, modo spei, modo pœnitentiæ, & aliquando etiam aliis virtutibus justificationem attribuit, non ut doceat singulas illas ab aliis disjunctas ad justificandum sufficere; sed ut significet eas omnes ad justificationem suo modo concurrere, ac necessarias esse: alioquin dici posset & fidem solam, aut spem absque caritate justificandi vi pollere: quod nemo catholicorum asseruerit.

Ad 2. Eadem difficultas est in hoc casu, ... ac in ...

ac in alio simili, de eo scilicet, qui perfectæ caritatis actum eliceret, mortemque obiret, priusquam defectu ministri annunciantis aut Trinitatem agnoscere, aut fidem in Jesum Christum comparare sibi posset. Quid enim hocce in casu dicendum foret? Respondebis id nunquam futurum: quia cum Trinitatis cognitio, & fides in Christum Jesum sint necessaria necessitate medii ad salutem, ad divinam Providentiam pertinet non permittere, ut is antea decedat e vita, quam Trinitatem agnoscere, & fidem in Jesum Christum habere queat, juxta illud Theologorum axioma, *facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*. Idem igitur dicendum erit in objecto casu.

Q. 11. An contritio juncta esse debeat cum certo, & expresso proposito deinceps non peccandi?

℟. Affirmative adversus Majorem, Almainum, Vegam, aliosque plures Recentiores, qui implicitum, & virtuale, ut vocant, emendandæ vitæ propositum, satis esse ad contritionem etiam in Sacramento contendunt. Probatur autem

1. Concilium Trid. contritionem definiens tradit, eam esse, *animi dolorem, ac detestationem de peccato commisso cum proposito* &c. Ergo judicat, necessarium esse certum & expressum propositum novæ aut melioris vitæ. Nam si implicitum, ac virtuale propositum sufficere credidisset, cum hoc sit ipse dolor, ac detestatio juxta adversarios, frustra propositi conditionem adjecisset: quod dicendum non est.

2. Contritio esse non potest absque vera conversione cordis ad Deum; nec vera conversio ad Deum intelligi potest absque sincera voluntate ei placendi, neque sincera voluntas placendi Deo subsistere valet absque melioris vitæ proposito. Ergo &c.

3. Non minus detestatio peccati in proposito melioris vitæ virtualiter, & implicite continetur, quam in detestatione peccati propositum ipsum virtualiter contineatur: atqui hoc neutiquam obstante ad contritionem non sufficit propositum hujusmodi, sed necessarius est formalis dolor, & detestatio, ut vel ipsi adversarii consentiunt; ergo &c.

4. Fieri minime poterit, ut cum quis peccata præterita detestatur, agendæ imposterum vitæ consideratio menti non recurrat: atque adeo de ea deliberare debet, seu meliorem vitam sibi proponere, ac præstituere.

Q. 12. Quæ sit contritionis divisio?

℟. Omnium celeberrimam esse in perfectam, & imperfectam.

Q. 13. Quid sit contritio perfecta, quid imperfecta?

℟. Ex Concilii Trid. doctrina, (*Sess.* 14, *c.* 4) perfectam esse, dolorem de peccato commisso, ex amore Dei super omnia conceptum, & caritate perfectum, cum proposito non peccandi in posterum, & voto suscipiendi pœnitentiæ Sacramentum.

Imperfectam vero esse dolorem, ac detestationem peccati commissi, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter conceptam, peccandique voluntatem excludentem, cum spe veniæ obtinendæ.

Q. 14. Utrum propriis nominibus, perfecta & imperfecta contritio distinguantur?

℟. Affirmative, perfecta namque genericum retinet nomen, quod est in Ecclesia antiquissimum, & ab ipsis scripturis acceptum: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, inquit Propheta, (*Ps.* 50, 19) *cor contritum & humiliatum Deus non despicies*... & alibi: (*Ps.* 146, 3) *qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*, idemque ab Isaia usurpatum nomen, in hoc celebri vaticinio, (*Is.* 61, 1) quod in se esse adimpletum Christus attonitæ synogogæ significavit: (*Luc.* 4, 17 & *seqq.*) *Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde*.

Imperfecta vero, *attritio* vulgo dicitur, quæ vox anno circiter 1230 in scholis audiri, & probari a Theologis cœpit: hanc enim primi omnium eo tempore usurparunt *Alexander Halensis*, *Albertus Magnus*, & *Guillelmus Parisiensis Episcopus*, quod eo certius affirmamus, quod in scriptoribus antiquioribus non legatur, licet de pœnitentiæ Sacramento plerique diligentissime scripserint.

Q. 15. Voces contritionis & attritionis qui differant?

℟. Ex Latini sermonis proprietate, perfecta & imperfecta ejusdem rei significatione differre: quemadmodum enim dicitur corpus *conteri*, cujus partes ita attenuantur, ut redigantur in pulverem; *atteri* vero, quando non æquata partium omnium sectio ac comminutio est: ita *contritio* in præsenti, perfectam peccatorum detestationem, *attritio*, imperfectam significat.

Q. 16. Utrum contritio & attritio specie differant?

R. Non unam de hac re Theologorum esse doctrinam: alii volunt, unius ejusdemque esse speciei; neque aliter quam gradu differre, quomodo magis & minus calidum non specie discrepant, sed fervore & intensione: alii sen-

sentiunt, diversam utriusque esse speciem & naturam: cujus dissensionis causa est quod alii contritionem in amore præcipue, & attritionem in solo timore reponant: alii vero amorem in attritione, non secus ac in contritione, gradu licet diverso requirant; itaque qui putant, ad veram attritionem, quæque in Sacramento sufficiat, non esse amorem Dei necessarium, sed satis esse dolorem de peccato, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ metu conceptam, consequens est, ut affirment contritionis & attritionis diversas species esse: qui ex adverso volunt sine amore, nec cordis conversionem, nec veram peccati detestationem posse consistere, ex consequenti propugnant, attritionem & contritionem in una specie comprehendi, nec aliter inter se differre, quam quæ in una specie sunt magis minusve perfecta: utri vero melius sentiant, dicetur capite quarto, ubi hæc difficultas accurate tractabitur.

Q. Ultimo utrum Græci cum Latinis in ea quam exposuimus de contritione doctrina consentiant?

℞. Affirmative. Nam

1. Quam nos *contritionem* dicimus, illi *συντριβὴν τῆς καρδίας*, sive *σύντριψιν* pari significatione appellant.

2. Contritionem iisdem ac nos conditionibus circumscribunt, detestatione scilicet vitæ præteritæ, novæ vitæ susceptione, & proposito de cetero non peccandi: id quod perfacile esset innumeris non modo Græcorum antiquiorum testimoniis, sed & recentiorum catechesibus & tractatibus demonstrare: unum aut alterum afferre sat erit, ut studioso lectori constet Græcos acceptam a majoribus de vera pœnitentia ac contritione doctrinam hactenus, miserante Deo, integram illibatamque servasse: *Contritio cordis*, *σύντριμμα τῆς καρδίας*, inquit Nicephorus Paschalius, Theophanis Philadelphiæ Metropolitani discipulus, (*in Enchiridio de Sacr. pœn. & confessione*) *tristitia animæ est, & detestatio peccati, quo Deus super omnia diligendus offensus est, cum proposito vitæ in melius commutandæ, & in posterum non peccandi; indeque infertur non satis homini esse ad gratiam recuperandam, a peccato recedere, aut novam vitæ rationem amplecti, sed omnino necessarium esse, ut de vita præterita doleat, eamque detestetur, simulque constanter proponat, de cætero non peccare: necesse tamen non est, ut dolor ille sit sensibilis (quamquam ea quoque ratione bonus sit, magnique subsidii) sed sufficit ut intus hæreat voluntati, eoque perculsus pœnitens peccatum tamquam verum suum malum respiciat, detestetur, ac fugiat: oportet insuper dolorem hunc quovis altero dolore longe esse majorem, quemadmodum enim Deus, quia summum hominis bonum est, super omnia est amandus; ita peccatum quo Deus offenditur, supremum est malum; atque adeo super omnia absolute detestandum, ita ut nullo quovis prætextu, etiam si ageretur de vita servanda, peccare numquam licitum sit; & ideo a Domino dictum:* qui amat Patrem suum, aut Matrem plusquam me, non est me dignus: *& alibi*, qui volet animam suam salvam facere, perdet eam, &c.

Pari ratione Gregorius Protosyncellus: *Contritio*, inquit, (*in Synopsi Sacram.*) *vehemens cordis contriti & quasi confracti est dolor, idemque voluntarius, (nec enim potest contritio cordis esse coacta) quo homo plangit, & cruciatur, & seipsum propter peccatum admissum condemnat. Tria contritio continet, peccati desertionem, de eo contra Deum perpetrato dolorem, & firmum deinceps non peccandi propositum: ad hæc omnia homo fervente in Deum caritate excitatur, de qua Theologi affirmant, quod odio peccati conjuncta, vera pœnitentia sit, motivo namque triplici ad cordis contritionem homo adducitur, malitia nimirum peccati, caritate erga Deum, & æterni timore supplicii: quapropter pœnitent timere gehennam non sufficit: sed præterea opus est ut de peccato ideo doleat, quia contra Deum suum benefactorem peccavit.*

Qui plura volet, consulat Græcorum *Orthodoxam confessionem quæst.* 113, Neophytum Rhodinum Montis Sinai Monachum, *in Epitome doctrinæ Sacramentorum*, Alexium Rharturum, *in sermonibus*, Damascenum Studitam, *in homiliis super Evangelia*, & alios passim.

Quod vero de Græcis est dictum, debet pariter de Orientalibus intelligi, quod nimirum veram cordis contritionem iisdem ac Latini legibus circumscribant nec enim: unum inter mille reperiendum confidenter asserimus, qui contritionem sive pœnitentiam in sola resipiscentia & novæ vitæ institutione, sine veteris odio constituerit: vigent etiamnum inter eos decreta Patrum, dolorem cordis intimum, non propter solius gehennæ metum, sed præcipue propter Dei summe amandi offensionem, a pœnitentibus exigentium: quod iis bene compertum est, qui *Michaelis* Patriarchæ Antiocheni, *Dionysii Parsalibi*, *Ebnassali* utriusque, *Echmimi*, & aliorum tractatus, homiliasque legerunt. Sequitur

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Utrum ad Sacramentum Pœnitentiæ perfecta contritio sit necessario afferenda?

DUo hic præstanda occurrunt: 1 quæritur utrum sit eorum doctrina probanda, qui asseruerunt sine præmissa aut saltem præsumpta contritione perfecta, neminem in Sacramento pœnitentiæ a peccatis absolvi posse? 2 utrum sententia hæc damnata ab Ecclesia aliquando fuerit?

ARTICULUS PRIMUS.

De efficacia, & modo contritionis perfectæ ad inducendam peccatoris justificationem.

¶ Conclusio 1. Admittenda est contritio ita caritate perfecta, quæ justitiam, & gratiam ante actualem Sacramenti susceptionem seu cum solo ejus voto confert.

Est contra Lutherum, & Kemnitium oppositum errorem sustinentes alio errore superstructum, nempe vel quod nemo, nisi jam justificatus fuerit, actum contritionis ex caritate concipere valeat, ut putat Lutherus: vel quod nonnisi per absolutionis verba ad eam specialis misericordiæ fidem, quæ ad justificationem necessaria est, excitari quisquam possit, ut censet Kemnitius.

Probatur autem 1 quia hoc disertissime traditur a Concilio Trid. *sess.* 14, *cap.* 4, his verbis: *etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsa nihilominus reconciliatio ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non est adscribenda.*

2. Plura sunt Scripturarum loca satis obvia, in quibus Deus pollicetur iis qui ad se toto corde convertuntur eumque vere diligunt, peccatorum remissionem, ac vitam æternam. Ergo saltem aliquando ii, qui ex caritate perfecta peccata sua detestantur, justitiam, ac cum Deo reconciliationem acquirunt: neque enim aliter illorum textuum veritas constare posse videtur.

3. Si nemo per contritionem perfectam absque actuali Sacramenti susceptione justificari posset, id in causa foret, vel quia hujusmodi contritio non nisi ab homine justificato elici potest, ut sensit Lutherus: vel quia fiducia ad peccatorum remissionem necessaria solis absolutionis verbis excitari valet: ut existimat Kemnitius. Utrumque porro falsum est. Nam & hujusmodi contritio potest actuali Dei gratia, seu adjutorio voluntatem corroborante obtineri; & congrua fiducia, lectione, prædicatione, meditatione excitari. Igitur &c.

Conclusio 2. Contritio perfecta non in solo casu necessitatis, sed semper hominem Deo reconciliat, antequam Sacramentum actu suscipiat.

Est præcipue contra Estium, cui nonnulli alii Theologi suffragantur. Ita namque docet ille *in 3 sent. qu.* 17, §. 2, scilicet nec semper, nec frequenter contingere contritionem licet perfectam & intensam peccatorem Deo reconciliare, sed certis duntaxat in casibus, E. G. urgente articulo mortis, quando Sacerdos haberi non potest: quando occurrit casus scandali, aut alterius peccati incurrendi, si absolutio petatur: item cum quis vel omnino non potest, vel certe difficillime potest opportuno tempore adire Sacerdotem, a quo valeat absolvi, puta si degat inter infideles, aut detineatur in vinculis, aut alio simili impedimento prohibeatur. Ex quo sic Estius concludit: *An sit certus aliquis gradus intentionis, ad quem cum pertigerit contritio, vel dilectio Dei in Catechumeno, vel pœnitente* &c. *conjunctam habeat remissionem peccatorum, incertum est.* Probatur itaque Conclusio.

1. Quia ea perspicue colligitur ex Sacris litteris. Ezech. Cap. 18. *Si impius pœnitentiam egerit ab omnibus peccatis suis . . . omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et cap. 33: *impietas impii non nocebit ei in quocumque die conversus fuerit.* Quibus in locis peccatorum venia generatim eaque statim concedenda promittitur cuilibet peccatori vere & perfecte per pœnitentiam converso. Igitur pœnitentis justificatio ad certos tantummodo casus, eosque admodum raros extra Sacramentum coarctanda non est.

Reponit quidem ad hosce textus Cl. Estius, ex vera conversione certam spem fieri consequendæ remissionis peccatorum per Sacramentum, non autem ex iis probari veniam scelerum statim conferri.

Sed perperam; tum quia allatis in locis Deus non solum veniæ spem tribuit, sed veniam ipsam pollicetur: quemadmodum ibidem justo ex justitia excidenti, non futuram, sed actualem justitiarum ejus oblivionem intentat. Tum etiam quia nullum erat Ezechielis tempore pœnitentiæ Sacramentum, per quod deinceps suppleri posset contritionis defectus. Vetera namque Sacramenta vim hanc & efficaciam ex se ipsis non habebant, sed ex solo opere operantis suum effectum præstabant.

2. Quia Estii sententia convenire videtur cum quibusdam propositionibus, vulgo *Bajanis*, jam ab Ecclesia damnatis: cum 31: *charitas*

ritas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & fide non ficta, tam in catechumenis, quam in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. Cum 32: *charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum*. Cum 76: *homo existens in peccato mortali sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem: & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis*. Maximeque cum 71: *per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti*. Quæ postrema propositio non video profecto quo pacto differat a sententia, quam impugnamus.

3. Favent Ecclesiæ Patres, quorum unum vel alterum duntaxat producam. S. Joan. Chrysost. l. 1 *de repar. lap. c.* 4 ait: *pietas Dei nunquam spernit pœnitentiam, si ei sincere, & simpliciter offeratur: & quamlibet brevi tempore gestam suscipit*. S. Leo Papa Ep. 84: *apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: cum conversus ingemueris, salvus eris*: quæ sententiæ generaliter prolatæ nullam congruam explicationem patiuntur, qua ad certos tantummodo casus restringantur.

4. Idem colligitur ex doctrina superius laudata sacri Concilii Trid. *etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur* &c. Quæ verba in obvio, ac naturali sensu intellecta plane designant contritionem, quoties charitate perfectam esse contingat: non autem in quibusdam solis necessitatis casibus, homine Deo reconciliare ante actualem Sacramenti susceptionem.

5. Catholicorum omnium firma videtur esse consensio, ad veniam peccatorum obtinendam satis esse veram ac sinceram conversionem hominis ad Deum, & aversionem a creatura inordinate dilecta. Atqui ubi saltem est fervens & perfecta contritio, ibi necessario est totalis aversio a creatura, & perfecta ac sincera ad Deum conversio. Ergo &c.

6. Tandem: contritio perfecta, sive ex perfecta, & intensa charitate procedens in veteri Testamento semper, sive quoties ea reapse haberetur, statim justificationem pœnitentibus afferebat. Ergo eamdem etiam statim affert in novo testamento. Quamquam enim in nova lege, præceptum peccata confitendi adjectum fuerit; non inde tamen consecutum est, contritionem, & charitatem in lege gratiæ aut minorem habere vim, aut minus perfectam ad justitiam consequendam dispositionem evasisse, aut minus Deo gratam esse, acceptamque. Igitur

Objic. 1. Perfecta dubio procul extitit contritio Peccatricis memoratæ a S. Luca cap. 7, de qua a Christo Domino dictum est: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Porro illa haud statim perfecta sua contritione justificata fuit: sed tunc solummodo, cum ad Salvatorem accessit: ut liquet ex ipsius verbis tempore præsenti non præterito pronunciata. Non enim dixit, *Remissa sunt, sed remittuntur ei peccata multa*: nec causam addidit dicendo, *quoniam diligit, sed quoniam dilexit multum*. Igitur mulier illa peccatrix jam antea *multum dilexerat*, nec tamen peccatorum veniam consecuta fuerat, adeoque justificatio non semper conjuncta est cum contritione e perfecta charitate proficiscente.

R. Mulier illa peccatrix justificata est statim ac actum intensæ contritionis, ac perfectæ charitatis elicuit. Nec obest, quod in objectione producitur. Nam in primis tum Græci, tum Syri & Arabici codices legunt non *remittuntur, sed remissa sunt ei* &c. Deinde retenta etiam Vulgatæ nostræ lectione, peroptime dici potest Christum Dominum tunc coram hominibus declarasse, & confirmasse per illa verba præsentis temporis absolutionem, quam merito suæ dilectionis jam antea obtinuerat: quemadmodum & Marci cap. 5 mulieri jam a profluvio sanguinis liberatæ, ut habetur Com. 29 Christus dixit in præsenti Com. 34 *Esto sana a plaga tua*. Quibus verbis palam declaravit sanitatem jam antea merito fidei receptam.

Objic. 2. Dubitandum non est, Paulum in via Damasci a Domino prostratum atque vocatum, peccatorum suorum perfectissimum dolorem, aut contritionem elicuisse: neque tamen statim justificatus est, ut constat ex postea subjunctis Ananiæ verbis: *Quid moraris? Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua*: & ex S. Aug. dicente serm. 1 & 25 de Sanctis: *Ananias baptizavit lupum, & fecit agnum*. Igitur &c.

R. Certissime tenendum est D. Paulum eo instanti, quo a Domino percussus est, seque ad omnia paratum illis verbis exhibuit, *Domine, quid me vis facere*? justificationis gratiam illico adeptum esse. Sic enim sentiunt communiter Ecclesiæ Patres, & S. Thomas 1, 2, *q.* 112, *art.* 2, *ad* 2, ubi ait: *ita contigit Paulo: quia subito, cum esset in progressu peccati, perfecte motum est cor ejus a Deo, audiendo, addiscendo, & veniendo: & ideo subito est gratiam consecutus*. Ad illud ergo Ananiæ, *baptizare, & ablue peccata tua*, Respon-

pondeo, vel Ananiam nondum certiorem factum fuisse de qualitate dispositionum Pauli ad veniam peccatorum suorum obtinendam, deque charitatis ardore jam in ejus corde vigente ad justificationem necessario: vel locutum esse de ablutione venialium culparum, si quæ adhuc in ipso supererant, deque remissione pœnæ lethalibus peccatis debitæ: vel demum de effectu, quem ex se baptismus, ad quem Paulum hortabatur, inducit, qui est *ablucre peccata* commissa. Quod attinet ad Augustini locum, dico non eo sensu intelligendum esse, quasi Paulus usque ad baptismum *Lupus perstiterit*: hoc enim nimium absonum est: sed quia baptismus erat necessarium justificationis sigillum, sive quædam conditio necessario confirmativa ac declarativa factæ mutationis ex lupo in agnum. Atque hoc similique sensu explicandum esse S. Patrem patet ex Serm. 175 alias 9 *de verbis Apostoli*; ubi expresse docet, Paulum jam in agnum conversum fuisse, cum a Christo in terram prostratus est.

Objic. 3. S. idem Aug. Tract. 13 in Joan. scribit: *quantumcumque catechumenus proficiat* (adeoque quamlibet ardeat charitate), *adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat*; *non ei dimittitur*, *nisi cum venerit ad baptismum*. Et tract. 4: *Omnia peccata super illum sunt*: & *nisi venerit ad baptismum salutarem*, *ubi peccata solvuntur*, *cum omni sua excellentia non potest intrare in regnum cœlorum*. Igitur etiam pœnitens quacumque contritione, & charitate ferveat, peccatorum veniam non consequitur, nisi cum actu Sacramentum pœnitentiæ suscipit. Eadem quippe de baptismo, ac de pœnitentia ratio est.

R. Quoad priorem Aug. textum S. Doctor de eo profectu loquitur, qui solet in catechumenis frequentius contingere, quippe ad contritionem perfectam, & charitate ferventem ordinario non pertingit. Porro ejusmodi catechumenus adhuc peccatorum suorum sarcinam gerit, donec veniat ad baptismum, ut & peccator donec pœnitentiæ Sacramentum recipiat. Atque hæc eadem responsio alteri loco aptanda est.

Objiciēs 4. Concilium Trid. docens contritionem perfectam reconciliare Deo ante Sacramenti susceptionem utitur voce *aliquando*: quæ plane vox videtur innuere non semper, sed certis duntaxat in casibus hunc effectum producere.

℟. Toto ostio aberrat Estius dum ita explicat Sacri Concilii verba. Evidens quippe est ex integra sententia suo proprio ac nativo sensu intellecta ipsum non asserere charitatem perfectam *aliquando* Deo reconciliare, sed solummodo contingere contritionem *aliquando* esse charitate perfectam. Tunc vero ante Sacramenti susceptionem reconciliare apertissime docet. Quæ duo diversa admodum sunt: & quidem posterius optime cum nostra propositione cohæret, eamque confirmat, contritionem scilicet charitate perfectam semper, quoties revera adsit, justificationem conferre ante actualem Sacramenti receptionem.

Objic. 5 Si contritio charitate perfecta Deo reconciliaret ante Sacramentum reapse susceptum, idque ordinario ac semper; jam duo illa Sacramenta baptismus ac pœnitentia necessaria minime forent necessitate medii, cum ad ea supplenda medium aliud suppeteret. Id autem a Catholica fide alienum est. Igitur, &c.

℟. Ad hoc ut Sacramentum aliquod necessarium esse dicatur necessitate medii, satis est, ut ejus effectus, saltem absque ipsius voto nullatenus obtineri queat. Adeoque cum contritio perfecta hominem non justificet citra vel baptismi vel pœnitentiæ votum, recte consistit, quod hæc duo Sacramenta necessaria necessitate medii asserantur.

Objicies demum. SS. Patres communiter pœnitentiæ Sacramenti necessitatem deprædicant ad peccatorum remissionem obtinendam. Eam igitur non haberi per contritionem, sed habendam esse per Sacramentum præsumunt. Ergo &c.

℟. Jure meritoque SS. Patres ita se gesserunt ac Sacramenti pœnitentiæ necessitatem adstruxere: quoniam ita frequentius, & ordinarie contingit. Pauci siquidem sunt, ut habetur ex Catechismo Concilii Trid. qui contritionem adeo perfectam, ferventem, & incensam charitate concipiant, quæ justificando peccatori par sit ante actualem Sacramenti susceptionem. Quo fit, ut ordinarie *sententia Petri præcedat sententiam cœli*, ut inquit D. Bernardus in festo Apost. Petri, & Pauli.

Conclusio 3. Votum, sive desiderium Sacramenti pœnitentiæ probabilius debet esse explicitum, ut quispiam contritione perfecta justificetur absque Sacramento.

Supponit hæc conclusio votum, sive desiderium Sacramenti pœnitentiæ aliqua saltem ratione, idest vel explicitum, vel saltem implicitum absolute necessarium esse in hac lege gratiæ, & divinæ Providentiæ dispositione, ut quilibet contritione quantumcumque perfecta præditus ante Sacramentum, vel absque Sacramento justificetur. Id palam fit, præter alia, ex Synodo Trid. Sess. 14, Cap. 4, definiente, quod dolor "in homine post baptismum „ lapso ita demum præparet ad remissionem „ peccatorum, si cum fiducia divinæ miseri„ cordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus

 „ sit,

„ sit, quæ ad rite recipiendum Sacramentum „ requiruntur. *Et paulo post subdit*; reconci- „ liationem, quæ per contritionem perfectam „ obtinetur, non esse adscribendam ipsi contri- „ tioni sine voto Sacramenti, quod in ipsam „ includitur". Si qua igitur hac de re difficultas esse potest, tota in eo sita est, num satis sit hujusmodi votum esse implicitum, quod nihil aliud importat, quam generale desiderium ea omnia præstandi, quæ a Deo præcipiuntur, adeo ut peccator ita sit animo comparatus, quod re ipsa præstaret, si perspecta ipsi forent: vel necessarium sit votum explicitum, quod & rei cognitionem & expressam secum affert voluntatem ejus obtinendæ. Hoc postremum veluti probabilius in proposita conclusione statuimus, de iis saltem loquendo, quibus lex baptismi, ac pœnitentiæ promulgata fuerit. Itaque probatur

1. Votum rei, quæ ad salutem necessaria est necessitate medii, in casu necessitatis vices illius supplet, sive a Domino pro re ipsa acceptatur. Igitur quidpiam distinctum sit oportet a generali desiderio servandi præcepta omnia, ut videlicet Domino aliquid peculiare pro re ipsa offeratur: quod plane non fit, si votum, aut desiderium fuerit tantum implicitum.

2. Quemadmodum necessitas medii major est, ac urgentior necessitate simplicis præcepti; sic congruum videtur, ut in casu necessitatis excusantis a reali observatione, majus & expressius sit votum, aut desiderium illius, quam istius. Sed rei, quæ est necessaria tantummodo necessitate præcepti, requiritur ut minus votum ac desiderium implicitum. Igitur relate ad Pœnitentiæ Sacramentum, quod est peccatori necessasium necessitate medii, exigitur votum, aut desiderium expressum.

3. Sacrum Concilium Trid. inter conditiones necessarias, ad hoc, ut quis perfecta contritione justificetur, expressam mentionem facit voti Sacramenti. Inutilis porro, ac supervacanea fuisset hujusmodi expressa mentio, si votum implicitum sufficeret. Certum quippe est hocce votum in ipsa contritione comprehendi, utpote a qua sejungi nequaquam potest propositum Dei omnia præcepta servandi. Ergo juxta Sacri Concilii mentem dicendum est hoc votum oportere, ut explitium aut expressum omnino sit.

Postrema conclusio. Contritio perfecta causa est remissionis peccatorum, eaque meritoria, non tamen merito de condigno, sed solum de congruo.

Prima propositionis pars est contra Lutherum, & Kemnitium, ut supra jam notavimus, & etiam contra Calvinum l. 3 Inst. c. 4, qui contritioni omnem causæ rationem adimunt relate ad peccatorum remissionem. Prob. autem Sacrarum litterarum authoritate, quæ enunciant Deum moveri ad veniam peccatoribus concedendam eorundem contritione, pœnitentia, ac sincera ad ipsum conversione. Hunc enim plane sensum affert illud Davidis Ps. 50: "cor „ contritum, & humiliatum Deus non despi- „ cies: & *illud Jonæ c.* 3: vidit Deus opera „ eorum (*Ninivitarum scilicet*) quia conversi „ sunt de via sua mala, & misertus est Deus „ &c. *Favent etiam loca Ezechiel.* 18: Cum „ averterit se impius ab impietate sua ... ipse „ animam suam vivificabit: & *Lucæ* 7: di- „ missa sunt ei peccata multa, quoniam di- „ lexit multum". Quæ sane testimonia satis aperte insinuant pœnitentia, aut contritione moveri Deum ad veniam peccatorum conferendam. Porro quod ita Deum movet, causalitate aliqua saltem morali potiatur, oportet &c. Id clarius apparet in verbis laudatis ex S. Luca, *dimissa sunt ei peccata multa: quoniam dilexit multum*. Nam per illud *quoniam* causa assignatur, cur peccatrici mulieri dimissa peccata fuerint: quæ causa alia non fuit, nisi fervens dilectio, sive contritio ex ferventi charitate concepta.

Altera pars est contra nonnullos Theologos, qui tametsi adversus hæreticos contritionem causam esse remissionis peccatorum libenter admitterent, eamdem tamen causam hujusce meritoriam abnuerunt, quod nullum hominis nisi justi meritum agnoscerent. Quare potius dispositionem, sive causam dispositivam vocandam potius esse censuerunt. Probatur vero.

1. Sacræ Scripturæ textus, quos attulimus, aliique, qui afferri facile possent, manifeste indicant Deum remissionem peccatorum conferre contritionis intuitu. Atqui opus liberum, cujus intuitu donum aliquod confertur, respectu illius non potest non habere aliquam meriti rationem. Ergo &c.

2. Plerique Patrum remissionis peccatorum meritum contritioni adjudicant, ut Tertullian. l. 4 contra Marcion. qui scribit Regem Achabum *veniam meruisse pœnitentiæ nomine*: Origenes Hom. 11 in c. 20 Levitici, ubi peccatorem hortatur ut *pœnitentiam gerat, ut mereri pro ea veniam possit*: Ambrosius, qui in *Caput* 22 *Lucæ* ait: *lacrymæ veniam non postulant, sed merentur*: S. Aug. qui *in Ps.* 50 de pœnitentia Ninivitarum loquens pronunciat *eam certam misericordiam meruisse*. Quibus concinunt S. Cyprianus in fine lib. de lapsis, S. Gregorius M. l. 3 in 1 Reg. c. 4, aliique passim præter communem scholasticorum consensum. Quis porro audeat vocem *meriti* tota retro antiquitate resonantem fastidire, aut contemnere?

3. Qui

3. Qui perfectæ contritionis actum elicit, Dei præceptum implet, ejusque voluntati obsequentem se præbet, & quidem modo, qui Deo gratissimus est, ex perfecta videlicet ipsius dilectione. Igitur quadantenus saltem ejusdem amorem, & amicitiam promereri dicendus est. Nam dilectio, vel amor, maxime si perfectus sit, redamationem aliquo modo exposcit: quod meriti rationem exprimit, aut saltem involvit.

Tertia conclusionis pars modum exprimit, quo perfecta contritio peccatorum remissionem meretur, nempe non merito *de condigno*, ut vocant, sed solum *de congruo*. Est vero inter utrumque hoc meriti genus hocce discrimen, quod meritum de condigno in justitia fundatur: meritum autem de congruo in misericordia. Primum exigit præmium a justo remuneratore: alterum præstat convenientiam quamdam, & congruitatem, ut miserator, & misericors Dominus bonitatem, & clementiam suam exerceat: illud ad æqualitatem cum præmio assurgit: istud in quadam proportione ex divina misericordia resultante consistit: illud Deus remuneratur, quia justus: hoc munere vacuum non dimittit, quia bonus, & misericors. Hoc posito probatur hæc tertia pars.

1. Meritum omne de condigno supponit gratiam sanctificantem, in eaque fundatur: Hæc etenim sola est, quæ bonis operibus verum meritum, & intrinsecum valorem impertitur. Atqui contritio, qua quis peccatorum remissionem consequitur, elicitur ab homine nondum gratia sanctificante donato: sola quippe auxiliante gratia producitur. Ergo &c.

2. Quilibet citra omnem injustitiam respuere potest munus & obsequium personæ sibi non gratæ, immo sibi inimicæ & exosæ. Ergo etiam Deus citra injustitiam rejicere potest contritionem & amorem pœnitentis, utpote nondum sibi grati ante sanctificantis gratiæ infusionem. Igitur contritio illa, & actus caritatis non de condigno, sed de congruo duntaxat peccatorum remissionem merentur.

3. S. Paulus *Cap. 3 Ep. ad Rom.* docet hominem *a Deo justificari gratis per gratiam ipsius*. Porro si contritio peccatorum remissionem de condigno mereretur, haud gratis homo justificaretur: per contritionem siquidem verum ac proprium meritum exhiberet, unde justificatio rationem præmii sortiretur. Ergo contritioni non meritum de condigno, sed tantum de congruo concedendum est. Sed de his plura in Tractatu de gratia. ¶

ARTICULUS SECUNDUS.

De opinione, perfectam contritionem exigente, quale debeat esse judicium?

Sæpe monuimus scholarum controversias, non defensorum hinc inde numero, sed rationis, gravíorisque auctoritatis pondere dirimendas, cujus rei habemus præclarum in ea quam modo versamus difficultate exemplum: in ea enim excutienda, si sola quæreretur scholæ magistrorum auctoritas, procul dubio vinceremur: nam a duodecimo sæculo quo scholastica Theologia nata est, sententia asserens perfectam contritionem ad Sacramentum pœnitentiæ necessario afferendam, Patronos pene innumerabiles habuit: pro hac opinione steterunt, eamque principii ac fundamenti loco unanimiter posuerunt ii fere omnes, quos doctrinæ celebritas commendavit, scilicet.

Hugo a S. Victore, l. 2 de Sacramentis, par. 14, c. 8.

Richardus, utique *Victorinus*, in l. de potestate solvendi ac ligandi, c. 7, & 19.

Robertus Pullus, de Sacramentis par. 5, c. 13.

Magister Sentent. l. 4, distinct. 17, & 18

Innocentius III in Ps. 2 pœnitentialem, ad hæc verba v. 5. *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.*

Guillelmus Altissiodorensis in summa.

Albertus Magnus, in l. 4 sentent. distinct. 17, & 18.

Alexander Halensis par. 4 summæ, qu. 8. membro 1.

S. Raymundus l. 3 de pœnitentiis & remissionibus n. 8.

Vincentius Bellovacensis l. 8 speculi historialis c. 43, & 52.

S. Bonaventura, in 4 sent. dist. 18, par. 1, art. 2, q. 1.

S. Bernardinus Senensis tom. 2, serm. 27 de confessione.

Gabriel Biel in 4 sent. dist. 14, qu. 2, a. 2.

Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus, c. 5 defensorii.

Ægidius Calerius Theologus Parisiensis, & Ecclesiæ Cameracensis Decanus in responsione ad quæstiones Abbatis Aquicintensis.

Guillelmus Pepinus Dominicani instituti professor, Theologus & Prædicator insignis, Serm. 2 de mysterio absolutionis, fer. 5 in cœna Domini, sententiam suam universæ Theologorum scholæ his verbis attribuens: *Regula generalis Theologorum est, quod confessor neminem debet absolvere, quem non credit verisimiliter a Deo absolutum.*

Tho-

Thomas Illiricus ex inclita Minorum Religione, sermone de clavibus Ecclesiæ, ubi contritionis perfectæ necessitatem ita prædicat, quasi aliter pœnitentem absolvi impossibile foret: *Quomodo*, inquit, *Sacerdos absolveret quemquam, de quo non præsumeret quod esset absolutus a Deo?*

Et alii denique longe plures, quorum hic texere nomina, postquam præcipuos appellavimus, necessarium non putamus.

Ab his porro tantis, tantæque auctoritatis magistris recedere pudor esset, nisi argumenta certissima, quorum longe major auctoritas est, contrairent: quod ut palam omni veritatem quærenti fiat, sit

§. PRIMUS.

Contritionem perfectam exigentium opinio refutatur.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex institutione Sacramenti pœnitentiæ.

1 Enim Sacramentum pœnitentiæ institutum a Christo est, ad ea delenda peccata, in quæ fideles accepto baptismo labuntur, ut ipsa Salvatoris verba demonstrant: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; atqui si peccatori ad Sacramentum accedenti necessaria foret perfecta contritio, jam hujus instituendi finis & causa cessaret: institutum enim ad eluenda peccata remedium immerito jactaretur, quod peccatorum remissionem, antequam applicaretur, necessario præsupponeret; atqui si reo ad pœnitentiam properanti necessaria foret perfecta contritio, peccatorum remissionem ante acceptam necessario Sacramentum hoc præsupponeret: contritio enim de qua in præsenti agitur, est *contritio caritate perfecta*, ut loquitur Concilium Trid. (*Sess.* 14, *c.* 4) sive illa est, *quæ ab attritione differt, secundum gratiæ informationem*, ut S. Thomas affirmat: (*q.* 28 *de verit. art.* 8, *ad* 3) atqui contritio caritate perfecta, & gratia sanctificante informata, cum peccatorum remissione, nemine diffitente, naturaliter connectitur; ergo si homini ad Sacramentum pœnitentiæ accedenti necessaria foret, peccatorum remissionem ante se essentialiter ipsum Sacramentum præsupponeret; adeoque ejus suscipiendi nulla causa superesset; quia sicut bene habentibus, ex Christi sententia, ipsaque natura doceate, opus non est medico, ita nec medicina porrigi debet.

Præcluditur adversariorum effugium.

Hoc argumentum data distinctione plerique quondam Theologi diluere se posse putabant, sic enim ad minorem respondebant: si homini ad Sacramentum pœnitentiæ accedenti necessaria foret perfecta contritio, peccatorum remissionem ante se necessario Sacramentum hoc præsupponeret; *ante se*, inquiebant, *in re susceptum*, concedebant, *ante se in voto susceptum*, negabant: nam, ajebant, perfecta contritio eatenus Deo hominem reconciliat, quatenus Sacramenti suscipiendi votum includit: unde sequitur, dici absolute non posse, remitti peccata sine Sacramento: eoque spectat Concilii Trid. decretum, sess. 14, cap. 4: *Docet præterea S. synodus*, inquit, *etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiat; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illo includitur, non esse adscribendam.*

Contra, illud quidem ultro admittimus, quod Concilium affirmat, contritionem quantumlibet perfectam, numquam hominem sine voto Sacramenti justificare: sed inde instauramus contra adversarios validissimum argumentum:

Credibile non est aliquod esse Sacramentum divinitus institutum, ut in voto semper debeat, in re numquam possit operari; ideoenim ordinata sunt Sacramenta, ut gratiam usu ipso & applicatione, saltem juxta communem legem, conferrent: quod Christi legem condentis verba declarant: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti*: (*Matt.* 28, 19) *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: (*Joan.* 6, 59) *imponebant manus super illos, & accipiebant Sp. Sanctum*: (*act.* 8, 17) *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: (*Joan.* 20, 23) &c. hoc vero de omnibus generatim dictum, de Sacramentis mortuorum principaliter debet intelligi, baptismo nimirum & pœnitentia, *quæ*, ut loquitur S. Thomas, (3 *p. quæst.* 80, *art.* 4, *ad* 2) *sunt quasi medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati*: jam sic subsumo; atqui si peccatori ad reconciliationis Sacramentum accedenti, necessaria absolute foret perfecta contritio, pœnitentia sic esset Sacramentum, ut in voto semper deberet, in re numquam posset operari: hæc enim causa actu suo sive in re numquam operatur, quæ effectum suum in subjecto necessario prærequirit; atqui in hac hypothesi pœnitentia effectum suum, scilicet peccata-

catorum remissionem in subjecto essentialiter prærequireret: adeoque non se ipsa, sed solo sui desiderio remedium esset; & hoc ipsoquod ejus desiderium præcessisset, inutiliter deinde susciperetur: quo nescio an fingi aliquid absurdius possit: nonne enim ineptissimum est, remedium quærere ut saneris, ea conditione ut remedio, nisi ante sanatus, uti non possis? ergo &c.

Deinde: Non aliam ob causam homini perfecte contrito necessarium est Sacramenti pœnitentiæ votum, quam quia est divinitus institutum, ut per illud homini post baptismum lapso meritorum Christi applicatio fieret; atqui Sacramentum ad meritorum Christi applicationem divinitus comparatum, tale debet esse, ut in voto quidem aliquando, si ejus suscipiendi copia desit, in re autem susceptum, suam communiter efficaciam exerat: ergo hanc conditionem non exigit, qua fieret ut ejus administratio actualis, irrita semper ac inutilis foret.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex clavium potestate Ecclesiæ data.

Alterum, nec minus efficax, ex potestate clavium petitur, quam Christus Ecclesiæ contulit: si enim perfecta contritio foret ad Sacramentum necessario præmittenda, sequeretur absolutionem sacerdotis non esse verum judicium, nec vere ministrum Christi peccata remittere: perfecta namque contritio, plena peccati remissio est, quia caritas perfecta conciliari cum reatu peccati non potest: itaque in hac opinione nihil sacerdos ageret, nisi quod declararet remissa esse peccata. Jam sic subsumo:

Atqui hoc consequens verbis Christi manifesto videtur esse contrarium: non enim dixit: *quorum declaraveritis remissa esse peccata*; sed: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: *quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*: eaque Christo causa fuit promittendi Petro, & in ejus persona cæteris Apostolis, se eis daturum claves regni cælorum: quorsum vero? nisi ut ostenderet, peccatoribus cœlorum januas occludendas, donec eas clavium usu, & data sibi potestate Apostoli, eorumque in perpetuum successores pœnitentibus aperirent? alioquin enim potius fuerant ipsis pœnitentibus committendæ quam ministris Ecclesiæ: quibus enim convenientius dari claves oportuerat, quam iis qui earum usum facturi essent? atqui in eà quam refutamus hypothesi, non Apostoli, non ministri, sed soli pœnitentes clavibus uterentur, quia ipsi sibi independenter a ministris, contritione media, aditum ad justitiam aperirent, & cœli januam reserarent: ergo &c.

Deinde. Verbis suis affirmat Christus, non ante in cœlis peccata solvenda, quam fuerint soluta in terris; atqui si ad pœnitentiæ Sacramentum perfecta contritio esset necessario afferenda, falsa hæc ejus promissio foret: prius enim essent peccatores soluti in cœlis, id est, sententia Dei supremi judicis a peccatorum nexibus liberati, quam hominum ministerio soluti in terris declararentur: immo eatenus vera in terris hæc declaratio foret, quatenus in cœlis peccati remissio præcessisset: ergo &c.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex veritate formæ Sacramentalis.

5. Huic proximum sumitur ex ipsa absolvendi forma, quam sacerdos Sacramenti minister pronunciat: non enim ait: *ego te absolutum declaro*; sed: *ego te absolvo*: quæ sane vox judicialis est, & jurisdictionis exercitium aperte significat: hinc a Concilio Trid. sess. 14, can. 9, sic definitum: *si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti; modo tantum credat se esse absolutum: anathema sit*: jam sic subsumo: atqui si gratia sanctificans & peccatorum remissio Sacramenti susceptioni prævia esse deberet, vere sacerdos non diceret: *ego te absolvo*: quomodo enim a peccato absolvitur, qui peccati vinculo non tenetur? ergo &c.

ARGUMENTUM QUARTUM.

Ex diversis Sanctorum Patrum sententiis.

4. Hæc non est tenenda sententia, quæ doctrinæ SS. Patrum aperte contraria est; atqui talis opinio est, quam modo refellimus: passim enim sacri doctores, Cyprianus, Hilarius, Aug. Fulgentius, aliique longe plures affirmant:

1. Claves æterni aditus traditas esse arbitrio Petri cœli janitoris.

2. Hanc inesse sacerdotibus potestatem, ut beneficio absolutionis peccata vere remittant.

3. Sententiam sacerdotum divina esse priorem.

4. Non nisi ad preces sacerdotum, peccatoribus indulgentiam a Deo concedi.

5. Solemni absolutionis ritu pœnitentes a morte ad vitam excitari.

6. Catechumenos & pœnitentes peccatorum vin-

vinculis semper esse obstrictos, donec ad sanctum lavacrum, & ad Sacramentum pœnitentiæ venerint; magnamque fore absurditatem, si baptismus non renasciturum, sed renatum, & pœnitentia non reconciliandum, sed reconciliatum susciperet.

Jam sic subsumo; atqui vere hæc non dicerentur a patribus, si perfecta & cum gratia sanctificante conjuncta contritio esset ad Sacramentum præmittenda: ergo &c.

ARGUMENTUM QUINTUM.

Ex auctoritate Concilii Tridentini.

5. Hoc ipsum Trid. Concilii auctoritate adstruitur: *docet præterea S. Synodus*, inquit, (*sess.* 14, *c.* 4) *etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

Cui consentiens catechismus ex ejusdem Concilii decreto editus: (2 *p. tit. de pœnit. c.* 37) *ut hoc concedamus*, inquit, *contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit? at quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset: quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori ratione, communi hominum saluti consuleret: quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves regni cælestis Ecclesiæ tradidit.*

Hinc sic informatur argumentum: ex sententia concilii & catechismi Trid. aliquando tantum contingit, Deo hominem reconciliari, antequam pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiat; atqui si perfecta contritio cum peccatorum remissione & gratia sanctificante conjuncta, ad Sacramentum necessario præmitti deberet; non aliquando, non raro, sed semper contingeret, pœnitentes Deo reconciliari antequam hoc Sacramentum actu & revera susciperent: ergo &c.

ARGUMENTUM SEXTUM.

Ex auctoritate Sancti Thomæ.

Nec prætereundus præceptor Angelicus, cujus judicium multorum contra sentientium auctoritate longe præponderat ac præcellit: porro ille sententiam nostram multis locis præclarissime adstruit.

Sic 3 Part. qu. 80, art. 4, ad 2, baptismum & pœnitentiam asserit esse, *medicinas purgativas, quæ dantur ad tollendam febrem peccati*: eo itaque judice duo hæc Sacramenta ante se contritionem perfectam non prærequirunt; alioquin enim febrem peccati non tollerent, quæ cum perfecta contritione esse non potest.

Nec minus perspicue in supplemento: (*suppl. q.* 18, *art.* 1, *in c.*) *præparatio ad baptismum in adultis*, inquit, *quandoque præcedit tempore, sufficiens ad gratiæ susceptionem, antequam baptismus actu suscipiatur; sed non ante votum baptismi, post tempus propalatæ veritatis: quandoque autem talis præparatio tempore non præcedit, sed est simul cum baptismi susceptione, & tunc per baptismi susceptionem gratia remissionis culpæ confertur, per pœnitentiæ Sacramentum numquam datur gratia, nisi præparatio adsit, vel prius fuerit: unde virtus clavium operatur ad culpæ remissionem, vel in voto existens, vel in actu se exercens, sicut & aqua baptismi . . . unde si ante absolutionem aliquis non fuisset perfecte dispositus ad gratiam suscipiendam, in ipsa confessione & absolutione Sacramentali gratiam consequeretur, si obicem non poneret.*

Eodemque sensu, opusculo 22, c. 2, *contingit autem quandoque in baptismo*, inquit, *quod antequam aliquis actu Sacramentum baptismi percipiat, dum habet Sacramentum in voto vel in proposito, consequitur justificationem a solo Deo, & tamen si ante consecutus non fuerit, ex vi Sacramenti, nisi obicem ponat, justificationem consequitur Sacramentum suscipiendo; ita omnino est de pœnitentia . . . . unde quandoque aliqui consequuntur justificationem in absolutione, quam ante non fuerant assecuti.*

Similia reperies commentario in c. 11 Joannis lect. 6, quodlibeto 4, art. 10, in corp. & alibi sæpe: inde sic instruo argumentum:

1. Quod aliquando tantum contingit, non est necessarium absolute fieri: atqui ex doctore Angelico aliquando tantum contingit, ut baptismum & pœnitentiam præcedat tempore, præparatio ad gratiæ susceptionem & justificationem sufficiens: quandoque vero talis præparatio tempore non præcedit, sed est simul cum baptismi & pœnitentiæ susceptione: ergo ex S. Thoma contritio perfecta ad utrumque Sacramentum non est necessario præmittenda.

2. Juxta S. Thomam, virtus clavium, sicut & aqua baptismi, operatur ad culpæ remissionem, vel in voto existens, vel in actu se exer-

exercens; atqui si perfecta contritio absolute deberet Sacramentum præcedere, non tantum modo virtus clavium, in voto scilicet existens, ad culpæ remissionem operaretur, nec unquam ad hunc obtinendum effectum, exercitium ejus requireretur: ergo &c.

3. Ex ejusdem sententia, si aliquis ante absolutionem non fuerit ad gratiæ susceptionem perfecte dispositus, in ipsa confessione & absolutione Sacramentali, nisi obicem posuerit, gratiam consequeretur: hoc autem quomodo vere dici in adversariorum sententia posset, qui nihil in actuali Sacramenti susceptione ad justificandum virtutis agnoscunt? ergo &c.

§. SECUNDUS.

Refutantur objectiones.

Nitebantur, contra quos agimus, Theologi, quibusdam testimoniis sanctorum patrum specie sibi faventium.

Sic S. Aug. (*suppl. qu.* 18, *art.* 1, *in c.*) *quare jam confiteris*, inquit, *in accusatione peccati tui? in accusatione tui ipsius quare confiteris, nisi quia ex mortuo vivus factus es? scriptura quippe ait*: (Eccli. 17, 26) a mortuo quasi non sit, perit confessio . . . . *qui enim confitetur, foras prodit: foras prodire non potest, nisi viveret; vivere non posset, nisi resuscitatus esset.*

Cui concinens S. Gregorius M. (*hom.* 26 *in Evang.*) *causæ pensandæ sunt*, ait, *& tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda: videndum quæ culpa præcessesit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam; ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat: tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur judicis: quod bene prædicta quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocavit, & vivificavit dicens*: Lazare veni foras: *& postmodum is qui vivens egressus fuerat, a discipulis solutus est . . . ex qua consideratione intuendum est, quod illos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos Authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.*

Hinc sic eruitur argumentum:

Illi existimant, homini ad Sacramentum pœnitentiæ accedenti necessariam esse perfectam contritionem, qui docent, vivum esse debere qui peccata confitetur, nec quemquam pastorali auctoritate esse solvendum, nisi quem sacerdos cognoverit vivificatum; atqui hæc est Sanctorum Gregorii & Aug. doctrina: ergo &c.

R. Admitto auctoritates; ad argumentum distinguo maj. illi existimant &c. qui docent peccatorem confitentem vivum esse debere, *vita & resurrectione plena*, conc. *vita & resurrectione inchoata*, n. maj. eademque distinctione ad min. data, n. conseq.

E. R. Resurrectio spiritualis duplex est distinguenda, inchoata una, plena altera, & consummata, prima, gratiæ actualis, animam interius moventis & excitantis; secunda, gratiæ justificantis effectus est; prior, absolutionem Sacramentalem præcedere debet, sicut resurrectio Lazari, solutionem ejusdem factam a Christi discipulis anteivit: posterior, ab ipsa absolutionis virtute & efficacia sequitur: prior, voluntatem ab effectu peccati aversam, ad Deum summum bonum, summeque amandum convertit: posterior, a peccati affectu jam liberam, ab ejusdem reatu absolvit: verbo dixerim, prior contritionis imperfectæ vires non superat: posterior, soli contritioni perfectæ, aut imperfectæ cum Sacramento conjunctæ tribuitur.

Hoc posito dicimus patres in objectione laudatos loqui de vita & resurrectione inchoata, quam imperfecta contritio operatur, non de plena atque perfecta: id quod innuunt verba ipsa S. Gregorii: *ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat*: quomodo enim pastoris sententia solveret, quem jam perfecte solutum inveniret?

Multoque expressius S. Aug. serm. 44 de verbis Dom. ita loquens: *videte genus resuscitationis: processit Lazarus de monumento vivus, & ambulare non poterat, & Dominus ad discipulos: solvite eum, inquit, & sinite abire: ille suscitavit mortuum: illi solverunt ligatum, ad quid pertineat videte . . . nonne post objurgationes, post increpationes dimittuntur homines cogitationibus suis, & incipiunt secum volvere, quam malam vitam gerant, quam pessima consuetudine premantur? deinde displicent sibi, mutare vitam instituunt: resurrexerunt tam isti, revixerunt quibus displicet quod fuerunt: sed reviviscentes ambulare non possunt: hæc sunt vincula ipsius reatus: opus est ergo, ut qui revixit, solvatur, & ire permittatur: hoc officium discipulis dedit, quibus ait: quæcumque solveritis in terra, erunt soluta & in cœlo.*

Quin & hoc ipsum aperte satis innuit S. Doctor in eo quod opponitur testimonio, ex serm. 67 de verbis Dom. *qui confitetur*, inquit, *foras prodit; foras prodire non posset, nisi viveret: vivere non posset, nisi resuscitatus esset . . . . dixit ergo aliquis, quid prodest Ecclesia, si jam confessor voce Dominica resuscitatus prodit? quid prodest Ecclesia* con-

confiten ti, cui Dominus ait: quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo? *ipsum Lazarum attende: cum vinculis prodit: jam vivebat confitendo: sed nondum ambulat, vinculis irretitus; quid ergo facit Ecclesia, cui dictum est:* quæ solveritis, soluta erunt? *nisi quod ait Dominus continue ad discipulos:* solvite illum, & sinite abire.

Itaque ex S. Aug. accedenti ad pœnitentiæ Sacramentum, est quidem necessaria vita & resurrectio inchoata, non tamen vita perfecta: nondum enim vivit vita perfecta, qui reatus vinculis adhuc tenetur & irretitur; atqui peccator antequam Christi & Ecclesiæ auctoritate, Sacramentali absolutione donatus sit, adhuc reatu, vinculisque peccati est irretitus, & quamvis revixerit, ambulare nondum potest: nondum ergo vivit vita perfecta.

Inst. 1. Per vincula ipsius reatus, non peccatum aut macula peccati, sed pœna debita peccato ex S. Aug. debet intelligi: futilis igitur, & commentitia est illa duplicis vitæ distinctio; qui enim unam habet, & alteram habet: adeoque falso diximus, ad mentem S. Doctoris, eum qui ad pœnitentiæ Sacramentum accedit, vivum quidem vita inchoata esse debere, non autem vita perfecta.

℟. Nego absolute ant. cujus falsitatem ut demonstrem Aug. ipso doctore utor: sic porro loquitur ille (*tract. 4 in Joan.*) *de catechumeno abstinente ab omni concubitu, valefaciente sæculo, renunciante omnibus quæ possidebat, & distribuente pauperibus: timendum est huic,* inquit, *ne dicat apud semetipsum de baptismate sancto, quo peccata dimittuntur: quid plus accepturus sum? ecce ego melior sum illo fideli . . . & meliorem se esse arbitrans, quam ille qui jam baptizatus est, dedignetur venire ad baptismum . . . . & tamen omnia peccata super illum sunt, & nisi venerit ad salutarem baptismum, ubi peccata solvuntur, cum omni excellentia sua non potest intrare in regnum cœlorum.*

Eademque in eodem opere repetens: (*tract. 13 in Joan.*) *quantumcumque,* ait, *catechumenus proficiat; adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum: quomodo non caruit populus Israel populo Ægyptiorum, nisi cum venisset ad mare rubrum: sic pressuris peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem baptismi pervenerit.*

Inde sic argumentum instauro: cum pœnitentiæ non secus ac baptismatis Sacramentum, sit divinitus institutum contra peccata remedium, idem de utroque judicium esse debet, nec major uni quam alteri virtus, ad mentem S. Doctoris, est adscribenda; atqui ex sententia S. Aug. quantumcumque profecerit catechumenus, & quantalibet spiritualis vitæ signa proficiendo ediderit (sola excepta caritate perfecta, quæ baptismi voto conjuncta, peccatum omne sine cunctatione abstergit) nisi venerit ad salutarem baptismum, ubi peccata solvuntur, omnia peccata super illum sunt, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, pressuris peccatorum non caret: idem ergo, eo judice, de pœnitentia est dicendum; adeoque per vincula ipsius reatus, non pœnam peccati, sed maculam ejus ac deformitatem intelligit.

Deinde. Catechumenus de quo loquitur, cum jam in virtutis exercitatione profecerit, vivere haud dubie spiritualiter cœpit: *quantumcumque,* inquit, *catechumenus proficiat,* &c. atqui ille licet vivere cœperit, adhuc tamen sarcinam iniquitatis suæ portat, nondum est a peccatis solutus, pressuris peccatorum nondum caret: ergo cum obligatione peccati, & sarcina iniquitatis, potest initium spiritualis vitæ consistere: adeoque quod ait, peccatorem confitentem vivum esse debere, non est de vita & resurrectione consummata intelligendum.

Inst. 2. Atqui ex SS. Doctoribus qui accedit ad pœnitentiæ Sacramentum, vivere debet vita perfecta. Ergo &c.

Prob. subs. ad mentem SS. Gregorii & Aug. quisquis accusando seipsum, peccata sua confitetur, vivere ea vita debet quam caritas divina influit: alioquin enim foras prodire non posset: atqui quisquis divina caritate (quivis tandem ejus gradus sit, remissior aut intensior) animatur, jam vita perfecta vivit. Ergo &c.

Prob. min. tum perfecta vita & consummata putanda est, cum id quod erat principium & causa mortis absolute exclusum est: principium vero mortis spiritualis, seu potius mors ipsa spiritualis, peccatum mortale est; atque quolibet motu caritatis, intenso sive remisso, nil interest, peccatum mortale excluditur: ergo quisquis divina caritate est animatus, jam vita perfecta vivit.

℟. Nego subs. ad probat. concessa maj. n. min. habet enim diversos gradus divina caritas, non secus ac cæteræ virtutes: habet primordia, habet incrementa, habet profectum, habet denique perfectionem: nec quia perfecta caritas vitæ spiritualis perfectio est, consequens inde est, eum vitam consummatam habere, qui incipit diligere Deum tamquam omnis justitiæ fontem: nec sequitur ab omni esse peccato solutum, qui amare incipit summum bonum, quia perfecta caritas foras omne peccatum detrudit: plus enim consummata caritas potest, quam inchoata.

Ad

Ad ultimum argumentum; concessa pariter maj. dist. min. quolibet motu caritatis peccatum mortale excluditur, *quoad actum & affectum*, conc. *quoad habitum, reatum, & maculam ex peccato præcedente residuam*, n. min. & cons. responsionem hanc indicasse in præsenti sufficiat: recurret enim c. 4, ibidemque, suo quippe loco, commodius explicabitur, & certissimis principiis, contra assertores servilis attritionis, communietur: advertat interim studiosus lector, quam male hoc argumentum ex adductis SS. Gregorii & Aug. auctoritatibus eruatur: uterque enim, quamquam vivum debere esse contendat qui confitetur, adhuc tamen in peccato esse diserte docet: *qui vivens egressus fuerat Lazarus*, inquit ille, (*hom. 26 in Evang.*) *postmodum a discipulis solutus est: ex qua consideratione, intuendum est, quod illos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus, per suscitantem gratiam vivificare, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat* . . . iste vero de catechumeno quantumlibet in virtutum cultura exercitato: *omnia*, inquit, (*tract. 4, & 13 in Joan.*) *peccata super illum sunt, & nisi venerit ad salutarem baptismum, ubi peccata solvuntur, cum omni excellentia sua non potest intrare in regnum cœlorum . . . quantumcumque proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: & non dimittitur illi, nisi cum venerit ad baptismum . . . pressuris peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem baptismi pervenerit*: igitur iis ipsis judicibus qui opponuntur, falsum est, quolibet etiam remisso motu caritatis, peccatum mortale, quantum ad reatum, maculam, & habitum extirpari.

Inst. 3. Sententia asserens, ad Sacramentum pœnitentiæ perfectam contritionem esse afferendam, tanta auctoritate fulcitur, quanta vix major esse queat ad theologici dogmatis propugnationem: hanc enim præcipui ac pene omnes scholarum proceres, Hugo a S. Vict. Magister sentent. Guillelmus Altissiod. Alex. Alensis, aliique quos prædiximus, hanc viri sanctitatis fama celeberrimi, B. Albertus M. S. Raymundus, S. Bonav. S. Bernardinus velut certissimam propugnarunt: toto illo temporum tractu, qui ab instituta scholastica theologia ad Concilium Trid. excurrit, qui contradixerint paucissimos reperias: ego facile rejicienda non est.

℞. Nego ant. quæ enim vendicatur auctoritas (bona illorum pace dixerimus) tota humana est, nec de scripturæ aut traditionis penu excerpta, imo nec ab ipsus rationis fonte petita: affirmant illi equidem, *sola cordis contritione dimitti peccatum: a solo Deo dimitti peccata & debitum æternæ pœnæ: neminem a sacerdote absolvendum, nisi verisimiliter credatur ante absolutus a Deo: Sacerdotem vi clavium nihil aliud nisi partem pœnæ temporalis remittere, tantumque declarare remissa esse peccata*: sed ad hanc approbandam assertionem nihil certi, nihil plausibilis afferunt: tantumque metaphoricis scripturæ locutionibus, quarum significationem plus quam par esset extendunt, & legalium sacerdotum exemplo nituntur, e contrario sententia quam defendimus, in ipsis Christi verbis fundatur: *quorum remiseritis peccata* &c. in virtute clavium: in natura ac veritate formæ Sacramentalis: in ipsa generali omnium Sacramentorum conditione: in consensu sanctorum patrum: & denique in Angelici præceptoris auctoritate: quantolibet itaque numero sint opinionis contrariæ adsertores, sine injuria deseruntur.

Inst. 4. Ipse S. Thomas nobis contrarius est, frustra igitur ejus præsidio gloriamur.

Prob. ant. opusculo 22, c. 2, in resp. ad 7 argumentum: *Sacerdos*, inquit, *eum non debet absolvere, in quo signa contritionis non videt, per quam homo justificatur interius a Deo, culpa remissa*: itaque ex S. Doctore, prius est hominem per contritionem justificari a Deo, quam a sacerdote Dei ministro absolvi: adeoque censet perfectam contritionem Sacramento pœnitentiæ esse præmittendam.

℞. Nego ant. ad probat. explico mentem Angelici præceptoris: sic loquitur S. Thomas *ad sensum adversarii* ei aliquid, ut sæpe fit, permittendo, conc. sic loquitur, *ex propria sententia*, n. ant. & conseq.

Ut perspicua responsio sit, liceat textum ipsum describere, unde petita objectio est: hoc opusculum scripsit S. Thomas contra Theologum quemdam, cujus opinio erat, non esse in Sacramento pœnitentiæ forma absoluta utendum: *Ego te absolvo*; sed forma deprecativa his aut similibus verbis expressa: *absolutionem & remissionem tribuat tibi omnipotens Deus*: præter cætera vero argumenta, quibus singularem hanc opinionem adstruere nitebatur, istud ordine septimum erat.

7. *Objicit*, inquit, *quod in suscitatione Lazari, secundum Aug. & Gregorium, significata est suscitationis propitiatio; quia Lazarus est prius a Domino vivificatus, quam traderetur discipulis absolvendus, ex quo arguit, quod nihil valet absolutio sacerdotis, antequam homo sit a Deo vivificatus per gratiam, & suscitatus a morte culpæ: ergo sacerdos non potest super culpam.*

Objectionem sic diluit S. Doctor: *quæ quidem ratio*, ait, *multiplices defectus habet*, 1

 quidem

quidem quia arguitur ex metaphoricis locutionibus, ex quibus non est arguendum, ut Dionysius & Augustinus dicunt. 2 quia ratio sua non est ad propositum: constat enim quod Dominus Lazarum suscitavit, & discipulis solvendum mandavit: ergo discipuli absolvunt: per hoc ergo non ostenditur, quod sacerdos non absolvat, aut non debeat dicere: ego te absolvo: sed quod eum non debet absolvere, in quo signa contritionis non videt, per quam homo justificatur interius a Deo culpa remissa... contingit autem quandoque in baptismo, quod aliquis antequam Sacramentum baptismi actu percipiat, dum habet Sacramentum in voto vel proposito, consequitur justificationem a solo Deo: & tamen si ante consecutus non fuerit, ex vi Sacramenti, nisi obicem ponat, justificationem consequi, Sacramentum suscipiendo, ita omnino est de pœnitentia ... unde quandoque aliqui consequuntur justificationem in ipsa absolutione, quam ante non fuerant assecuti.

Ita S. Doctor, quem nisi velimus in eodem textu sibimet esse contrarium, (quod iniquum prorsus de tanto Magistro judicium foret) omnino fatendum est, pro nobis pugnare; nam si putaret perfectam contritionem Sacramento necessario præmittendam, numquam ex ejus mente contingeret justificationem aliter obtineri; atqui longe diversa sanctissimi præceptoris sententia est: ibidem enim affirmat, aliquando contingere, *ut aliqui consequantur justificationem in ipsa absolutione*; *quam ante non fuerant assecuti*: pariterque asserit de baptismo, *quod si aliquis ante ejus susceptionem, a solo Deo justificationem consecutus non fuerit, eam, nisi obicem ponat, consequatur Sacramentum suscipiendo*. Perperam ergo hoc nobis opponitur testimonium.

Quid ergo, inquies, sibi vult, quando affirmat, *sacerdotem non debere eum absolvere, in quo signa contritionis non videt, per quam homo justificatur interius a Deo, culpa remissa?*

℟. Non assertive, sed permissive, neque ex propria, sed ex adversarii mente sic loqui: *ratio*, inquit, *non est ad propositum: constat enim quod Dominus Lazarum suscitavit, & discipulis solvendum mandavit, ergo discipuli absolvunt: per hoc ergo non ostenditur, quod sacerdos non absolvat, aut non debeat dicere: ego te absolvo: sed quod eum non debet absolvere, in quo signa contritionis non videt, per quam homo justificatur interius a Deo, culpa remissa*: quasi nimirum diceret: si quid hoc argumentum probaret, hoc unum certe obtineri eo posset, absolvi eum non debere qui signa contritionis justificantis nulla exterius proderet: qua de re modo non agitur: sed non probaret, quod sacerdos non absolvat, aut non debeat dicere: *ego te absolvo*: cum ex ipso Lazari exemplo sit certum, vere discipulos Christi absolvere: in eo itaque loco totus noster est Angelicus Doctor.

Inst. 5. Atqui S. Thomas ex propria mente loquens, contendit peccati remissionem, non in confessione, sacerdotis ministerio, sed sola contritione obtineri, adeoque ante Sacramentum perfectam eam esse debere: Ergo &c.

Prob. subs. ex verbis S. Doctoris, in supplem. *confessio*, inquit, (*suppl. q. 7, art. 1, ad 2*) *præsupponit caritatem, qua quis vivus efficitur ... contritio est, in qua datur caritas ...* (*ibid. q. 9, art. , ad 2*) *de ratione contritionis & satisfactionis est, quod homo sit Deo per caritatem unitus .....* (*ibid. q. 10, art. 5, in c.*) *dicendum, quod confessio operatur præsupposita contritione quæ culpam delet, & sic confessio directe ordinatur ad dimissionem pœnæ*. Idemque repetens in opusculo de oratione Dominica c. 8, affirmat *culpam in contritione remitti, & in confessione pœnam*.

Hinc sic enascitur argumentum: qui censet confessionem ante se præsupponere contritionem & caritatem qua quis vivus efficitur, adeoque ad solius pœnæ dimissionem ordinari, contendit ex consequenti peccati remissionem, non in confessione, ministerio sacerdotis, sed sola contritione obtineri; atqui hæc S. Thomæ locis citatis doctrina est: Ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. recipio testimonia, & data maj. dist. min. Thomæ doctrina est, confessionem ante se præsuponere contritionem, & caritatem, adeoque ad solius pœnæ dimissionem directe ordinari, *aliquando, in iis nimirum quos perfecte contritos absolutio non facit, sed reperit*, conc. *necessario quasi aliter ad Sacramentum veniri non possit*, n. min. & conseq.

E. R. Non hic quærimus quid aliquando contingat, sed quid fieri absolute necessarium sit, ut ratum validumque sit pœnitentiæ Sacramentum: equidem non diffitemur ad Sacramentum absolutionis aliquos cum tanto fervore caritatis, tantaque vehementia contritionis accedere, ut prius a Deo absoluti justificatique sint, quam audiant sententiam sacerdotis: *ego te absolvo*. unde iterum concedimus respectu talium confessionem directe ordinari ad dimissionem pœnæ. Sed negamus hoc necessarium esse, ita ut aliter nequeat consistere pœnitentiæ Sacramentum: nec aliter sentit S. Thomas locis citatis. Nam

1. In opusculo de oratione dominica, non dicit contritionem perfectam esse necessario præmittendam, sed si præmitatur, se sola ad justi-

stificationem, prout conjunctum habet confitendi propositum sufficere: „ multum utile est, „ *inquit*, quod semper speremus; quia quantum„ cumque homo sit peccator, debet sperare quod „ Deus, si perfecte conteratur & convertatur, „ dimittet ei . . . non est igitur desperandum, „ ex quo ad remissionem culpæ sufficit contri„ tio cum proposito confitendi ".

2. Quod spectat ad testimonia e supplemento petita, si quid difficultatis habent, debent, ex aliis ejusdem libri clarioribus explicari. Porro S. Doctor in hoc ipso suppl. diserte docet, contritionem perfectam non debere necessario ad Sacramentum afferri: *per pœnitentiæ Sacramentum*, (inquit loco supra cit. §. 1, arg. 6) *numquam datur gratia, nisi præparatio adsit, vel prius fuerit: unde virtus clavium operatur ad culpæ remissionem, vel in toto existens, vel in actu se exercens, sicut & aqua baptismi . . . . unde si ante absolutionem aliquis non fuisset perfecte dispositus ad gratiam suscipiendam, ipsa confessione & absolutione Sacramentali gratiam consequeretur, si obicem non poneret:* quæ igitur alibi in hoc ipso supplemento videntur esse contraria, debent de contritione perfecta intelligi, per quam aliquando contingit peccatores, antequam Sacramentum actu susipiciant, reconciliari: ita respondet doctissimus Sylvius: (*ad art. 1, q. 7, suppl.*) „ quod „ in responsione ad 2 dixit, *inquit ille*, con„ fessionem præsupponere caritatem, non de „ omni confessione accipiendum est, sed de illa, „ quam præcedit contritio tam perfecta, ut „ conjunctam habeat gratiam justificantem: „ alioquin confessionem non præsupponere cari„ tatem sed potius ordinari ad eam accipien„ dam satis significat quæst. 6, art. 1, (*suppl.*) „ ubi docet Sacramentum pœnitentiæ, ipsam„ que confessionem ordinari & contra culpam, „ & ad infusionem gratiæ seu caritatis conse„ quendam ".

Jam si quis in his testimoniis insistat morosius, absoluteque velit præceptorem Angelicum in commentario super libros sententiarum, unde supplementum desumptum est, stetisse pro necessitate perfectæ contritionis, hoc sibi responsum habeat, tanta non esse hujus commentarii, quod junior scripsit, auctoritatem, quanta aliorum operum quæ maturiore ætate elucubravit, præsertim vero summæ Thologicæ, quod accuratissimum ejus & postremum est opus: *plurima namque eorum*, inquit Dominicus Soto (*in 4, dist. 1, q. 3, art. 1*) *quæ super Magistrum sententiarum, quasi aliena congerens commentatus est, post maturius digesta collimavit in summa:* certum porro est in summa Theologica sententiam nostram modis omnibus Doctorem Angelicum propugnasse: adeoque quod obscurius alibi, aut contrarium dixerat, vel explicuisse vel retractasse.

Hæcque ejusdem Sylvii ibidem responsio est: *quod in initio corporis*, inquit, *dicit S. Thomas* (*suppl. q. 10, art. 5, in c.*) confessio directe ordinatur ad remissionem pœnæ: „ tacite „ retractatum videtur 3 part. qu. 84, partim „ a. 2, cum dicit, remotam materiam Sacra„ menti pœnitentiæ esse peccata, non acce„ ptanda, sed detestanda; quod de peccatis, „ secundum quod sunt peccata, sive secundum „ culpam accipi debet: (unde in responsione „ ad 3 dicit, hoc Sacramentum principalius in„ stitutum ad deletionem peccati mortalis, quod „ de peccati macula, cui soli convenit deleri, „ similiter est accipiendum:) partim articulo „ tertio cum dicit, hoc Sacramentum consiste„ re in remotione ejusdem materiæ, scilicet „ peccati; & verba formæ non solum significa„ re absolutionem a peccatis, (scilicet tam „ quoad culpam, quam quoad pœnam, ut opu„ sculo da forma absolutionis cap. 2 tradit:) „ sed etiam efficere illam: confer etiam hujus „ supplementi quæstionem 6, art. 1. Unde lectio„ ne 4 in c. 20 Joann. reprehendit sententiam „ eorum, qui dicebant sacerdotem tantum abso„ vere a reatu pœnæ, dicitque ipsum Sacramen„ tum taliter absolvere a culpa & pœna ".

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum sententia exigentium contritionem perfectam damnata ab Ecclesia fuerit?

Contritionem perfectam, ferventi & intensa caritate animatam, quæque proinde absolutionem a peccatis ac justificationem necessario inferat, non debere absolute ad Sacramentum afferri dogmatibus Theologiæ certissimis accensemus: quando itaque quærimus, utrum dogma contrarium damnatum expresso decreto ab Ecclesia fuerit; non hoc agimus, ut doctrinæ, quam falsam omnimode credimus, aliquatenus faveamus: (quod quid aliud esset, quam loqui pugnantia, utque in vulgari proverbio est, uno haustu calidum frigidumque sorbere?) sed ut quorumdam, de quibus capite quarto dicturi sumus, præsumptionem anticipato redarguamus, qui attritionis servilis in Sacramento sufficientiam, tanta confidentia & obstinatione propugnant, ut adversariorum sententiam pro necessitate amoris saltem initialis pugnantium, traducere velut hæresim ab Ecclesia confixam non dubitent: si enim semel constiterit, scholasticorum pene omnium doctrinam, qui ante Concilium Trid. pro necessitate amoris perfecti steterunt, intactam hactenus remansisse, nulloque Ecclesiæ solemni decreto expresse fuisse pro-

proscriptam; quanto certius erit existimandum, longe mitiorem eorum opinionem, qui præter contritionem imperfectam & amorem initialem nihil amplius exigunt, nullo Ecclesiæ fulmine conquassatam?

§. PRIMUS.

Ostenditur, opinionem eorum, qui perfectam contritionem a pœnitentibus exigebant, nullo Ecclesia solemni decreto proscriptam.

Illud porro est quod in præsenti suscipimus argumentis ex historia certissimis demonstrandum.

PROBATIO PRIMA.

Ex temporibus quæ celebrationem Tridentini Concilii præcesserunt.

Ac 1 quidem certum ex antedictis relinquitur, toto illo tractu temporum, quæ ab institutione Scotisticæ Theologiæ ad Concilii Trid. convocationem fluxere, magistros primi subsellii pene omnes pro perfectæ contritionis necessitate stetisse; inter mille vix unum qui contradixerit, S. Thomam reperias: quin & ille ipse fuit in hac controversia varius; nam in commentariis quæ super libros sententiarum junior scripsit, pleraque dictavit, quæ vix aliter quam de necessitate perfectæ contritionis intelligi explicarique possunt: aperte contrarium, nisi in Summa Theologica tenuit, quam elucubravit maturior factus: cæterorum, æqualis & constans sententia fuit, absolutionem a peccatis, & a reatu damnationis æternæ, a solo Deo, contritionis subsidio, fieri: Sacerdotes nihil quidquam nisi supremi sententiam judicis suo ministerio patefacere, & a pœnis temporalibus liberare, nec ulterius clavium potestatem extendi: effatum hoc in suis ubique libris inculcarunt, & axiomatis loco habuerunt.

Sic *Innocentius III* Pontifex Max. in hæc verba ps. 2 pœnitentialis: Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei: „ remisisti, „ *inquit*, ut patenter ostendat, quod peccatum „ prius remittitur a Deo, quam pronuncietur „ per confessionem oris ab homine."

Guillelmus Altissiod. ejusdem temporis scriptor, hæc Christi verba expendens. Quodcumque solveris super terram: *sensus est*, inquit, (*lib. 4 summæ*) *quodcumque solveris, id est cujuscumque solutionem consummaveris super terram, erit solutum, & in cœlo; consummatio autem dicitur respectu inchoationis: Deus autem inchoat solutionem, dimittendo culpam æternam; sacerdos vero consummat, dimittendo aliquid de pœna ex vi clavium.*

S. Bonaventura: (*in 4, dist. 18, art. 2*) *absolutio*, ait, *præsupponit gratiam: numquam enim Sacerdos absolveret quemquam, de quo non præsumeret quod esset absolutus a Deo.*

S. Raymundus (*lib. 3, de pœnit. & remiss. §. 61*) in summa: *quæritur quid remittit sacerdos in pœnitentia .... dicendum est fere secundum omnes, quod pure, vere ac proprie solus Deus dimittit peccata, & debitum æternæ pœnæ ....* & paulo sup. (*ib. §. 11*) *quod opinio ista sit vera, patet per exemplum Lazari, quem prius suscitavit Dominus, quam a discipulis solveretur, & per decem leprosos, quia in via antequam venirent ad sacerdotes mundati sunt.*

Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis: (*in defensorio cap. 5*) *pœna æterna est, circa quam solus Deus operatur directe, remittendo obligationem ad illam: pœna temporalis est, a cujus obligatione in toto, vel in parte absolvit sacerdos per claves.*

Ægidius Carlerius Theologus Parisiensis & Ecclesiæ Cameracensis Decanus: *solus Deus*, inquit, (*in Resp. ad quæsita Abbatis Aquicintensis*) *remittit culpam, & solus commutat pœnam æternam in temporalem, quia solus infundit gratiam: sacerdos legalis dicebatur culpam remittere, quia ostendebat eam esse remissam: & sacerdos Evangelicus ostendit eam esse remissam: sed cum hoc partem pœnæ temporalis debitæ in purgatorio remittit vi clavium.*

Joannes Bromiardus, ex Dominicana familia; *si non est in caritate* (pœnitens) inquit, (*in summa prædicantium: verbo confessio*) *quomodo potest absolvi?*

Ambrosius Tarvisinus, sermone 19: *sacerdos absolvere non potest, nisi quem credit a Deo absolutum.*

Stephanus Bruliferus ex ordine FF. Minorum: (*in 4 sent. dist. 18, qu. 1*) *Sacerdos cum dat absolutionem, præsupponit quod est absolutus a Deo.*

Guillelmus Pepinus ordinis Prædic. a Concilio Trid. non longe distans, cum sæculo 16 ineunte floruerit: (*serm. 2, de myst. absolutionis, ser. 5 in cœna Dom.*) *Regula generalis Theologorum est*, inquit, *quod confessor neminem debet absolvere, quem non credit verisimiliter a Deo absolutum.*

Eadem denique aliorum quos supra memoravimus, & plerorumque aliorum concors sententia fuit.

Jam sic prosequor argumentum:

Atqui toto illo temporum decursu, id est trecentorum & quinquaginta plus minus annorum

rum spatio, inoffenso pede est propugnata, nulla de hac re contentio fuit, nulla querela ad tribunal Ecclesiæ nusquam delata: de illa in Conciliis Later. IV, Lugdun. II, Viennensi, Constant. Basil. Florent. nec minima mota quæstio est: fatendum ergo, ante tempus Concilii Trid. liberam ab omni hæresis suspicione fuisse.

PROBATIO SECUNDA.

Ex tempore, ipsaque celebratione Concilii Tridentini.

Attigimus ad illam ætatem, qua male audivisse, reveraque confixam velut hæreticam de qua agitur, opinionem plerique volunt: verum neque hoc verosimiliter dici ultro fatebitur, qui argumenta sequentia qua par est attentione pensitaverit.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex eo quod Concilium Trid. non ad Theologorum discutiendas opiniones, sed ad Lutheri, aliorumque hæreses exterminandas coactum esset.

1. Enim non ideo coactum concilium fuerat, ut Theologorum Catholicorum controversiæ sopirentur: sed ut Lutheri, aliorumque hujus ætatis hæreticorum nefaria dogmata exterminarentur: *patrum consilium fuit*, ait Emin. Card. Pallavicinus (*hist. Concil. Trid. l.* 4, *c.* 10), *in recensitis definitionibus se prorsus abstinere a supervacaneis articulis, ab illis nimirum qui catholicas inter scholas in dubitatione versantur.*

Hinc eodem Illustrissimo historico referente (*ibid. cap.* 1, & 2) antequam sess. 5 de peccato originali statueretur, *admonuerunt legati, ne quid certi decernerent* (Patres) *de natura ipsa originalis culpæ, de qua scholastici discordant .... synodum quippe collectam fuisse, non ad decidendas opiniones, sed ad errores recidendos: & plurimum adhuc operæ superesse in prohibendis hæresibus, scholasticis quæstionibus dimissis.*

Eamdemque ob causam, cum de Eucharistia canon aliquis his verbis præformatus fuisset: *Si quis dixerit, sub qualibet specie, & sub qualibet ejus parte, non contineri totum Christum: anathema sit*: opponente Tudetano Episcopo, contrarias scholasticorum de hac re esse opiniones, aliis volentibus etiam ante factam specierum separationem, aliis repugnantibus, Christum sub qualibet contineri; itemque monente Cornelio Mussio Episcopo Bituntino, *solas hæreses esse damnandas, non scholasticorum sententias definiendas*: canon uti nunc extat, (*sess.* 13, *can.* 3) his verbis conceptus est: *si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ, sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri: anathema sit*: nempe hac adhibita cautione, quod utriusque Scotistarum ac Thomistarum scholæ judicio certum erat, retentum est; illud vero, de quo inter catholicos controvertebatur, num ante divisionem, an e contrario specierum solummodo facta separatione, Christus in unaqualibet specierum parte totus ac integer esset? uti antehac relictum in dubio, & scholarum disputationi permissum: uti fidem idem Pallavicinus facit (*lib.* 12, *cap.* 2).

Præterea, inquit idem Eminent. Scriptor, (*hist. Concil. Trid. lib.* 12, *c.* 10) *canon paratus fuerat, ubi damnabatur quisquis negaret, contritione, qua pœnitens divina gratia per Christum cooperante dolet de peccatis propter Deum, cum proposito confitendi, remitti peccata. Sed Balthasar Eredia Calaritanus Archiepiscopus admonuit, cum ea esset Cajetani & Adriani sententia, damnandum non esse.*

Ejusdem generis in actis concilii exempla plurima extant.

Hinc sic instauro argumentum; atqui inter scholarum opiniones, a quibus inurendis abstinere sacræ synodo fixum erat, nulla majori celebritate, majorique consensione scholarum circumferebatur ea, de qua agimus in præsenti, perfectam scilicet contritionem esse ad Sacramentum necessario adferendam: ergo qua ratione cæteris parcitum, & huic quoque, longeque meliori titulo fuit parcendum.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex facto quodam Æmiliani Tudetani in Hispania Episcopi.

Ne autem meras sectari conjecturas videamur, proferemus ex ejusdem concilii monumentis peremptorium argumentum, ex facto quodam Joannis Æmiliani Tudetani Episcopi, qua de re iterum audiendus Eminent. scriptor: (*lib.* 12, *cap.* 10) "quantum ex actis conjicio, „ *inquit*, Theologorum mens erat, ut error „ hæreticorum damnaretur, tamquam inhone„ stum improbantium pœnæ timorem; non i„ tem ut ferrent sententiam de scholastica „ quæstione, an hujusmodi timor, non solum „ absque contritione animi perfecta (de quo „ controversia vix fuit) sed etiam absque eo, „ quod ullus excitetur amor imperfectus, suf„ fi-

„ ficiat ad remissionem peccatorum in Sacramento . . . . in patrum conventu id pauci „ attigerunt: aliquod duntaxat vestigium comperio opinionis negantis necessitatem amoris, „ in iis quæ Granatensis disputavit.

„ At vero Joannes Æmilianus Hispaniensis „ Tudetanus antistes extremum oppositæ sententiæ tenuit: hoc est opus esse contritione „ perfecta; nec tamen hinc argui peccata per „ Sacramentum non remitti, quippe quæ Sacramentum jam invenit remissa, præeuntis „ contritionis efficacitate: si quidem, ajebat, „ ipsa contritio id præstat virtute Sacramenti, cujus votum in ea continetur“.

Præterea oportet scire, postea decretis doctrinam complexis (sess. 14) *verba hæc fuisse adjecta*: “ Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta „ sit; & solum vel ex turpitudinis peccati „ consideratione, vel ex gehennæ & pęnarum „ metu, qui servilis dicitur, concipiatur; si „ voluntatem peccandi excludat, & dolorem „ qualemcumque de commissis delictis exprimat; statuit hæc sancta Synodus & declarat, non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, (ut quidam „ blasphemare non verentur) verum etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem, „ ac donum Dei esse, ac Spiritus Sancti impulsum verissimum, non quidem adhuc inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus (cum sine aliquo dilectionis in „ Deum motu esse vix queat) viam sibi ad justitiam munit, & per eum ad Dei gratiam „ facilius impetrandam disponitur“. *Sed laudatus Episcopus monuit falso dici, hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse, quod autem hæc attritio satis esset Sacramento constituendo, ita ut homini attrito deleantur peccata absolutionis supervenientis vi, variare authorum sententias, adeoque esse id tollendum: quamobrem decretum sicut nunc extat* (*sess.* 14, *c.* 4) *reformatum est*.

Inde sic argumentor: si Concilium Trid. velut dogma fidei definivisset, contritionem perfectam non esse ad Sacramentum absolute necessariam, profecto male audivisset, quisquis in ipso concilio ausus esset tenere contrarium: atqui, ut testatur loco cit. Pallavicinus, Joannes Æmilianus pro perfectæ contritionis necessitate pugnavit, multorum dixit hanc esse sententiam, libere monuit falso dici contritionem imperfectam sine amore vix unquam concipi posse; sed etiamsi aliquem semper importaret dilectionis motum, an ad Sacramentum constituendum sufficeret, variare authorum sententias: adeoque hanc decreti partem esse tollendam: nedum vero violatæ fidei fuerit accusatus, aut in erroris suspicionem adductus; ejus petitioni est a patribus satisfactum: Ergo &c.

Est & alterum hujus rei in hoc ipso Pallavicini testimonio haud sane contemptibile argumentum: illud enim Trid. patres definiisse dici non possunt, de quo in S. synodo quæstio nulla, nulla discussio fuit, neminem namque latet quanta diligentia in privatis Theologorum congressibus expenderentur, quæ erant deinceps in publicis sessionibus decretorio judicio finienda; atqui, inquit Eminent. scriptor: „ Theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tamquam inhonestum improbantium pœnæ timorem; non item ut „ ferrent sententiam de scholastica quæstione, „ an hujusmodi timor, non solum absque contritione animi perfecta, (de quo controversia vix fuit) sed etiam absque eo, quod ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat „ ad remissionem peccatorum in Sacramento“: Ergo &c.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex Theologorum qui synodo interfuerant silentio, ac confessione.

3 Est: Si Concilii Trid. definitio esset, sufficere in Sacramento attritionem, dubio procul Patres ac Theologi qui synodo interfuerant, & deinde de Sacramentis scripserunt, decretum illud mandassent memoriæ, nec doctrinam contrariam probabilem appellassent: atqui tum de hoc decreto siluerunt tum (quod notabilius est) sententiam pro perfectæ contritionis necessitate pugnantem, probabilem esse, quamquam sibi adversam, confessi sunt.

Sic enim *Andreas Vega* in Concilio Trid. locum inter Theologos haud sane ignobilem tenuit, gestorum S. Synodi ac decretorum bene conscius fuit, scripsit deinceps in acta ejusdem concilii commentarium summa doctrina refertum, & libris pluribus comprehensum, ibi autem memorat, necessitatem perfectæ contritionis a multis primi subsellii Theologis ab antiquo propugnatam: “ fuerunt quidam graves, „ & celebres authores, *inquit*, (*lib.* 13 *in Concil. Trid. cap.* 33) qui secuti magistrum in „ 4, dist. 18, tenuerunt sacerdotes in nova lege perinde se habere, circa spiritualem peccatorum lepram, ac se habebant sacerdotes „ in veteri lege circa corporalem, & hanc „ sententiam tuentur, in eadem dist. Bonaventura, Okam, Major, Biel dist. 14, Alexander Halensis part. 4, qu. 80....“ quod ubi præmisit, doctrinam contrariam, quæ pro imi perfectæ contritionis sufficientia dimicat, amplecti-

plecti se & sequi profitetur: *hanc sententiam* (de attritionis sufficientia) inquit, *adnitar nunc probabiliorem, & scripturis, & sanctorum testimoniis magis consonam ostendere*: nunquid vero sic loqueretur, si crederet Bonaventuræ aliorumque doctrinam a concilio confixam, & sub anathematis pœna damnatam? numquid sententia fidei, ab œcumenico concilio, certo & infallibili judicio definita, in comparatione hæresis contrariæ, solum *probabilior* dici potest? an non ineptissime homo Theologus loqueretur, qui matrimonio e. c. Sacramenti veritatem vendicaturus, sic præfaretur: "adnitar nunc ostendere, sententiam, quæ asserit matrimonium esse Sacramentum, probabiliorem esse, & scripturis, & sanctorum testimoniis magis consonam?" hoc enim quid aliud foret quam divini dogmatis infringere ac minuere veritatem?

Pariter, sessioni 14 Concilii Trid. *Melchior Canus* interfuit, quod est ex S. Synodi monumentis certissimum. Itaque quid in ea actum foret ignorare non poterat; atqui in *Relectione de Sacramento pœnitentiæ parte 5, quod attritio sufficiat*, inquit, *quamvis verum sit, non est tamen adeo certum & indubitatum: & ideo communis sententia tenens certum, relinquens incertum, ponit contritionem partem esse hujus Sacramenti*. Qua vero fronte, haud omnino certum atque indubitatum dogma dicere potuisset, qood ab œcumenico Concilio sancitum scivisset?

Nec aliter *Ruardus Tapperus* ejusdem Concilii assessor, ut historia testatur, (*hist. Concil. Trid. lib.* 12, *cap.* 10, & 11) locutus est: *quod attritio sufficiat*, inquit, (*in Exposit. art.* 4 *Lovaniens. de contritione*) *quamvis verum sit, non est tamen certum atque indubitatum*.

Multoque expressius *Dominicus Soto*, cujus magna laus in S. Concilio fuit: sic enim ille: "quod contritio formata sit necessaria, *inquit*, (*in* 4, *dist.* 18, *q.* 3, *a.* 2, *ad* 1)... vel attritio sufficiat ad substantiam Sacramenti, Theologorum scholis relictum est explicandum . . . . (*ib. dist.* 19, *qu.* 2, *a.* 9) quod attriti per Sacramentum contriti fiant, non est articulus fidei, aut Ecclesiæ definitio: solum est scholasticorum collectio; quæ quamquam vera sit, non est certe digna, cui bilances oostræ perpetuæ salutis, aut damnatioois confidamus". Ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex tempore quod Concilii celebrationem secutum est.

D*Enique*, si putassent patres doctrinam de necessitate contritionis Synodali seotentia fuisse proscriptam, defendere illam io posterum nemo ausus fuisset: atqui soluto Concilio, contritioois perfectæ necessitatem propugnaveruot, *Fredericus Nausea* Episcopus Vieoneosis: *Franciscus Richardotus* Episcopus Atrebatensis: *Cornelius Mussus* Episcopus Bituotinus: *Franciscus Sonnius* Episcopus Sylvæ-ducensis, & postea Antuerpiensis: *Petrus Soto*: *Dominicus Soto*: & plerique alii, quos nemo negat Trid. Concilio adfuisse.

Conversio si vera fuerit & perfecta, inquit Fredericus Nausea, in catechismo post sessionem 14, cui interfuerat, publicato, (*an.* 1552) "dicitur contritio, quam Deus gratiose nimirum acceptat, propheta dicente: *cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. Nec est, ut absque ejusmodi qoemquam possit (*Sacerdos*) vere absolvere; cum ipse reum non absolvat, nisi reus in se debito modo dispositus, sit capax absolutionis . . . cujus contritionis, vel ex hoc posset (*quisquis*) necessitatem & utilitatem, virtutem & efficaciam plus quam evidenter colligere, quod per eam obtineatur remissio peccatorum, etiam antequam fiat ore confessio eorum Sacerdoti".

"Nonnullas veræ contritionis, quæ sit pars Sacramenti, conditiones animadvertere possomus, *ait Franciscus Richardotus*. (*in instr. Pastorum, ann.* 1567) Prima est, ut vera perfectaque contritio, non solum in metu supplicii, sed etiam in amore Dei fundetor . . . . verum quidem est, peccati detestationem, quæ timori pœnæ innititur, posse ad veram & perfectam contritiooem disponere: sed illa non sufficit ad remissionem peccatorum obtinendam, licet utilis sit, nisi in veram & perfectam contritionem evadat; idest, nisi metus cedat caritati".

"Subjiciant (*Pastores*) *inquit Cornelius Mussus* (*in Canonibus de pœn. an.* 1579 *editis*) illos recte & rite suscipere Sacramentum pœnitentiæ, qui antequam ad mysticum Sacræ confessionis Jordanem accedant lavandi, mundandique a lepra peccati . . . sese per Dei gratiam non solum atterunt, sed minutatim conterunt, contritique confitentur ipsi Sacerdoti".

Eademque prælaudati Francisci Sonni, tract. 4 de pœniteotia cap. 6, *Petri Soto*, in insti-

institutione Sacerdotum, lectione 7 de necessariis conditionibus confessionis, *ubi disertis verbis affirmat*: quod necessaria sit perfecta contritio, etiam in Sacramento: Dominici Soto, *in* 4, *dist.* 20, *qu.* 2, *a.* 1, sententia fuit: quibus plurimos addere in promptu foret, si res postularet.

Igitur doctrinam de perfectæ contritionis ad Sacramentum necessitate, damnatam a Concilio Trid. non esse, convincentia argumenta sunt, quibus si quis præjudiciis occupatus non acquiescat; neque forte demonstrationibus geometricis esset cessurus.

§. SECUNDUS.

Diluuntur Adversariorum oppositiones.

Opponitur. Sententia de perfectæ contritionis necessitate, cum Sacramenti efficacia, & potestate clavium Ecclesiæ a Christo concessa conciliari non potest: ergo pugnat contra fidem: adeoque Ecclesiæ decreto damnata est.

℟. Concesso ant. & primo consequente, n. ultimum conseq. non hic quærimus quid juris sit, sed quid facti. Opinionem de necessitate perfectæ contritionis fatemur, imo contendimus cum efficacia Sacramenti pœnitentiæ, & potestate clavium conciliari non posse: at non inde sequitur, quod solemni Ecclesiæ damnata decreto sit. Neminem namque latet, nisi in re theologica hospitem ac peregrinum, Ecclesiam pleraque tolerare in scholis controverti, & in utramque ventilari partem, quarum alterutram, ad fidem necessarium est pertinere: cujus rei exempla in omni fere Sacræ doctrinæ tractatu multa occurrunt: sic enim e. c. utrum ad confirmationis essentiam Chrismatis unctio pertineat, aut sufficiat impositio manuum? Utrum solus Sacerdos sit Sacramenti matrimonii minister, aut laicus ipse contrahens? Utrum subdiaconatus sit formaliter verum Sacramentum? Utrum pœnitentiæ forma necessario debeat esse absoluta, aut deprecatoria sufficiat? Utrum gratia sit ex natura sua & ab intrinseco efficax, aut ad voluntatis creatæ nutum versatilis? Hæc, inquam, & alia pene innumerabilia in scholis quotidie ventilantur, aliis affirmantibus, aliis negativam partem, Ecclesia tolerante, tuentibus: cum tamen certissimum sit, alterutram sententiarum in fidei dogmatibus contineri. Nec inde sequi putandum est, aut peccare Ecclesiam, quæ quæstiones novis subtilitatibus obscuratas, pro bono pacis non decidit; aut hæreticos eos esse, qui dogmata contraria veritati propugnant: ut enim alibi monuimus, & forte iterum prout occurret occasio admonebimus, hæresim non error, sed contumacia facit, & contra Ecclesiæ docentis auctoritatem rebellio. Quam sane culpam Magistro sentent. S. Bonaventuræ, & aliis, quos ante nominavimus, eo minus impingere possumus, quod constet, 1 eos auctoritati Ecclesiæ subditissimos fuisse: 2 existimasse suam de contritione doctrinam cum Sacramenti efficacia, & clavium potestate haud difficulter conciliari.

Inst. 1. At, inquies, illud porro inintelligibile est, quomodo cum virtute Sacramenti, & auctoritate clavium, contritionis præmittendæ necessitas consistere valeat: quid enim præstat pœnitenti Sacramentum, si jam invenit absolutum? aut quis potest clavium usus esse, ubi janua regni cœlorum efficacia contritionis aperta est?

R. Hoc equidem nobis, uti revera est difficillimum, ne dicam impossibile apparere: at non ita judicabant, contra quos agimus, Theologi. Hunc enim quantumvis intricatissimum nodum, alii atque alii, diversas ineundo vias, expedire posse putabant. Nam

1. Quidam volebant, peccata per contritionem remitti; tum quoad culpam, tum quoad reatum; atque adeo Sacerdotibus non aliud ministerium convenire, quam ut solutos declararent, quos Deus ante solvisset, & iisdem congruam satisfactionem imponerent. " Ex his aperte ostenditur, *inquit Magister sentent.* (*lib.* 4, *dist.* 17) quod Deus ipse pœnitentem solvit a debito pœnæ, & tunc solvit, quando intus illuminat, inspirando veram contritionem . . . nec ideo negamus Sacerdotibus concessam potestatem dimittendi & retinendi peccata; idest ostendendi homines ligatos vel solutos . . . . ligant quoque dum satisfactionem pœnitentiæ confitentibus imponunt: solvunt cum de ea aliquid dimittunt, vel per eam purgatos, ad Sacramentum communionis admittunt".

2. Alii culpam & reatum in peccato sic distinguebant, ut culpam a solo Deo per contritionem, reatum vero æternæ damnationis a Sacerdote per absolutionem remitti vellent. " Hoc bene in resurrectione Lazari signatum est, *inquiebat Hugo a S. Victore*, (*lib.* 2 *de Sacr. part.* 14, *cap.* 8) quem ipse Dominus per se prius, intrinsecus a vinculo mortis absolvit; vivificatum autem deforis ministerio Apostolorum solvi præcipit. Sic namque in S. Ecclesia, nunc mortuos peccatis, per suam gratiam solam interius vivificans, ad compunctionem accendit: vivificatos, per confessionem foras venire præcipit, ac sic deinde pœnitentes, per ministerium Sacerdotum, a debito damnationis absolvit".

3. Alii peccati sive culpam, sive reatum, & a

& a Deo per contritionem, & a Sacerdote per clavium ministerium, conjunctis officiis, remitti resolvique autumabant: ita tamen ut vere contritis Deus, tamquam principalis & authenticus absolutor subveniret, conditionate tamen, ea nimirum lege, ut peccatores deinceps ad Sacramentum accederent: Sacerdos vero tamquam minister, eadem in Sacramento absolute remitteret. *Sacerdos*, ait Marsilius (*in 4, quæst. 12, art. 25*) *a Deo prius absolutum, tamquam a principali & authentico absolutore, de eisdem criminibus quæ ei confitetur, absolvit ut minister Ecclesiæ, & sic verba vera sunt, quæ dicit*: ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis: *ut minister scilicet. De quibus quamvis absolutus erat a Deo in contritione, tamen eget absolutione hominis, certis temporibus ac locis ex Dei institutione.*

4. Denique suæ opinionis acerbitatem temperamento multiplici leniebant, affirmando contritionem, quam necessariam esse volebant, virtuti & efficaciæ Sacramenti non derogare.

1. Enim, inquiebant, cum contritio ipsa sit pars Sacramenti, Sacramento jure tribuitur condonatio peccatorum: quod enim partis officium est, non injuria est, aut mendacium si refundatur in totum, maxime si pars, nisi toti conjungatur, sterilis & otiosa futura sit. Porro contritio quantumvis perfecta, nisi Sacramenti saltem votum includeret, nihil prorsus operaretur.

2. (Ajebant,) Sacramenti votum cum perfecta contritione conjunctum, equidem in foro invisibili Dei, reconciliat peccatorem: at vero ut visibiliter & in foro externo Ecclesiæ virtus ejus recognoscatur, necessaria est actualis ejus susceptio. Hancque distinctionem S. Aug. auctoritate muniebant, qu. 84 in Levit. ubi duplicem sanctificationem esse observat, *alteram invisibilem, quæ fit sine visibilibus Sacramentis, visibilem alteram, quæ in Sacramentis habetur.*

3. Affirmabant, in ipsa actuali Sacramenti susceptione conferri augmentum aliquod gratiæ, & ampliorem fieri pœnarum peccatis debitarum remissionem.

Quamvis igitur a veritate recederent, sine prævia perfecta contritione Sacramentum irritum contendentes, sat tamen plausibiliter opinionem hanc cum virtute & efficacia Sacramenti pœnitentiæ conciliare adnitebantur.

Inst. 2. atqui ab Ecclesia expresso decreto opinio illa damnata est: ergo &c.

Prob. subs. ex Concilio Trid. *Si quis dixerit*, inquiunt patres (*Sess. 14, can. 9*), *absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti ..... anathema sit*, atqui canon ille Theologos pro perfectæ contritionis necessitate pugnantes recta ferit: ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. concessa maj. n. min. ut enim hic canon aperte contradiceret sententiæ, perfectæ contritionis necessitatem adstruenti, opus esset ut non posset perfecta contritio cum actu judiciali Sacerdotis consistere; atqui Theologi, quos præcedente articulo refutavimus, duo hæc bene simul stare tum contendebant, tum rationibus haud ita incongruis suadebant. *Per absolvendi namque ministerium*, inquiebant, *confertur gratiæ augmentum, pœna temporalis majori saltem ex parte remittitur, pœnitens plene ac visibiliter in foro Ecclesiæ reconciliatur: imo reconciliatio ipsa invisibilis per contritionem non obtinetur, nisi virtute Sacramenti in voto suscepti.* Ergo etiamsi perfecta contritio præcedere necessario debeat, hoc tamen non impedit, quominus Sacramentalis absolutio sit actus vere judicialis.

Dudum est quod hanc objectionem sic refutavit *Andreas Vega*, qui licet necessariam non esse perfectam contritionem nobiscum tenuerit, non ideo tamen concedendum existimavit, S. Bonaventuræ & aliorum contrariam assertionem, ullo Ecclesiæ canone expresse esse damnatam. *Neque tamen quod ista docuerint*, inquit, (*l. 13, in Conc. Trid. cap. 33*) *cum illis sensisse existimandi sunt, qui absolutionem Sacerdotum inanem crediderunt. Nam ad augmentum gratiæ, & ad remissionem pœnæ debitæ pro peccatis, omnibus rite sua peccata confessis utilem eam esse crediderunt. Quod quidem stare potest, etiamsi numquam prima per eam gratia conferretur, & hac ratione tueri eos possumus, ne videantur adversari citatis supra definitionibus Ecclesiæ, quod Sacramenta novæ legis causant gratiam.*

Inst. 3. probando min. vel canon ille Magistrum sentent. S. Bonaventuram, aliosque eis consentientes recta ferit, vel frustra & inutiliter latus est. Secundum sine temeritate dici non potest. Ergo primum est confitendum.

℟. Nego maj. cujus falsitas ut palam demonstretur, canon integer legi debet. *Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit: anathema sit.* Parique sensu in doctrina de Sacramento pœnitentiæ, eadem sessione præcesserat: (*Sess. 14, cap. 6*) *quamvis autem absolutio Sacerdotis, alieni beneficii*

sit dispensatio , tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus judicialis , quo ab ipso , velut a judice sententia pronuntiatur ; atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio , aut Sacerdoti animus serio agendi , & vere absolvendi desit, putet tamen se propter solam suam fidem , vere & coram Deo esse absolutum ; nec is esset nisi salutis suæ negligentissimus , qui Sacerdotem joco se absolventem cognosceret, & non alium serio agentem sedulo requireret.

Hoc posito manifestum est, sacro fulmine ictam nefariam Lutheri doctrinam. Contendebat ille, absolvere nihil quidquam esse, quam Evangelium annuntiare declarando remissa esse peccata: adeoque nec ex parte absolventis requiri animum serio agendi, nec ex parte peccatoris necessariam esse confessionem & contritionem, sed solum sufficere fidem sive fiduciam, qua credit peccator, se esse absolutum a Deo. Quid vero cum Lutheri vesania commune habuit Magistri sententiarum, S. Bonaventuræ, & aliorum opinio contritionem perfectam absolute necessariam contendentium? Numquid volebant Sacerdotis ministerium in sola prædicatione consistere? Numquid Sacramentum inimice ac jlocalariter datum probabant? Numquid vanam hanc salutis fiduciam approbabant, qua quis nec confessione, nec contritione præmissa, temerario sibi de absolutione blanditur? Numquid denique nullam in absolutionis ministerio virtutem esse volebant, cum e contra affirmarent, per illud conferri augmentum gratiæ, pœnam temporalem vel ex parte, vel ex integro condonari, peccatorem consummate, visibiliter, & in foro Ecclesiæ reconciliari, nullamque contritionis ipsius futuram esse virtutem, nisi Sacramenti & absolutionis votum includeret?

Itaque canon Trid. nec Magistrum sententiarum eique consentientes percussit; nec tamen ut argumentum ferebat, futilis ac irritus fuit, cum adversus Lutherum ejusque similes, teste Card. Pallavicino (*Hist. Concil. Trid. lib.* 12, *c.* 10) latus sit, qui dicebant, *absolutionem non esse actum judicialem , sed nudum ministerium pronuntiandi , & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo is credat se esse absolutum, etiamsi non sit contritus , aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat , immo etiam sine confessione peccatoris, Sacerdotem eum absolvere posse.*

Inst. 4. hunc eumdem canonem nos ipsi art. præcedente, §. 1 attulimus, ad refutandam opinionem asserentium perfectam contritionem esse necessariam: ergo contra eos revera est latus.

℟. Dist. ant. hunc canonem attulimus, quia nobis re ipsa favet, conc. quia per illum damnata est velut hæretica, doctrina volentium contritionem perfectam esse necessariam, n. ant.

E. ℟. in priore sententia permanendo contendimus, doctrinam de contritionis perfectæ necessitate, tum institutioni Sacramenti pœnitentiæ, tum auctoritati clavium, tum antiquis patribus, tum denique Trid. Concilii menti ac principiis adversari. Nec tamen propterea dicendum putamus, doctrinæ contrariæ, in S. Synodo hæreseos notam inustam, quia ex monumentis historiæ certissimis scimus, ei fuisse propositum, non scholarum lites dirimere, sed novas Lutheranorum & Calvinianorum hæreses profligare: itaque sessionis decimæquartæ canonem nonum, non quasi definitionem pro contritionis imperfectæ sufficientia expresse latam, attulimus, sed quasi principum unde eruitur patres Trid. in hanc sententiam magis propendisse.

Inst. 5. Catechismus Concilii Trid. de sufficientia imperfectæ contritionis hæc habet: (*part.* 2, *tit. de Sacr. pœnit. n.* 37, *& seq.*) *ut hoc concedamus contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret: quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves regni cælestis Ecclesiæ tradidit; etenim ex fidei catholicæ doctrina omnibus credendum, & constanter affirmandum est: si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare instituat, etsi ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti ac condonari: ut merito a Sanctissimis viris patribus nostris celebratum sit, Ecclesiæ clavibus aditum in cælum aperiri.*

Inde sic arguitur; juxta Scriptores a quibus catechismus Trid. digestus est, ex fidei catholicæ doctrina credendum & constanter affirmandum, imperfecte contritis, vi clavium peccata remitti: ergo doctrina contritionem perfectam necessario requirens, Ecclesiæ definitione, quæ Trid. Concilii est, fuit velut hæretica condemnata.

℟. Admitto auctoritatem. Ad argumentum conc.

conc. ant. & n. conseq. aliud enim est, dogma aliquod esse fidei, aliud, ex fidei doctrina credendum & affirmandum. Dogma fidei formaliter, ut in scholis loquimur, expresse est ab Ecclesia, scripturæ & traditionis auctoritate constitutum: e contrario, ex fidei doctrina creditur & affirmatur, quod ex principiis ejus certa ratione colligitur. Non ajunt catechismi auctores, imperfectæ contritionis sufficientiam, doctrinam fidei esse, sed, ex fidei doctrina credendam, quippe quæ ex principiis fidei, illatione necessaria consequatur. Nihil itaque locus ille contra nos facit: eoque minus in præsenti quæstione, veluti decretorius afferri potest, quod Andreas Vega, Ruardus Tapperus, Melchior Canus, Dominicus Soto, & quidam alii, qui rerum in Concilio Trid. gestarum, testes actoresque fuerant, soluta Synodo, de sufficientia contritionis imperfectæ sententiam, non doctrinam fidei, sed opinionem dumtaxat censuerint. Deinde si semel assentiamur, definitam in Concilio Trid. fuisse hanc litem scholarum, & magistri sententiarum ejusque sequacium sententiam profligatam; quid de *Joanne Æmiliano* dicturi sumus, qui ejusdem opinionis in ipso patrum consessu fuit acerrimus propugnator? Quid de *Frederico Nausea*, de *Francisco Richardoto*, & aliis supra recensitis, qui soluto Concilio pro eadem doctrina steterunt?

Inst. 6. ex aliis Concilii verbis. *Quamvis*, inquit (*in proœm. sess.* 14) *in Decreto de justificatione* (sess. 6, cap. 14) *multus fuerit de pœnitentiæ Sacramento, propter locorum cognationem, necessaria quadam ratione sermo interpositus: tanta nihilominus circa illud nostra hac ætate, diversorum errorum est multitudo; ut non parum publicæ utilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidisse, in qua demonstratis & convulsis, Sp. Sancti præsidio, universis erroribus, catholica veritas perspicua & illustris fieret; quam nunc S. hæc Synodus, Christianis omnibus perpetuo servandam proponit.*

Hinc sic eruitur argumentum: Spondet eo loci S. Synodus se exactiorem ac pleniorem de pœnitentiæ Sacramento definitionem esse tradituram, quæ ad demonstrandos ac convellendos errores universos satis futura sit; atqui promissis non stetisset, nisi perfectam contritionem exigentium errorem damnasset: ergo revera damnavit.

℞. Admitto auctoritatem. Ad probat. concessa maj. n. min. cujus falsitas ex ipsis verbis citatis apparet. Non enim absolute promittunt patres exactam & plenam de rebus ad pœnitentiam pertinentibus definitionem, sed quæ satis futura sit ad demonstrandos & convellendos, Sp. Sancti præsidio, universos hujus ætatis errores. *Tanta*, inquiunt, *circa pœnitentiæ Sacramentum nostra hac ætate diversorum errorum est multitudo &c.* quibus verbis clarissime significant, nihil quidquam sibi esse propositum, quam Lutheranorum aliorumque recentes errores detegere & exterminare: nam quod de scholarum litibus dirimendis ne cogitarint quidem, tum ex actis Concilii certum est, tum ex ejusdem circa plurimas quæstiones silentio: quales sunt, *utrum circumstantiæ intra eamdem speciem aggravantes sint necessario in confessione aperiendæ? Utrum pœnitentia formalis & expressa sic necessaria sit, ut numquam sufficiat virtualis? ... Utrum attritio in Sacramento sufficiens debeat conjunctam habere caritatem initialem?* &c.

Inst. 7. atqui contritionem perfectam non esse absolute necessariam, expressa Trid. Concilii definitio est: ergo &c.

Prob. subs. congestis variis ejus sententiis, sic sess. 14, cap. 2, præter cætera baptismi & pœnitentiæ sacramenti discrimina, istud affert. *Baptismi ministrum, inquit, judicem esse non oportet .... secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro baptismi, sui corporis membra semel effecit: nam hos si se postea crimine aliquo contaminaverint .... ante hoc tribunal* (pœnitentiæ) *sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari.*

Ibid. cap. 3. *Sane vero res & effectus hujus sacramenti, quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo.*

Et cap. 6. *Sacerdotibus functionem remittendi peccata attribuit.*

Inde efflorescit argumentum adversariorum judicio peremptorium.

Concilii Trid. sententia est, per Sacerdotum sententiam pœnitentes liberari a peccatis, reconciliari cum Deo, eamque reconciliationem rem esse & effectum sacramenti, atqui cum necessitate perfectæ contritionis conciliari ista non possunt: ergo necessariam non esse perfectam contritionem Trid. Concilii expressa definitio est.

R. Nego subs. ad probat. admitto textus oppositos, & ad argumentum concessa maj. n. min. ut enim in responsione ad 2. objectionem observavimus, Theologi qui pro perfectæ contritionis necessitate pugnabant, contendebant nihilominus, pœnitentes sacerdotum sententia liberari, cum Deo redire in gratiam, & reconciliationem hanc sacramento adscribendam: nam inquiebant, contritio ipsa quantumcumque vehemens, nisi votum sacramenti conjunctum habuerit, nihil agit: deinde contritio

ipsa

ipsa pars est sacramenti. Præterea sacramentum actu susceptum reconciliat visibiliter, reconciliat plene, pœnam temporalem vel ex integro, vel saltem ex parte remittendo; augmentum denique gratiæ affert, & Deo magis ac magis conjungit: ergo etiamsi perfecta contritio in pœnitentibus requiratur, hoc non impedit quominus ipsi Sacramento & Sacerdotum sententiæ, liberatio a peccatis, & reconciliatio adscribatur.

Inst. ultimo. Penitentiam non vivorum, sed mortuorum esse Sacramentum, non scholarum tantum, sed ipsius Ecclesiæ communis & ubique recepta doctrina est; atqui in eorum sententia, qui necessitatem perfectæ contritionis defendebant, Sacramentum foret non mortuorum sed viventium, quippe quod ante se vitam spiritualem gratiæ necessario præsupponeret: ergo doctrina hæc ab Ecclesiæ sensu recedit.

℞. Concessa maj. n. min. & adjectam propositionem dist. in hac hypothesi pœnitentia vitam spiritualem ante se necessario præsupponeret: *ante se*, inquam, *in re susceptam*, conc. *ante se*, *in voto susceptam*, n. Neque hoc argumento Magister sentent., & alii possent ab opinione præconcepta avelli: quandoquidem virtutem reconciliandi, & ad vitam spiritualem revocandi, non tribuebant contritioni perfectæ, nisi quatenus confessionis & Sacramentalis absolutionis votum conjunctum importat: qua ratione facile defendere poterant pœnitentiam esse Sacramentum mortuorum, sin minus in re, saltem ex voto semper, justificationis ac spiritualis resurrectionis gratiam conferens.

CAPUT TERTIUM.

Utrum contritio imperfecta, ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concepta, sit bona & utilis?

Contritionem esse partem essentialem Sacramenti pœnitentiæ, qu. 3 generatim ostensum est. Cum itaque certum maneat ex dictis capite præcedente non esse absolute necessariam perfectam contritionem; consequens est, debere saltem imperfectam ad Sacramentum afferri.

Est vero, ut prædiximus, imperfecta contritio, quam attritionem appellant, *animi dolor, & detestatio peccati commissi, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concepta, peccandique voluntatem excludens cum spe veniæ.*

Quæ & qualis debeat esse attritio, ut vere peccandi voluntatem excludat, & solido spei veniæ obtinendæ fundamento innitatur, inquiretur capite quarto: restat igitur in præsenti ut de timore pœnarum, quem Lutherus contra Deum insigniter impudens, velut exitiosum amoliri conatus est, & de turpitudinis peccati consideratione, articulis distinctis agamus. Quapropter sit

ARTICULUS PRIMUS.

De timore pœnarum, an bonus sit?

§. PRIMUS.

Timor quotuplex?

Timor generatim in tres veluti ramos dividitur: alius est naturalis, mundanus alter; tertium, quia Dei supremi vindicis respectum habet, haud incongrue divinum vocamus.

Naturalis est, quo quis, natura ipsa magistra, mala temporalia reformidat, puta ægritudinem, orbitatem, paupertatem, & aliud quodvis infortunium: cum enim nemo homo sit, qui instinctu magis naturæ, quam rationis judicio, bonum sibimet non desideret: (unde tam vere, quam communiter dictum: *omnis homo naturaliter desiderat esse beatus*:) ita neminem reperias, qui malum sibi contrarium non abhorreat, reformidetque.

Timor mundanus est, quo quis reverentia hominum, vel a peccato abstinet, vel consentit in malum, magisque favorem hominum quam Dei amicitiam ambit, & plus incommodum temporale, quam Dei offensionem & iram formidat: qualis eorum est, de quibus a propheta dictum: (*Ps.* 52, 6.) *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

Timor Dei est, qui Deum ipsum respicit, de quo dictum a Christo: (*Matth.* 10, 28) *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*

Ille vero iterum duplex: servilis & castus. Servilis dicitur, servorum scilicet proprius, quando quis non amore justitiæ, sed gehennæ metu abstinet a peccato, & quod divina lex imperat facit.

Castus est, quo quis Deum, ut supremum dominum, & patrem amantissimum reveretur: atque ideo omni quo potest conatu ab omni peccato abstinet, ne nimirum Deo displiceat, & ab illo separetur.

Et ille rursus est duplex, initialis, & filialis.

Initialis est, timor culpæ cum pœnæ metu con-

conjunctus, eoque velut adminiculo indigens ad consectationem virtutis: unde initialis dicitur, quia eorum proprius est, qui in viis Dei ambulare incipiunt.

Filialis est, qui solam respicit culpam, & vulgo timoris pœnæ consortium non admittit.

Jam si quæratur, in his tam diversis timoris speciebus quid boni, quid mali sit?

℟. 1. Timorem naturalem, in genere morum, de se nec bonum esse nec malum, sed accedente voluntatis affectu aut recto, aut vitioso, vel bonum esse, vel in malum degenerare, quod quia facile est ad intelligendum, probatione non indiget.

℟. 2. Timorem mundi seu humanum, natura sua esse vitiosum: malum enim est, quod adjunctum habet peccatum: atqui ille qui malum temporale magis formidat quam Deum, gravis hoc ipso peccati fit reus, seque ipsum aliquatenus idololatriæ scelere contaminat, reverentiam soli Deo debitam, in creaturam transferendo, plusque hominem colendo quam Deum: ergo &c.

℟. 3. Timorem Dei castum, sive initialis sit, sive filialis, bonum proculdubio esse, atque ita bonum, ut nihil sit quod plus desiderare in præsenti vita homo debeat. De illo enim est dictum: (*Ps.* 18, *v.* 10) *timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi....* (*Ps.* 33, *v.*10) *timete Dominum, omnes sancti ejus....* (*Ps.* 111, *v.* 1) *beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis, &c.*

Si vero timor servilis sit:

℟. 4. Duo accurate distinguenda, timorem nempe ipsum, & servilitatem timoris. Timor pœnæ præcise sumptus, nil mali habet: nec enim malum esse potest id formidare, cujus contrarium bonum est; atqui omnis pœnæ esse immunem, de se sane bonum est, felicitatem ex parte constituens: ergo hac ratione timorem pœnæ bonum negare non possumus. Servilitas vero timoris est, affectus ipse peccati intus in voluntate conclusus; quo fit, ut nisi pœna impenderet, peccatum eligeretur: proprie servorum hic timor est, qui si spem Dominum impune fallendi haberent, nil unquam boni facerent: hunc autem pravum esse & vitiosum, nemo est qui non videat.

Atque in his quidem operosius exponendis frustra labor insumeretur, nisi Lutheri ejusque sequacium, timorem servilem absolute omnique sensu tamquam malum repudiantium foret vesania refutanda.

§. SECUNDUS.

Lutheri doctrina exponitur.

Contendit, inquam, ille, timorem pœnæ in peccatoribus radicitus malum esse, & attritionem ex illo conceptam nedum gradus sit ad veram pœnitentiam, & virtutis prosecutionem, novum esse peccatum, hominemque facere hypocritam & magis peccatorem. *Contritio*, inquiebat, (*in ser. de pœn.*) (*sic enim cœpit vocari pœnitentia interior*) *duplici via paratur, scilicet per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis, ut dicunt, recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, damnum, fœditatem, multitudinem, deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia quæ possent tristitiam & dolorem excitare, spe satisfaciendi per bona opera: hæc autem contritio facit hypocritam & magis peccatorem; quia solum timore præcepti, & dolore damni id facit. Et tales omnes indigne absolvuntur, & communicantur: & si libere deberent remoto præcepto, & minis pœnarum confiteri; certe dicerent sibi non displicere vitam illam præteritam, quam sic coguntur displicere confiteri: imo quo magis timore pœnæ, & dolore damni conteruntur; eo magis peccant, & afficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odisse: & hæc est ista contritio, quam ipsi vocant extra caritatem non meritoriam; alii vocant attritionem, proxime disponentem ad contritionem. Sic enim opinantur ipsi: quam opinionem errorem ego judico.*

Ita Lutherus, cujus eo prorupit impietas, ut ipsas animas in igne purgatorio detentas, propter pœnarum horrorem, & requiei desiderium indesinenter peccare affirmaverit: *animæ Purgatorii*, ajebat, (*art.* 39 *inter damnatos a Leone X*) *peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem & horrent pœnas.*

Quæ ejus doctrina, etsi hominibus novitatis amatoribus, quos in suas partes perfidus Hæresiarcha pertraxerat, primum arriserit; non multo post ab omnibus communiter est deserta: adeo visa est, non scripturæ tantum, sed & ipsi rationi contraria. *Postea recesserunt Lutherani*, ait Card. Bellarminus, (*l.* 2 *de pœn. c.* 7) *ab illa sententia, & jam communiter docent, timorem pœnæ esse utilem, atque inde pœnitentiam inchoari*: quod ut suis momentis pro merito adstruatur, sit

§. TER-

§. TERTIUS.

Ostenditur attritionem ex gehennæ & pœnarum metu conceptam, utilem esse, & ad justificationem disponere.

Fidei hæc assertio est, definita in Concilio Trid. *Si quis dixerit*, inquiunt patres, (*sess. 16, can. 8*) *gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere: anathema sit.... (sess. 14, can. 5) Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium: anathema sit.*

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

Argumentum illud jam attulimus qu. 1, c. 4, ubi agendo de gradibus quibus ad virtutem pœnitentiæ pervenitur, in hoc numero timorem servilem posuimus, ejusdemque utilitatem ac bonitatem, adductis variis testimoniis scripturarum, verbo Divino commendari ostendimus: ex his auctoritatibus, ad quas studiosum lectorum remittimus, probatio sic informatur:

Timor ille utilis est, & ad justificationem disponit, quem scripturæ veteris testamenti uti bonum prædicant, quem Christus in Evangelio præcipit, quoque velut stimulo S. præcursor Joannes, ipseque Salvator, Judæos ad pœnitentiam concitabat; atqui hujusmodi est timor, ex gehennæ & pœnarum metu conceptus: ergo &c.

PROBATIO SECUNDA.

Ex Sanctis Patribus.

Alterum petimus ex Patribus, quorum una vox & sententia est, timorem gehennæ plurimum utilitatis habere.

Sic Tertullianus: (*lib. de cultu fœmin. c. 2*) *timor*, inquit, *fundamentum salutis est: præsumptio impedimentum timoris.*

S. Clemens Alex. timorem, *fidei* dicit *esse coadjutorem*: S. Ambrosius, *clavum animæ fluctuantis*; S. Gregorius M. *anchoram mentis* appellat.

Omnium vero præclarissime & expressissime S. Aug. locis innumeris. Sic serm. 18 de verbis Apost. (*nov. edit. 161*) c. 8, *modo*, inquit, *cum dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo: quid dicturus sum? male times? vane times? non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato timore, subjecit timorem, & dixit: timete eum qui habet potestatem, & animam & corpus mittere in gehennam ignis: ita dico vobis hunc timete. Cum ergo Dominus timorem incusserit.... dicturus ego sum, male times? ista non dicam: plane time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas. Sed interrogo te, si te non videret Deus, quando facis* (malum) *nec quisquam te vinceret in judicio illius, faceres? tu te vide... inspice te ipsum: faceres? si faceres; ergo pœnam times, castitatem nondum amas, caritatem nondum habes: serviliter times; formido mali in te est, nondum dilectio boni: sed time tamen, ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem: timor enim iste quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te; & sic volentem peccare animum interiorem non sinit: est enim quidam custos timor, quasi pædagogus legis; littera est minans, nondum gratia juvans: custodiat tamen timor iste, dum non facis* (malum) *timendo, & veniat caritas.... timor enim id agebat ne faceres: caritas id aget, ut nolis facere, etiam si impune possis admittere.*

Enar. in Ps. 127 *ille timor nondum castus, præsentiam & pœnas timet: timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet, ne mittatur in gehennam, bonus est, & iste timor utilis est.*

Lib. 2 contra litt. Petiliani c. 83 *timor pœnarum*, ait, *etsi nondum habet delectationem justitiæ, saltem intra claustra cogitationis coercet malam cupiditatem.*

Ep. 120 ad Honoratum: *præmissus timor in cor nostrum, pellit inde consuetudinem malorum operum, & servat caritati locum.*

Tract. 9 in Ep. Jo. *timor locum præparat caritati: timor ideo intrat, ut caritatem introducat: si nullus est timor, non est qua intret caritas.*

Serm. 13 de verbis Apost. *fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.*

Tract.

Tract. 41 in Joannem: *si nondum potes amare justitiam, time vel pęnam, ut pervenias ad amandam justitiam.*

Quorum similia locis innumeris inculcat ac repetit: unde sic instruitur argumentum:

Motus ille de se bonus est & laudabilis, qui custos hominis est, reprimens animum peccare volentem, intra claustra cogitationis coercens malam cupiditatem, & saltem prohibens opus externum peccati, ac denique ad caritatem, removendo impedimenta disponens; atqui talis ex patribus & S. Aug. gehennæ timor est: bonus ergo est & laudabilis: atque adeo attritio ex illo concepta ad justificationem disponit.

PROBATIO TERTIA.

Ex eo quod timor pœnarum Spiritu Sancto movente concipiatur.

3. Timor a Spiritu Sancto incussus & ab eo datus, non potest non esse bonus: nihil enim Deus dat, nisi bonum; atqui hujusmodi timorem pœnarum esse diserte testatur Apostolus: " non accepistis, *inquit*, (*Rom.* 8, 15)
" spiritum servitutis iterum in timore, sed acceptistis spiritum adoptionis filiorum . . . *& alibi idem significans*: non enim dedit nobis Deus, *inquit*, (2 *Tim.* 1, 7) spiritum timoris (qualis videlicet datus populo Israelitico) sed virtutis & dilectionis; *nam quod Hebræis olim timor a Deo ipso injectus fuerit, testatur Scriptura veteris testamenti, ubi Moyses ad populum*: ut probaret vos, *inquit*, (*Exod.* 20, 20) venit Deus, & ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis . . . *& alibi* (*Deut.* 5, 29) *ait Deus ad Moysen*: quis det eos talem habere mentem, ut timeant me? *quis autem daret nisi Deus?* ergo &c.

" *Hinc Concilium Trid. declarat*, (*sess.* 14, *c.* 4) contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, & Sp. Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat, & quamvis sine Sacramento pœnitentiæ, per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit: hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt ".

PROBATIO QUARTA.

Ex Theologica ratione.

Accedit ad præsidium veritatis ratio ipsa, quæ fidei lumine illustrata, gehennæ metum bonum & utilem esse consentit. Nam

1. Timor mali tunc bonus putandus est, quando oppositum malo bonum laudabiliter & cum recta ratione appetitur; atqui bonum malo æternæ gehennæ contrarium, cœlestis scilicet beatitudo, laudabiliter meritoque desideratur: quod si quis inficiaretur, dementissimum se probaret: pari ergo ratione, gehennam felicitati contrariam timere, bonum putari debet atque laudabile.

2. Attritio ex metu gehennæ concepta, tria omnino importat: voluntatem fugiendi pęnam, quæ finis instar se habet; peccati detestationem, quæ medium est ad finem, ad pœnæ scilicet evitationem conducens; & denique ordinationem hujus medii ad finem obtinendum, peccati scilicet fugam, ad pœnam vitandam; atqui nihil occurrit, nisi utile & honestum.

Primo quidem cum pœna inferni sit mala & odio digna, honestum profecto ac utile est, timere illam & odio prosequi.

Secundo, quod detestatio peccati bona sit, negare quis audeat?

Tertio denique quod ordinatio fugæ peccati ad vitandam pœnam sit pariter bona, inde manifesto apparet, quod ad pœnam effugiendam nullum fuga peccati occurrat medium urgentius ac conducibilius: hinc nihil in scripturis frequentius inculcatur, quam ut abstineat a peccato, qui volet iram Dei viventis effugere; ergo &c.

3. Qui verus est ad pęnitentiam gradus, hoc ipso bonus & utilis demonstratur: atqui ut quæstione prima, cap. 4 prædictum est, motus timoris servilis verus est ad reconciliationem & pœnitentiam gradus: inde enim ad pęnitentiam homo progreditur, unde ad amorem Dei sese disponit; atqui timor gradus est ad amorem, eique præparat locum: "timor, inquit S. Aug. (*Tract.* 9 *in* 1 *Ep. Joan.*) locum præparat caritati: timor ideo intrat, ut caritatem introducat; & si nullus est timor, non est qua intret caritas. " *Quorum similia repetit, enar. in Ps.* 149. ergo &c.

§. QUARTUS.

Refutantur argumenta Lutheri.

Quæ Lutheri causam juvare aliquatenus videri possunt, oppositiones hæ sunt:

Timor ex gehennæ & pœnarum acerbitate conceptus, servilis est; atqui timor servilis est malus: ergo &c.

R. Concessa maj. dist. min. timor servilis est malus, " si præcise qua est servilis spectetur, sive timoris servilitas mala est, *concedo*: si spectetur in se, & quantum ad substantiam, " n. min. & conseq.

E. R. In timore servili duo, ut præmonuimus, sunt necessario distinguenda: substantia, & modus sive servilitas: substantia est, horror & fuga mali pœnæ, quatenus a Deo supremo judice infligendæ: servilitas, vel habet adjunctum affectum, vel est affectus ipse peccati, intus in voluntate conclusus, quo fit ut nisi pœna timeretur, peccatum non fugeretur.

Fatemur malam esse timoris servilitatem, nec de illa debere intelligi scripturæ & patrum auctoritates, quibus timoris utilitas commendatur: " tum quia, *inquit S. Thomas*, (2, 2, *q.* 19, *art.* 4, *ad* 2) ex timore & superbia „ nascitur, in quantum homo affectum suum „ non vult subjicere jugo justitiæ, per amorem: „ *tum quia per illam fit, ut magis pœna, quam* „ *culpa, imo non culpa, sed sola pœna timea-* „ *tur*: inaniter, *inquit S. Aug.* (*Ep.* 144 *ad* „ *Anastasium*) victorem se putat esse pecca„ ti; qui pœnæ timore non peccat; quia etsi „ non impletur foris negotium malæ cupidita„ tis, ipsa tamen mala cupiditas intus est ho„ stis . . . . nam qui gehennam metuit, non „ peccare metuit, sed ardere: " tum quia libertati caritatis opponitur: qui enim per eam solam ad agendum flectitur, involuntarie, saltem secundum quid, & contra propriam inclinationem agit: " in eo, *ait S. Thomas* (1, 2, „ *q.* 6, *a.* 7, *ad* 2) qui per metum aliquid agit, „ manet repugnantia voluntatis ad id quod a„ gitur, secundum quod in se consideratur... „ & ideo quod per metum agitur, quodam„ modo est involuntarium . . . . nam timidus „ agit contra id quod etiam nunc secundum „ se vult ".

Sed negamus malam esse timoris servilis substantiam; imo bonam natura esse contendimus: in eo namque consistit, quod malum pœnæ fugiatur, quatenus a Deo ultore nequitiæ infligendum; atqui bonum est fugere hoc malum, pari ratione qua bonum est, beatitudinem ei oppositam concupiscere; nam cum beatitudo ex se ipsa amari digna, nemine diffitente sit; quis negare audeat, dignam odio esse damnationem, quæ est maxima miseriarum? deinde si mala esset timoris substantia, cum caritate esse non posset; atqui potest simul esse cum caritate, saltem initiali, timoris servilis substantia: ergo &c. Præterea: illud est ex substantia bonum, cujus bonus est aliquis fructus: non enim potest arbor mala bonos fructus facere, ait Christus in Evangelio; atqui timoris servilis quantum ad substantiam spectati, bonus est aliquis fructus: abstinere enim a peccato exteriori, bonum est: bonum pariter, malorum operum consuetudinem tollere; atqui hic est timoris fructus, quod animum peccare volentem contineat, & intra claustra cupiditatis coerceat malam cupiditatem; sicque paulatim malorum operum consuetudinem pellat, & liberum caritati aditum faciat: ergo &c.

Inst. 1 Atqui timor servilis etiam quantum ad substantiam, malus est: ergo &c. prob. subs. quod sua specie malum est, substantiam haud dubie infectam habet; quia idem est rei species ac substantia; atqui timor servilis specie sua est malus, cum per servilitatem constituatur; hæcque propria ejus differentia sit: ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. concessa maj. n. min. " Si servilitas esset de ratione timoris „ servilis, *ait S. Thomas*, (2, 2, *q.* 19, *a.* 4, „ *in c.*) oporteret quod timor servilis simpli„ citer esset malus, sicut adulterium simpli„ citer est malum, quia id ex quo contratria„ tur caritati, pertinet ad adulterii speciem: „ sed servilitas non pertinet ad speciem timo„ ris servilis, sicut nec informitas ad speciem „ fidei informis: species enim moralis habitus, „ vel actus ex objecto accipitur: objectum au„ tem timoris servilis est pœna, cui accidit, „ quod bonum cui contrariatur pœna ametur „ tamquam finis ultimus, & per consequens „ pœna timeatur tanquam principale malum, „ quod contingit in non habente caritatem: „ vel quod ordinetur in Deum, sicut in fi„ nem, & per consequens pœna non timeatur „ sicut principale malum, quod contingit in „ habente caritatem: non enim tollitur speci„ es habitus per hoc, quod ejus objectum vel „ finis ordinatur ad ulteriorem finem, & ideo „ timor servilis secundum suam substantiam „ bonus est, sed servilitas ejus est mala ... " Hactenus S. Thomas, cujus verba quisquis pro merito meditatus fuerit, facile intelliget, servilitatem neque ad speciem, neque ad substantiam timoris servilis pertinere, id est, non timoris, sed timentis esse defectum; quomodo quod fides informis sit, non hoc fidei, sed fidem habenti vitium attribuitur: nec desunt in rebus naturalibus exempla: sic enim, si homo ali-

aliquis natura vel cæcus vel claudus sit, vel quolibet alio vitio deformis, numquid in hominis speciem, & non potius in eum qui speciem habet, debebit defectus ille refundi?

Inst. 2 Omnis motus caritati contrarius malus est; sed timor servilis est caritati contrarius: ergo ex substantia malus.

R. Concessa maj. n. min. non enim est caritati contrarius motus, qui potest simul esse cum caritate; atqui potest motus timoris servilis simul esse cum caritate, " dicendum, inquit " S. Thomas, (2, 2, *q.* 19, *a.* 7, *in c.*) quod " timor servilis ex amore sui causatur, quia " est timor pœnæ, quæ est detrimentum proprii boni: unde hoc modo timor pœnæ potest stare cum caritate, sicut & amor sui: " ejusdem enim rationis est, quod homo cupiat bonum suum, & quod timeat eo privari: " amor autem sui tripliciter se potest habere " ad caritatem: uno modo contrariatur caritati: secundum quod aliquis in amore proprii boni finem constituit: altero vero modo in caritate includitur: secundum quod " homo se propter Deum, & in Deo diligit: " tertio modo, a caritate quidem distinguitur, sed caritati non contrariatur: puta " cum aliquis diligit se ipsum secundum rationem proprii boni: ita tamen quod in hoc " proprio bono non constituat finem . . . sic " ergo & timor pœnæ includitur aliquo modo in caritate: nam separari a Deo est quædam pœna, quam caritas maxime refugit; " unde hoc pertinet ad timorem castum: alio " autem modo contrariatur caritati, secundum quod aliquis refugit pœnam contrariam " bono suo naturali, sicut principale malum, " contrarium bono quod diligitur ut finis: & " sic timor pœnæ non est cum caritate: alio " modo timor pœnæ distinguitur quidem secundum substantiam, a timore casto, quia " scilicet homo timet malum pœnæ, non ratione separationis a Deo, sed in quantum " est nocivum proprii boni, nec tamen in illo bono constituitur ejus finis: unde nec illud malum formidatur, sicut principale malum: & talis timor pœnæ potest esse cum " caritate: sed iste timor pœnæ non dicitur " esse servilis, nisi quando pœna formidatur, " sicut principale malum, & ideo timor, in " quantum servilis, non manet cum caritate; " sed substantia timoris servilis cum caritate " manere potest, sicut amor sui manere potest " cum caritate ". Ita Angelicus Doctor.

Inst. 3 probando min. timor qui ab adveniente caritate expellitur, est contrarius caritati; atqui timor servilis, etiam quantum ad substantiam, ab adveniente caritate expellitur: *nam*, inquit S. Joannes (*Ep.* 1, *c.* 4, *v.* 18) *timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in caritate:* ergo &c.

R. 1. Nego maj. non enim omne quod ab adveniente caritate pellitur, ipsi semper per se contrarium est, ratione nimirum substantiæ; satis quippe est, ut adversetur ejus perfectioni: sic peccatum quidem projicitur & abolitur a caritate, quia per se & essentialiter pugnantiam cum ipsa habet; nec unum in eodem subjecto compatitur alterum: timor autem ideo extruditur, non quia natura & substantia malus, sed quia caritatis perfectioni obstaculum objicit, ut innuunt verba S. Joannis in objectione adducta: *perfecta caritas*, inquit, *foras mittit timorem. . . . qui autem timet, non est perfectus in caritate*. Hoc posito

R. 2. Transeat major, & dist. min. timor servilis adveniente caritate *perfecta* expellitur, conc. expellitur adveniente caritate *imperfecta*, subdist. expellitur, *quoad aliquem sui gradum*, conc. pellitur *omnino*, n. min. & conseq.

E. R. Verbis S. Aug. *tract.* 9 *in* 1 *Ep. Joannis*, ubi hanc ipsam objectionem expendens: " ergo, *inquit*, timor non est in caritate: " sed in qua caritate? non in inchoata: in " qua igitur? perfecta, inquit, caritas foras " mittit timorem: ergo incipiat timor, quia " initium sapientiæ timor Domini: timor quasi locum præparat caritati: cum autem cæperit caritas habitare, pellitur timor qui ei " præparavit locum: quantum enim illa crescit, ille decrescit: & quantum illa fit interior, timor pellitur foras: major caritas, " minor timor: minor caritas, major timor... " timor primo occupat mentem; non autem " ibi remanet, quia ideo intravit, ut introduceret caritatem ".

Inst. 4. Atqui ideo timor servilis pellitur a caritate, quia absolute est malus: ergo &c. prob. subs. actus quo quis magis dolet de pœna, quam de culpa, absolute malus est: repugnat enim rectæ rationi quæ dictat magis esse dolendum de majori malo, quam de minore: sed qui ex timore servili dolet de peccato, magis dolet de pœna, quam de culpa: de culpa enim propter pœnam affligitur. Porro juxta axioma in scholis omnibus decantatum, *propter quod unumquodque tale, & illud magis*: ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. concessa maj. dist. min. Qui ex timore servili dolet de peccato, magis propter pœnam affligitur, quam propter culpam; *vitio suo*, conc. *vitio ipsius timoris*, n. min. & conseq.

 E. R.

E. R. Quod homo timore pœnæ perculsus, magis de pœna doleat, quam de peccato cui pœna decreta est, non in timorem vitium illud refundi debet, sed in hominem timentem, qui cum nondum habeat caritatem, culpam tantum, quantum debet non timet; imo pœnam magis timet quam culpam. Nam quod de hoc vitio timor ex substantia sua spectatus non debeat accusari, vel inde invicte probatur, quod possit timoris substantia in homine caritatem habente reperiri, dequo dubium non est, quin culpam magis quam pœnam abhorreat. Ergo pœnam magis timere quam culpam, non timoris vitium est, sed timentis, qui cum caritate sit destitutus, sui causa facit, quod Dei causa debere fieri, vera caritas inspirat ac præcipit: constans hæc & solida Angelici Doctoris sententia est in verbis supra relatis. *Objectum*, inquit, (2, 2, *qu.* 19, *a.* 4, *in c.*) *timoris servilis est pœna, cui accidit quod bonum cui contrariatur pœna, ametur tamquam finis ultimus, & per consequens pœna timeatur, tamquam principale malum, quod contingit in non habente caritatem: vel quod ordinetur in Deum, sicut in finem, & per consequens pœna non timeatur, tamquam principale malum: quod contingit in habente caritatem: non enim tollitur species habitus, per hoc quod ejus objectum vel finis ordinatur ad ulteriorem finem.*

Inst. 5. referre id quod excellentius est, ad id quod minus & ignobilius est, perversus est ordo, adeoque peccatum, quod in ordinis perturbatione consistit: sed qui ideo peccatum fugit ac detestatur, quia odio habet pœnam, refert quod excellentius est, nempe non peccare, ad illud quod minoris longe pretii est, scilicet non pati. Ordinem ergo pervertit, adeoque peccati fit reus.

R. Dist. maj. referre quod excellentius, ad illud quod minoris est pretii, *in illo tamquam in fine conquiescendo*, perversus est ordo, & consequenter peccatum, conc. *in illo non conquiescendo*, sed suam ulterius intentionem ad Deum usque velut ad finem ultimum provehendo, n. maj. pariter dist. min. qui peccatum ideo fugit, quia gehennam timet, refert quod excellentius est, scilicet non peccare, ad illud quod minoris est pretii, scilicet non pati, *tamquam ad finem proximum*, in quo non conquiescit, cum ulterius ad Deum ejus intentio dirigatur, conc. *tamquam ad finem ultimum*, subdist. *vitio suo*, conc. *vitio timoris*, n. min. & conseq.

E. R. Timor gehennæ ex substantia, proprioque fundo spectatus, nihil includit quod sit rationi contrarium, aut peccati malitia infectum, sed potius multum congruit rationi, cum pœna de se digna odio sit & fuga; aliunde vero hæc ipsa aversio ultimo fini sit subordinata, in quo solo debet voluntas creata conquiescere; quapropter si quis pœnam fugiendo, in hac aversione hæreat atque subsistat, nec ultra ferat suam intentionem, non illa timoris, ut prædiximus, sed solius timentis est culpa. Illustratur responsio exemplo multarum rerum, quæ secundum se recte & laudabiliter appetuntur, licet ab homine eas ambiente plerumque peccetur. Sic enim nemo negaverit, bonum esse desiderium cibi & potus, bonum pariter esse appetitum scientiæ &c. norunt tamen omnes, in hujusmodi desideriis hoc ipso peccari, quod in cibo & potu, & inquisitione scientiæ, tamquam in ultimo fine homo hæret, nihilque amplius quærit, quam vel satiare ventrem, vel vanam scientiæ gloriolam comparare: sicut igitur quando in rebus istis appetendis finium ordo pervertitur & ibi cessat motus, ubi erat versus finem ultimum iter arripiendum, peccatur quidem, sed non propterea cibi & potus appetitus, scientiæ studium, aut aliud quodlibet rei licitæ desiderium damnari debet: ita si quis pœnam timeat, intentionem suam ad Deum tamquam ultimum finem non referendo, non erit ideo timor pœnæ improbandus: hoc enim non timoris, sed timentis est vitium. *Cupiunt*, inquit S. Aug. (*de civ. Dei l.* 14, *c.* 8), *timent, lætantur boni & mali: sed illi bene, isti male, sicut hominibus seu recta, seu perversa voluntas est* ... (*ibid. cap.* 7) *mala enim sunt ista, si malus est amor: bona, si bonus.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum attritio ex turpitudinis peccati consideratione concepta, sit bona & utilis?

In peccato triplex turpitudo notari potest.

1. In hominum opinione posita est: sicut in furto deprehendi, res est in humana societate probrosa, & ignominiæ plena.

2. Intima ipsi peccato est, in quantum naturæ difforme est, & honestati ac rationi, ipsique naturali animæ pulchritudini contrarium. Sic furtum turpe est a natura.

3. Petitur ex oppositione peccati, cum justitia Dei & sanctitate. Nec enim negare possumus, hoc ipso factum aliquod esse turpe, quo est contrarium sanctitati Dei, ejusque æternæ legi.

Potest itaque dolere aliquis de peccato:

1. Quia peccando intulit ipse sibi infamiam:

2. Præcise quia rem gessit honestati contrariam, & homine bene nato indignam:

3. Quia

3. Quia Dei summe amabilis, totiusque justitiæ fontis sanctitatem offendit.

Hoc posito non est difficile dictu, qualem esse oporteat dolorem ex turpitudinis peccati consideratione conceptum, ut ad justificationem Sacramento obtinendam inserviat.

1. Enim si quis ideo tantum doleat de peccato, quia sibi & propriæ existimationi nocivum fuit; non ille sane de peccato, sed de famæ jactura gemit: unde peccatum non odisse hoc ipso convincitur.

2. Si peccatum ideo detestetur, quia honestati repugnat, & deformat animæ pulchritudinem; nec alio altiori motivo de præteritis iniquitatibus affligitur: talis profecto ponit in se finem suum, atque adeo nedum vere pœnitens dici possit, peccatis suis novum superbiæ crimen addit: *cum anima in se delectatur*, inquit S. Aug. (*de civit. Dei l.* 5, *c.* 20) *nondum re incommutabili delectatur, & ideo adhuc superba est, quia se pro summo habet, cum superior sit Deus*. Fuit illud peccatum proprium Stoicorum, qui ad seipsos virtutum officia referebant, nihilque aliud in virtutis prosecutione, quam sui ipsorum cultum & ornamentum quærebant.

3. Itaque superest, ut solus ille dolor vere ad justificationem in Sacramento obtinendam disponat, qui ex turpitudinis peccati consideratione concipitur, quatenus Deo, fonti sanctitatis infinitæ displicet, ejusque incommutabili justitiæ contrarium est. Non potest vero hic dolor esse, sine aliquo Dei amore, imo ex amore ipso, velut ex causa ac principio nascitur: quod erit ex iis quæ dicenda supersunt, certissimum. Sit itaque

CAPUT QUARTUM.

Utrum attritio ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ metu concepta, sit ita bona & utilis, ut ad justificationem in Sacramento obtinendam absque ullo Dei amore sufficiat?

Ducentesimus circiter annus est, ex quo lucem infeliciter vidit opinio affirmans, absque ullo divini amoris motu, & ex solo gehennæ metu, aut turpitudinis peccati intuitu, veram nasci attritionem, quæ ad reconciliationem in Sacramento obtinendam sufficiat; atque adeo in comparatione contrariæ merito dicitur hesternum commentum: cum enim ad 16 usque sæculum, vel penitus fuisset incognita, vel a paucissimis scriptoribus subobscure insinuata: tantam deinceps, non ex divino elogio, non ex patrum sententiis, non ex decretis conciliorum, non denique ex ratione, sed ex hominum novitatis amantium conspiratione arrogavit auctoritatem, ut sæculo 17 scholas pene omnes, multis licet contradicentibus, audacter pervaserit: eoque demum perducta res est, ut a quibusdam, servilis attritionis sufficientia, tamquam doctrina fidei sit asserta, & pro amoris divini necessitate pugnare, medios inter catholicos periculosa res fuerit: dogma novitium modis omnibus refutare, & divini amoris in Sacramento pœnitentiæ necessitatem vindicare, Deo juvante, proponimus.

Et sane si Christianam pietatem in hac controversia dirimenda judicem audire juvaret, non magnis sumptibus instrui lis componique posset: nemo enim est, quantumvis mediocriter Christianus, cujus animo anticipatio hæc medullitus infixa non hæreat, a Deo ipso, qui caritas est, radicata, *fructum scilicet non esse bonum, qui de caritatis radice non surgit*, ut loquitur S. Aug. (*lib. de spir. & litt. c.* 14) nemo homo est, cujus conscientia importunis scrupulorum anxietatibus non discrucietur, cui nimirum persuasum fuerit, se non amore optimi parentis, sed timore severissimi judicis, a malo recedere, & operari quidquid boni facit: nam si in bene morata familia filius ille non pluris quam servus fieret, qui nec paternis amplexibus, nec collatis in se beneficiis, nec naturæ ipsius, præcipientis amorem reciprocum, magisterio, ad redamandum commoveretur, sed quidquid boni & honesti faceret, impendentis mali & paternæ exheredationis metu præstaret: quanto meliori jure videri debet filius Dei, tanti parentis misericordia & protectione indignus, qui nec beneficio creationis, nec redemptionis gratia, nec passione nec morte Christi, ad caritatem inflectitur, sed solis inferni cruciatibus compellitur ad terrorem, & ne tunc quidem amorem necessarium reputat, quando Deo offenso satisfacere, & in ejus redire gratiam meditatur?

Quoniam vero non ex solo pietatis dictamine, sed ex Scripturæ & Patrum documentis omnis controversia ad religionem pertinens expendi debet: ad illa properandum argumenta, postquam monuerimus, quæstionem hanc ab Ecclesia definitam hactenus non fuisse, & de earum numero esse, in quibus liberum unicuique relictum putatur, vel affirmantem tenere partem, vel amplecti contrariam.

Jam ut ad rem veniamus, tripartitum erit hoc caput.

1. Ostendemus, attritionem ex solo gehennæ metu conceptam, reconciliationi in Sacramento obtinendæ imparem esse.

2. Amo-

2. Amoris divini initialis necessitas adstruetur.

3. Quis & qualis hic amor esse debeat expendetur.

Sit igitur

ARTICULUS PRIMUS.

Ostenditur, non sufficere in Sacramento attritionem, ex solo gehennæ & pœnarum metu conceptam.

Meminerimus duo hæc plurimum discrepare: quod ad finis nimirum assecutionem res aliqua bona sit, & quod sufficiens sit: multa namque ad eumdem scopum media ducunt, quæ bonitatem quamdam & utilitatem singula seorsim habere negare non possumus: quæ tamen divisim sumpta & seorsum ab aliis sufficere, stultissime dicerentur: attritionem ex gehennæ & pœnarum metu conceptam bonam esse, & ad justificationem in Sacramento obtinendam disponere, contra Lutheri pervicaciam, pro aris ac focis, velut fidei dogma, ut ex prædictis constat, defendimus: at dolorem hunc se solo ad reconciliationem sufficere, illud porro est quod veritati contrarium argumentis convincentissimis demonstramus.

§. PRIMUS.

Afferuntur argumenta.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex eo quod timor gehennæ penitus non excludat voluntatem peccandi.

1. Est: ut attritio ex gehennæ & pœnarum metu concepta, ad reconciliationem in Sacramento obtinendam sufficeret, deberet omnem peccandi voluntatem excludere; atqui peccandi voluntatem penitus attritio hæc, si sola fuerit, non excludit: ergo non sufficit.

Major propositio hujus argumenti est certa; nec adversarii diffitentur: vera enim conversio, quam debet pœnitens ad Sacramentum afferre, non potest cum voluntate peccandi consistere. Deinde ex doctrina Concilii Trid. (*Sess.* 14, *c.* 4) attritio, ut ad gratiam in Sacramento impetrandam *disponat*, debet voluntatem peccandi excludere: ergo multo magis debet excludere, *ut sufficiat*.

Minor vero variis sententiis patrum adstruitur.

S. Augustinus.

Primus occurrit S. August. veritatem hanc multis locis præclarissime explicans.

Sic in Ep. 144, *inaniter*, inquit, *putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis: ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis: & quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, si ejus amore non peccet: tunc enim vere timebit peccare: nam qui gehennam metuit, non peccare metuit, sed ardere: ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit .... tantum porro quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit: quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam.*

Concione 11 in Ps. 118, *qui timore pœnæ*, inquit, *non amore justitiæ opus legis facit, profecto invitus facit: quod autem invitus facit, si possit fieri, mallet utique non juberi, ac per hoc legis, quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus: nec mundatur opere, qui immundus est cogitatione ac voluntate.*

Enar. in ps. 77, ad hæc verba v. 10: Et in lege ejus noluerunt ambulare: *poterat*, inquit, *putari lex operum quasi sufficere ad justificationem, cum ea quæ præcipiuntur, forinsecus fiunt ab eis hominibus, qui mallent non præcipi quæ non ex corde faciunt, & tamen faciunt; ac per hoc quasi videntur ambulare in lege Dei, sed nolunt ambulare: non enim ex corde faciunt; ex corde autem nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ: nam quantum ad facta quæ forinsecus aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant justitiam, nonfurantur: & ideo pares sunt manu, dispares corde, pares opere, dispares voluntate.*

Concione 25 in Psalm. 118, ad hæc verba: Confige timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui: *quid sibi vult*, ait, *quod cum dixisset*, confige clavis a timore tuo carnes meas, *addidit*: a judiciis enim tuis timui? *quid est*, confige a timore tuo: timui enim? *Si enim jam timuerat, vel timebat; cur adhuc, ut a timore suo Deus crucifigeret carnes suas orabat? an addi sibi volebat timorem, ut tantum timeret, quantum sufficeret crucifigendis suis carnibus, id est, concupiscentiis, affectibusque carnalibus: tamquam dicens*, perfice in me timorem tuum (timui enim

enim a judiciis tuis? *sed est hic alius altior sensus, quantum Deus donat, scrutato sinu scripturæ hujus, eruendus*. Confige, *inquit*, clavis a timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui: *hoc est*: timore tuo casto, qui permanet in sæculum sæculi, carnalia mea desideria comprimantur, a judiciis enim tuis timui, cum mihi lex minaretur pœnam, quæ mihi non poterat dare justitiam. *Sed hunc timorem, quo pœna metuitur, consummata caritas foras mittit, quæ non timore pœnæ, sed delectatione justitiæ liberos reddit. Timor namque iste, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, & ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas. Cum vero pœna creditur secutura, latenter vivit tamen: mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat; quia non spiritualiter delectatur ejus bono, sed carnaliter malum metuit quod minatur.*

Lib. de nat. & gratia c. 57, *sub lege est*, ait, *qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati: nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut libere faciat quod occulte desiderat.*

Et denique, ut alia multa prætercam, quæ tædiosum foret exscribere, l. 3 ad Bonifacium, contra duas Ep. Pelagianorum, c. 4, *illi*, inquit, *quicumque ibi* (in Lege veteri) *erant, sola quæ ibi Deus pollicetur terrena promissa sectantes, & quid pro novo Testamento ea ipsa significent ignorantes, eorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore, Dei præcepta servabant; imo non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas, metusque carnalis: sic autem præcepta qui facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit; mavult enim omnino non facere, si secundum ea quæ cupit & metuit, permittatur impune: ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui præcipit inspicit Deus.*

Ex his ratiocinatio ista concluditur:

Ab illo peccandi voluntas penitus exclusa non est, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur; qui inimicus justitiæ est; qui non peccare metuit, sed ardere; qui opus legis invitus facit; qui legis, quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus; qui immundus est cogitatione ac voluntate; qui non ex corde facit, quod bonum facit; in quo latenter vivit peccandi voluntas, qui in ipsa voluntate reus est, qua mallet omnino bonum non facere, si secundum ea quæ cupit & metuit permitteretur impune.

Atqui ex S. Aug. conveniunt hæc omnia in hominem, qui habet attritionem ex solo gehennæ metu conceptam: ergo attritio hæc, peccandi non excludit penitus voluntatem.

S. Gregorius Magnus.

Nec minus aperte loquitur S. Gregorius M. Pontifex Max. *Sanctum electorum Ecclesia*, inquit, (*lib. 3 Moral. cap. 7*) *simplicitatis suæ & rectitudinis vias timore inchoat, sed caritate consummat, cui tunc est funditus a malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cum vero adhuc timore bona agit, a malo penitus non recessit: quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si peccare inulte potuisset, recte ergo cum timere Deum Job dicitur, recedere etiam a malo perhibetur*: (Job 1, v. 1, & 8, & cap. 2, v. 3) *quia dum metum caritas sequitur, ea quæ metu relinquitur, etiam per cogitationis propositum culpa calcatur.*

Et alibi: (*lib. 3 pastor. curæ, admonit. 14*) „ admonendi, *ait*, sunt, qui flagella metuunt, „ ut si malis veraciter carere desiderant, æter- „ na supplicia perhorrescant, neque in hoc sup- „ pliciorum timore permaneant, sed ad amo- „ ris gratiam, nutrimento caritatis excre- „ scant... Nam qui propterea bonum facit, „ quia tormentorum mala metuit, vult non esse „ quod metuat, ut audacter illicita committat. „ Unde luce clarius constat, quod coram Deo „ innocentia amittitur, ante cujus oculos desi- „ derio peccatur. “ Hinc sic argumentor:

Ille peccandi voluntatem ex integro non amisit, qui a malo penitus non recessit, & eo ipso peccat, quod peccare vellet, si posset impune, qui vellet nulla esse metuenda supplicia, ut audacter committere posset illicita; atqui teste S. Gregorio, ita affectus est homo, qui de peccatis ex gehennæ tantum, & pœnarum metu affligitur: ergo &c.

S. Bernardus.

Agens ille de caritate, (Ep. 1.) *puto*, inquit, *de illa dictum*: lex Domini immaculata *convertens animas*: *quod sola videlicet sit, quæ ab amore sui & mundi avertere possit animum. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animam. Mutat interdum vultum, vel actum, affectum numquam.*

Facilis hinc argumenti assumptio: attritio hæc peccandi voluntatem penitus non excludit, quæ actum licet & vultum mutet, numquam tamen mutat affectum; atqui timor pœnarum, cum ab amore sui & mundi non possit avertere animum,

mum, vultum quidem & actum, sed numquam affectum mutat: ergo &c.

S. Thomas.

Aliis SS. Doctoribus prætermissis, quos magno possumus numero allegare, pergimus ad S. Thomam ejusdem doctrinæ strenuum defensorem.

Sic enim 1, 2, q. 6, a. 6, in corp. ponit axioma gentilibus ipsis Philosophis cognitum, scilicet, „ quæ ex metu aguntur, mixta esse ex „ voluntario & involuntario: id enim, *inquit*, „ quod per metum agitur, in se consideratum „ non est voluntarium; sed fit voluntarium „ in casu, scilicet ad vitandum malum quod timetur “.

Ib. a. 7, ad 2, *dicendum*, ait, *quod in eo qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur, secundum quod in se consideratur ... & ideo quod per metum agitur, quodam modo est involuntarium ... timidus enim agit contra id quod etiam nunc secundum se vult.*

Ib. q. 107, a. 1, ad 2: “ lex vetus, *inquit*, „ dicitur cohibere manum, non animum, quia „ qui timore pœnæ ab aliquo peccato abstinet, „ non simpliciter ejus voluntas a peccato recedit, sicut recedit voluntas ejus qui amore justitiæ abstinet a peccato, & propter hoc „ lex nova, quæ est lex amoris, dicitur animum cohibere “.

Et 2, 2, q. 19, a. 9, in corp. „ timor „ servilis non est numerandus inter septem dona Sp. Sancti licet sit a Sp. Sancto; quia ut „ Aug. dicit in lib. de nat. & gratia, c. 57, „ potest habere annexam voluntatem peccandi: „ dona antem Sp. Sancti non possunt esse cum „ voluntate peccandi, quia non sunt sine caritate “.

S. Bonaventura.

Angelico præceptori Seraphicum Doctorem ejus æqualem, adjungimus. Ille commentario in l. 3 sentent. dist. 34, q. 1, de timore, n. 59, affirmat, *metu suppliciorum æternorum, & divinæ justitiæ, hominem cessare a peccatorum perpetratione, sed non omnino a voluntate*: quod idem est, ac si cum SS. Aug. & Thoma diceret, timore manum cohiberi, non animum.

Ib. q. 2, n. 65. explicans verba S. Aug. quando dicit, (*conc.* 25 *in ps.* 118) “ timorem „ servilem non crucifigere carnem, quia vivit „ in eo peccandi voluntas, & sequeretur opus, „ si speraretur impunitas, mallet enim licere, „ & dolet non licere quod lex vetat: dicendum „ vero, *inquit*, quod illo verbo Augustini non „ intelligitur, quod semper quando timet, „ doleat actu, & similiter quod voluntas peccati semper sit in actu: sed hoc dicit, quia „ manet in habitu & radice “.

Hinc sic instauratur argumentum:

Attritio hæc peccandi voluntatem penitus auferre non potest, quæ mixta est ex voluntario & involuntario, quæ includit repugnantiam ad illud quod agitur; quæ non simpliciter voluntatem retrahit a peccato; quæ manum non animum cohibet; quæ potest peccandi voluntatem annexam habere; quæ licet cum actuali peccandi voluntate semper conjuncta non sit, radicem tamen perversæ voluntatis non aufert: atqui ex SS. Thoma & Bonaventura attritionis servilis hæc vitia sunt: ergo &c.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex eo quod gehennæ timor non sufficiat ad cordis conversionem.

2. Huic proximum ex natura ipsa conversionis infertur. Non enim potest homo ad justificationem pertingere, quamdiu cor ejus non est conversum ad Deum, qui veniam non promittit nisi conversis. „Convertimini, inquit, (*Ezech.* 18, 30, *& seqq.*) & agite pœnitentiam ab „ omnibus iniquitatibus vestris, & non erit „ vobis in ruinam iniquitas... revertimini & „ vivite... (*Joel.* 2, 12, *& seq.*) convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, & præstabilis super malitia... convertimini ad me, ait Dominus (*Zac.* 1, 3) exercituum, & ego convertar ad vos “.

Jam sic subsumo; atqui impossibile prorsus est, solo timore gehennæ fieri cordis ad Deum conversionem: quod multis modis ostenditur.

1. Quidem ex natura ipsa conversionis. Quid enim quæso est, converti ad Deum, nisi ad illum reverti quem prius contempseras, in creatura tamquam in ultimo fine acquiescendo: atqui non potest hic ad Deum reditus fieri solo timore, immo nec potest sine ejus amore intelligi.

Nam conversio ad Deum debet esse motus contrarius conversioni ad creaturam, cum oppositorum ex communi & vera philosophorum doctrina contraria causa sit; atqui homo ad creaturam convertitur per amorem: in hoc enim consistit peccati perversitas, quod Deo contempto qui vere est hominis, solumque incommutabile bonum, ordine præpostero creatura tamquam ultimus finis ametur. *Duo mala fecit populus meus*, ait Deus ipse, (*Jer.* 2, 13) *me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Ergo ut homo convertatur ad Deum, non suf-

sufficit ei timere Deum sed prorsus necessarium est amare.

„ Non potest contingere, inquit S. Thomas, „ (3 *part. quæst.* 86, *art.* 2, *in C.*) quod Deus „ remittat offensam alicui, absque immutatio„ne voluntatis ejus. Offensa autem peccati „ mortalis procedit ex hoc quod voluntas homi„nis est aversa a Deo, per conversionem ad „ aliquod bonum commutabile. Unde requiri„tur ad remissionem divinæ offensæ, quod vo„luntas hominis sic immutetur, ut converta„tur ad Deum, cum detestatione conversionis „ prædictæ, & proposito emendandi... Porro, „ *ait idem S. Doctor*, (*lib.* 4 *cont. gent.* „ *Cap.* 72) mens nostra debite ad Deum con„verti non potest sine caritate; *&* *alibi*: „ (3 *part. q.* 85, *art.* 5, *in C.*) motus quo ali„cui peccatum displicet secundum se ipsum, „ est motus caritatis ".

2. Non potest vera cordis ad Deum esse conversio, quin illi restituatur, quod ablatum injuste fuerat. Nam si vera hominis cum homine reconciliatio non est, nisi plena famæ e. c. injuste ereptæ restitutio fiat: quanto minus velle Deo reconciliari putabitur, qui restituere recusabit, quod ei contra fas omne furatus fuerat? atqui homo convertendo se ad creaturam, amorem suum quem mille debebat titulis Deo denigravit; converti ergo ad illum solo timore non potest.

3. Tamdiu cor ad Deum converti nequit, quamdiu idem quod ante fuerat manet; quamdiu nimirum a Deo aversum est; atqui homo qui solo gehennæ metu a peccato abstinet, cor suum a Deo aversum habet, non enim peccare metuit, sed ardere: id quod egregie more suo explicat S. Aug. adducto Lupi rapacis, & Leonis furentis exemplo: *Terrore ingenti armorum, atque telorum*, inquit serm. 15 de verbis Apostol. (*nov. Ed.* 159, *aut* 174) *& circumstantis forsitan multitudinis, vel obviam euntis, etiam Leo revocatur a præda: & tamen Leo venit, Leo redit: prædam non rapuit, non malitiam posuit; si talis es, adhuc justitia est, qua justitia tibi consulis ne torquearis? Quid magnum est pœnam timere? Quis enim non timet? Quis Latro, quis sceleratus, quis nefarius? Sed hoc interest inter timorem tuum, timoremque Latronis, quod Latro timet Leges hominum, tu autem leges ejus times, ejus pœnam times, quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non fecisses? Ergo & concupiscentiam tuam amor tollit, sed timor premit.*

Et serm. 19 de verbis ejusdem Apost. (*novæ Ed.* 178)" quid est magnum, *ait*, timere „ malum?... Deus enim cor interrogat, non „ manum. Lupus venit ad ovile ovium, quæ„rit invadere, quærit jugulare, quærit devo„rare: vigilant Pastores, latrant canes: nihil „ potest, non aufert, non occidit: sed tamen „ Lupus venit, Lupus redit. Numquid quia ovem „ non tulit, ideo Lupus venit, & ovis rediit? „ Lupus venit fremens, Lupus redit tremens: „ Lupus est tamen, & fremens & tremens ". Ergo cor hominis quandiu solo timore abstinet a peccato, idem quod ante fuerat manere, tum S. Aug. auctoritas, tum ratio persuadet, quam gentiles ipsi in idolatriæ cæcitate non ignorabant. Sic Plinius in Panegyrico Trajano dicto: *infidelis*, inquit, *recti Magister est metus*, & Horatius: (*Ep. lib.* 5, *Ep.* 16)

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Tu nihil admittes in te, formidine pœnæ;
Sit spes fallendi, miscebis sacra prophanis.

4. Denique tamdiu impossibile est, cor hominis ad Deum converti, quamdiu prædominante creaturæ amore inardescit: amor enim ille cum malus sit, non potest cum vera cordis conversione consistere: atqui quamdiu ex solo gehennæ metu de peccato commisso dolet, gerit in corde amorem creaturæ prædominantem: Deum enim non amat, ut supponitur. Vel ergo dicendum, quod nihil omnino amet, vel fatendum quod in creaturæ inordinato amore conquiescat; atqui primum dici sine summa absurditate non potest, quod scilicet ab omni amore vacet: cum enim amor sit vita cordis, tam impossibile est, esse sine amore, quam ignem esse qui non ardeat, vel corpus grave, quod innato impetu in centrum non tendat: *Vita cordis amor est*, inquit author libri de substantia dilectionis, quem S. Aug. plerique putant, (*novæ Edit. in append. tom.* 6, *col.* 71) *& idcirco omnino impossibile est, ut sine amore sit cor, quod vivere cupit* ..... & alibi *amor meus, pondus meum; eo feror, quocumque feror.*

Cui concinens S. Fulgentius: (*lib.* 1 *ad Monim.*) *voluntas creaturæ rationalis*, inquit, *sine qualicumque amore non potest esse, nec sic potest diligere, ut amorem suum non velit ad aliquid religare: quæ inter summum bonum a quo creata est, & infimum bonum cui prælata est, medio quodam loco posita, profecto aut in infimo bono necesse est miserabiliter jaceat, aut in summo bono veraciter feliciterque requiescat. Quonam enim amore rapitur seu cum obedientia sublevatur, & creatori bono bene subjicitur, sive cum superbia deprimitur, ut creaturæ bonæ male dominetur.*

Certum itaque sit & constitutum, cor hominis sine amore absolute esse non posse: quod si quis præfracte negaret, non pugnaret modo contra patrum sententiam, sed & contra communem hominum sensum, quibus persuasum est, se quidquid deliberate agunt, amore ali-

quo finis agere, prout est a poeta dictum: *trabit sua quemque voluptas*: quin & quotidiano omnium gentium ac regionum contradicere experimento convinceretur: nemo enim vel repertus unquam est, vel usquam reperietur, quamtumvis rudis ac barbarus, qui non alicujus finis amore ac desiderio teneatur.

Restat igitur ut dicamus, hominem qui solo gehennæ metu de peccato dolet, prædominante creaturæ amore æstuare: cum enim bonum inter creatum & increatum, nihil medium sit; & bonum increatum non amet, quid superest, nisi ut amet creatum? unde sic subsumo:

Atqui amor creaturæ prædominans malus est: ergo qui solo gehennæ metu peccatum fugit ac detestatur, malum intus amorem habet, adeoque converti nisi amore mutato non potest, quod erat probandum.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex novitate doctrinæ, timoris servilis sufficientiam propugnantis.

Tertium, magnique momenti argumentum petitur ex novitate doctrinæ quam impugnamus: vera enim Theologia, cum verbo Dei nitatur, nihil debet admittere, nisi quod Scripturæ & SS. Patribus consentaneum fuerit: unde axioma est, inter bonos quosque receptissimum, hoc ipso doctrinam aliquam de errore esse suspectam, quod nova esse probatur: cum non pendeant Theologica dogmata ab hominum placitis, sed ab institutione Dei. Jam sic subsumo:

Atqui doctrina affirmans, sufficere in Sacramento pœnitentiæ servilem, & sine ullo Dei amore attritionem, novum prorsus commentum est, nudius tertius natum: nam

1. Si antiqua niteretur auctoritate, procul dubio qui illam defendunt, afferrent vel ex scriptura vel ex patribus certa testimonia sufficientiam servilis timoris adstruentia: alioquin enim causam ipsi suam proderent; atqui hujusmodi nulla proferunt instrumenta, tantumque vanas & imbelles obtendunt ratiunculas, & cavillationes potius, quam ratiocinationes, quæ majori facilitate refutantur, quam opponuntur: ergo &c.

2. Non patribus tantum, sed & Theologis, qui a duodecimo sæculo ad tempora Trid. Concilii floruerunt, est aperte contraria: eorum enim una vox fuit, unaque mens, timore solo mutari voluntatem non posse: sic præter cæteros Alexander Halensis, in 4 sent. qu. 17, a. 6, *Dico*, inquit, *quod timor est principium remotum* (pœnitentiæ) *quia ex hoc quod pœnam timet, desistit ab actione peccati, sed nondum justificatur. Sed post incipit* (pœnitens) *moveri in Deum per amorem: & sic timor est principium remotum, amor vero propinquum.*

Et in speculo animæ: *timor*, inquit, *semper cum mortali peccato est, scilicet cum quis dimittit peccatum facere solummodo ratione pœnæ.*

Et in l. de 7 donis spir. sancti, c. 1, *timor servilis non mutat voluntatem in bonum, licet criminis impediat executionem.*

Et ejusdem temporis scriptor S. Thomas, locis prope innumeris, quorum partem aliquam superius delibavimus. Sic enim in 4 sent. dist. 20, q. 1, a. 1, *Antiochus*, inquit, *non habuit veram pœnitentiam, quia non amore justitiæ de peccatis commissis dolebat, sed timore pœnæ quam expectabat.*

Et l. 4 ad Annibaldum, dist. 20, q. unica, a. 1, *veritas pœnitentiæ*, ait, *in fine vitæ non manifestatur: incertum est enim utrum taliter pœnitens solo timore pœniteat, vel ex amore Dei, qui ad veram pœnitentiam requiritur.*

Joannes Nider magni nominis Theologus, in expositione præceptorum decalogi, ad 3 præceptum, c. 8, n. 13, *Si homo*, inquit, *peccacata sua detestaretur, solum quia sunt opposita virtuti morali; aut si solum detestaretur ea propter timorem pœnæ.... tunc homo solum quæreret suum commodum, & fugeret suum incommodum... nec detestatio esset actus virtutis, quia non circumstantionata bono fine, & per consequens non formaretur gratia, nec fieret contritio: ergo &c.*

Plures addere inutile fuerit: constat enim ex prædictis, omnes pene Theologos a sæculo duodecimo ad decimum sextum, in hac fuisse opinione, contritionem perfectam ad sacramentum pœnitentiæ afferendam: ergo dubium esse non potest, quin attritionem ex solo timore, aut turpitudinis peccati intuitu natam insufficientem judicaverint.

3. Hoc ipsum evincit adversariorum confessio, qui licet omni conatu nitantur suam opinionem adstruere, novam tamen esse fatentur, & plenam periculi. Sic præter cæteros Franciscus Suarez, (*in 3 p. S. Th. qu.* 90, *ar.* 4, *disp.* 15, *n.* 17.) „ licet, *inquit*, sit probabilis opinio, „ attritionem (*servilem*) cognitam, cum sa„ cramento sufficere ad justificationem; tamen „ non est certa, & potest esse falsa: quod si „ fortasse ita sit, probabilis illa existimatio non „ sufficit, ut homo salvetur: ergo qui sciens & „ videns, ita se mori permittit, voluntarie ex„ ponit se periculo damnationis æternæ: nam „ ubi est morale dubium, est morale pericu„ lum, præsertim in re tam gravi: hic autem „ est morale dubium, cum illa opinio, nec val„ de antiqua sit, nec multum communis “.

¶ Hu-

¶ Hujusce doctrinæ novitatem præstat uberius exponere, & confirmare animadversione, & auctoritate Summi, ac sapientissimi Pontificis feliciter nunc regnantis Benedicti XIV, qui in lib. de Synodo Diœcesana *lib.* 7, *c.* 3, *n.* 6, *& seqq.* hæc scribit : „ Quamvis ante „ Trid. communiter Theologi docuerint ad „ Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ ob„ tinendam satis esse contritionem imperfe„ ctam, quam jam tum *attritionem* nuncupa„ bant ; attritionis tamen nomine numquam „ dolorem intellexerunt de peccatis aliunde „ excitatum, quam ex motivo charitatis, seu „ omnino sejunctum ab aliquo saltem remis„ so, tenui, debili, seu initiali amore bene„ volo Dei, sicut testatur doctissimus Mori„ nus *l.* 8, *c.* 4, *n.* 2. Omnium autem primi „ Franciscus Victoria, & Dominicus Soto, „ ambo ex Ordine Dominic. docuerunt ad pec„ catorum remissionem, virtute Clavium as„ sequendam, satis esse attritionem mere ser„ vilem, seu conceptam ex solo metu gehen„ næ ; modo tamen hæc a Pœnitente, bona „ fide reputetur contritio, ad quam cætero„ quin eliciendam eum pro viribus conari de„ bere affirmarunt. At Melchior Canus, Vi„ ctoriæ, & Soti sententiam secutus eam præ„ terea extendit ad attritionem mere servi„ lem sic cognitam, hoc est, quæ a Pœni„ tente non existimetur vera contritio, sed „ talis esse cognoscatur, qualis revera est. „ Enim vero si materia proxima Sacramenti „ Pœnitentiæ esset vera contritio, error pœ„ nitentis bona fide se contritum reputantis, „ cum revera contritus non sit, eum quidem „ excusaret a culpa, sed non disponeret ad „ gratiam assequendam in Sacramento, quod „ ex defectu materiæ proximæ esset irri„ tum “......

„ Melchioris Cani sententia vix nota scho„ las omnes pervasit, & tanto plausu excepta „ est, ut plurimos, & magni nominis statim „ invenerit Patronos. *Sed præ cæteris* (in„ quit Morinus cit. loc.) *hanc opinionem ce„ lebrem reddiderunt duo Theologiæ scholasti„ cæ clarissima, ac famosissima lumina, „ Franciscus Suarez & Gabriel Vasquez, „ quos innumeri nunc sequuntur Theologi.* „ Verum qui inter istos doctiores, & sapien„ tiores habentur, pavidi quodammodo, & „ meticulosi, ac magna cum cautela illi re„ centi opinioni subscripserunt, quam ipsemet „ Canus nonnisi dubitanter astruxerat *p.* 5, „ *relect. de Pœnit.* inquiens : *ponitur contritio „ pars Sacramenti, quia est certa; & indu„ bitata materia.. Quod autem attritio suffi„ ciat, quamvis verum sit, non est adeo cer„ tum, & indubitatum : & ideo Concilium „ Florentinum, communisque sententia, tenens „ certum, dimittens incertum, ponit contritio„ nem partem hujus Sacramenti.* Hac eadem „ moderatione loquitur Suarez T. 4, in 3 p. „ qu. 90, art. 4, disp. 15, sect. 4, n. 17, „ ubi obligans fideles, qui lethalem culpam „ admiserunt, ad habendam contritionem cha„ ritate perfectam, in articulo mortis, hanc „ affert rationem : *Nam licet sit probabilis o„ pinio, attritionem &c. tamen non est certa, „ & potest esse falsa. Quod si fortasse in re „ ita est, probabilis ista existimatio non suf„ ficit, ut homo salvetur. Ergo qui sciens, „ & videns ita se mori permittit, voluntarie „ exponit se periculo morali æternæ damna„ tionis. Nam ubi est morale dubium, est mora„ le periculum, præsertim in re tam gravi. „ Hic autem est morale dubium : cum illa opi„ nio nec valde antiqua sit, nec multum „ communis.* Suaresii monitum confirmat Phi„ lippus Gamachæus *Summ. Theol. Cap.* 8, „ *de Pœnit.* inquiens : *etiamsi agnoscamus Pœ„ nitentiæ Sacramentum revera facere ex at„ tritis contritos, non tamen id omnino indu„ bitatum.... Ergo debet tunc conari ad ve„ ram contritionem, ut hoc modo attritio sal„ tem evadat certior.* Et Paulus Comitolus „ in *Resp. Moral. l.* 1, *q.* 32, licet absolvi „ posse doceat, qui ex sola formidine æternæ „ pœnæ de peccatis dolet, hæc tamen pru„ denter addit : *Plures, magnique Theologi in „ Pœnitente, antequam absolvatur, contritio„ nem veram charitate formatam requirunt, „ neque usque adeo certum est attritionem Pœ„ nitenti esse satis : Quocirca Sacerdotis par„ tes præcipuæ esse debent veræ contritionis „ motum in corde Pœnitentis, auxiliante Deo, „ elicere, ardentique eum cohortatione urgere, „ ut propter Deum peccata commissa execre„ tur omnia.* Sed quod isti tanta adhibita cir„ cumspectione affirmarunt, posteriores Docto„ res ob auctum sibi consentientium nume„ rum, animosiores facti, non solum absque „ ulla dubitatione, & limitatione asseruerunt, „ sed contrariam sententiam requirentem in „ Pœnitente aliquem charitatis amorem, sal„ tem initialem, carpere, & censura afficere „ non dubitarunt, eam omnino improbabilem, „ periculosam, Trid. menti contrariam, at„ que implicite, & virtualiter quodammodo „ ab eodem Trid. proscriptam dictitantes : Ve„ rum istos redarguit Card. Pallavicinus &c.

„ Ad hæc, ut observat Launojus in Disser. „ de mente Concilii Trid. circa contritionem, „ & attritionem *p.* 1, *c.* 2, & le Drou *§.* 3, „ ex ipsismet Patribus, & Theologis, qui Con„ cilio Trid. interfuerant, eodem Concilio ab„ soluto, aliqui propugnarunt necessitatem in-

„ choatæ contritionis, seu amoris initialis, ad „ Sacramentum Pœnitentiæ, inter quos Fri- „ dericus Nausea Episcopus Viennensis in Au- „ stria in suo Catechismo, & Franciscus Jon- „ nius Episcopus Antuerpiensis *tract.* 5, *de* „ *Pœn. cap.* 6, &c. " Hactenus sapientissimus Pontifex. ¶

§. SECUNDUS.

Diluuntur contraria argumenta.

Objiciunt. Si attritio ex gehennæ metu concepta, ad reconciliationem in sacramento obtinendam non sufficit; mala ergo est: atque adeo doctrinam capite præcedente statutam evertimus: quodque pejus est, approbamus Lutheri errorem a Concilio Trid. damnatum.

℟. Nego conseq. quantum ad omnes partes. Aliud enim est, gehennæ metum ad reconciliationem disponere, aliud proxime disponere; ita ut nihil amplius requiratur. Primum contra Lutherum, velut certum fidei dogma defendimus: atque adeo bonam hanc attritionem dicimus, utilem, & honestam. Secundum vero, quidquid Noetericorum turba reclamet, constanter negamus, atque id quod adjiciunt, nos Luthero patrocinari, velut tetram calumniam repellimus: illum enim inter & catholicos nulla controversia fuit, utrum attritio orta ex metu, absque ullo Dei amore, ad reconciliationem obtinendam proxime disponeret: (immo amorem esse necessarium ex utraque parte consentiebatur:) bene vero an timor gehennæ esset ex sua substantia bonus, & ad initium pœnitentiæ utilis; ita affirmabant catholici omnes, repugnante cum suis Luthero, & garriente gehennæ metum esse malum medullitus ac peccatum: proindeque veræ pœnitentiæ initium esse non posse: quid vero nobis, amabo, cum hoc errore commercii est, qui timorem pœnarum bonum, utilem, & honestum cum Ecclesia credimus; quamquam aliunde reconciliationi, ad quam remote tantum disponit, consummandæ imparem cum Patribus asseramus, vel ex eo maxime, quod peccandi voluntatem penitus non excludat, neque ad veram cordis contritionem sufficiat?

Inst. 1. At, inquis, unde habemus, de sola timoris utilitate ac bonitate, non vero de ejusdem ad reconciliationem sufficientia, cum Luthero a catholicis discrepatum?

℟. Id haberi ex ipsis Lutheri scriptis, quorum hic scopus est, dolorem ex metu conceptum, velut exitialem, & medullitus vitiosum extirpare: ex Concilii Trid. historia, quæ hoc ipsum certissime attestatur: ex ejusdem concilii canonibus ac decretis, quibus nihil aliud statuitur, quam timorem gehennæ esse bonum ac utilem, & ad justificationem disponere: & denique ex eorum testimonio qui primi contra Lutherum scripserunt: sic præter cæteros *Joannes Eckius* lib. 1 de pœnitentia c. 1: *summa disputationis nostræ est*, inquit, *contendit Lutherus, impugnando veritatem cum confidentia clamoris, contritionem solo amore concipi; si quis autem eam parare velit, recogitando omnes annos suos in amaritudine animæ; hanc contritionem facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: pœnitentiam non nisi amore concipi* . . . & c. 5: *vel fallitur Lutherus, vel vult fallere catholicos . . . fatentur enim & hoc catholici cum S. Paulo: si quis charitatem non habuerit, nihil esse: fatentur, si quis vellet stare in timore servili duntaxat, sicut Judas, quod veram pœnitentiam nunquam adipisceretur: sed per hoc non improbat Lutherus, quin timor sit initium pœnitentiæ; quin per timorem paretur, & acquiratur pœnitentia: is est scopus negotii quem Lutherus non tangit . . . volumus solum impetrare, quod timor pœnæ valeat ad parandam pœnitentiam, quia timore concipitur; & ita timor sit initium pœnitentiæ: nemo catholicus vult timorem esse pœnitentiam.*

Idemque *Joannes Roffensis*, (*ad art.* 6 *Luth.*) *Cardinalis Bellarminus* (*lib.* 1 *de pœn. c.* 6, & *lib.* 2, *c.* 17) & alii attestantur, qui Lutheri impia dogmata refutarunt.

Is itaque scopus erat totius contra Lutherum negotii, timorem servilem ex substantia bonum, utilem, honestumque asserere, & veræ pœnitentiæ, in hoc ipso timore esse initium, demonstrare: adeoque conturbant omnia novelli Theologi, & sus deque miscent, quando inde inferunt timorem servilem sufficientem ad pœnitentiam declaratum, eo quod sit ejus bonitas contra Lutheri delirium vindicata: qua in re, pudet dicere, Luthero incaute patrocinantur, & faciunt ejus causam, causa Ecclesiæ meliorem: numquid enim res probrosissima foret, videre hinc quidem flagitiosissimum hæresiarcham Lutherum, pro amoris Dei, in vera pœnitentia, necessitate pugnantem; illinc vero sponsam Christi Ecclesiam, in caritate ordinatam & radicatam, necessitatem caritatis exterminantem, quæ si unquam necessaria est putanda, nusquam sane magis, quam ubi de Deo placando, & amicitia ejus recuperanda tractatur?

Inst. 2. Attritio ex solo gehennæ metu concepta, vel sufficiens, vel mala dicenda est: nihil est tertium: ideo enim ex nobis non sufficit, quia peccandi nequit voluntatem penitus extirpare: sed quod non potest peccati volun-

luntatem excludere, malum est: ergo nisi fateamur sufficientem, malam dici necesse est.

℞. Nego ant. ad probat. concessa maj. n. min. non enim hoc ipso malum aliquid dici debet, quod perfectione caret: rerum namque omnium, tum in naturali, tum in supernaturali gratiæ ordine primordia inperfecta sunt: numquid ideo mala dicenda? sic ergo attritio ex gehennæ metu concepta, peccandi voluntatem oppugnare incipit; hincque bona esse probatur: omnino non excludit: nec inde sequitur, quod absolute sit mala, sed quod perfecte bona non sit: hinc quoties S. Aug. timorem pœnarum commendat, non sic laudat, ut in eo velit esse sistendum; sed *quia locum præparat caritati; quia ideo intrat, ut introducat caritatem; quia nisi per timorem homo incipiat Deum colere, non perveniet ad amorem:* uno verbo, quia *initium est*, non finis *sapientiæ Christianæ*: unde tum multis aliis locis, tum expressius *in libro de catechizandis rudibus*, *cap. 5*, affirmat, *rarissime, imo numquam contingere, ut aliquis velit fieri christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus:* hinc S. Gregorius M. supra laudatus, docet, *in timore suppliciorum non esse permanendum, sed ad amoris gratiam, nutrimento caritatis crescendum*: hinc denique S. Thomas: *actus pœnitentiæ*, inquit, (*3 p. q. 85, art. 5, in c.*) *a timore servili procedit, sicut a primo motu affectus, ad hoc ordinato; a timore autem filiali, sicut ab immediato & proximo principio.*

Inst. 3. Ut quid ergo patres timorem servilem tanto verborum apparatu commendant, si ad justitiam in Sacramento obtinendam non sufficit?

℞. 1. Retorqueo argumentum, ut quid pœnitentibus fidem, &c. spem habere præcipitur, si nec fides, nec spes sola sine dolore ad contritionem & reconciliationem sufficiat? atque ut ex ipsis rebus naturalibus, quæstionis absurditas ostendatur: ut quid meridiem aurora prævertit, quæ ad dispellendas noctis tenebras se sola non sufficit? ut quid prius est esse puerum, quam adultum? ut quid medici graviter ægrotantibus minora prius applicant, quam ad extrema & efficaciora recurrant? ut quid denique rerum primordia, earumdem incrementa ac perfectionem præcedunt?

℞. 2. Ideo timorem servilem a patribus commendari, quia bonus est, quia utilis, quia initium christianæ sapientiæ, quia ad concipiendum compunctionis spiritum conducibilis, quia fundamentum habet in fide, quia ab exteriori peccato animum peccare volentem deterret, quia peccandi consuetudinem paulatim minuit, quia saltem facit, ut homo sit minus malus & ad justitiam paulatim accedat: uno verbo bonus est ex substantia timor, sed non sat bonus, ut queat ultimam dispositionem ad veram reconciliationem afferre.

Monitum.

Ut facilius pleræque adversariorum tricæ cavillationesque frangantur, diligenter est advertendum, semperque habendum præ oculis, sententiam quam defendimus, duos inter scopulos mediam tenere viam: primus est Lutheri, pertinaciter contendentis, timoris servilis substantiam esse malam: quæ ejus hæresis est, verbo Dei contraria: secundus eorum est, qui ita bonum timorem affirmant, ut velint ad justificationem se solo sufficere; atque adeo amoris divini in reconciliationis negotio, nullam esse necessitatem: quam opinionem etsi hæreticam non dicamus, (absit enim ut Ecclesiæ prævertamus judicium) contendimus tamen scripturæ & patribus adversari, ipsa sua novitate esse suspectam, in praxi periculosam, principio in Ecclesiasticis scriptoribus vulgatissimo repugnantem: *tene certum, relinque incertum*: quo innixus axionate *Innocentius* XI Pontifex Max. hanc quorumdam recentiorum propositionem damnavit; *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*: igitur ita servilis timoris jura tuemur, ut nec malum absolute dicamus, quod est hæreticum; nec sufficientem ad veram, etiam in Sacramento, pœnitentiam, cum divini amoris contemptu prædicemus: quod nimium noxiumque.

Inst. 4. Atqui ita bonus est timor servilis, ut penitus voluntatem peccandi excludat: ergo &c. prob. subs. timor pœnarum vehemens id omne excludit, quod est æterno supplicio puniendum; atqui non modo peccatum exterius, sed ipsa voluntas peccandi, cum peccatum ipsa sit, æterno plectenda supplicio est: ergo illam penitus timor servilis excludit: atque adeo est sufficiens ad reconciliationem dispositio.

℞. Nego subs. ad probat. dist. maj. timor vehemens pœnarum id omne excludit, quod æterno supplicio est plectendum; *excludit*, inquam, *quantum potest*, & *ad hoc obtinendum pro viribus agit*, conc. *excludit revera, quasi nimirum in hoc negotio plus præstet, quam possit*, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. ℞. Fatemur tam esse æterno supplicio castigandam internam peccandi voluntatem, quam peccatum ipsum exterius: unde est a Christo dictum: (*Matt. 5, 27*) *audistis quia di-*

dictum est antiquis, non mœchaberis: *ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*: fatemur insuper, vehementem æterni supplicii timorem conari quantum in se est, ut id omne excludatur, quod æterno supplicio est puniendum; sed cum causa non plus præstet, quam possit, neque valeat suam agendi virtutem excedere; dicimus, ideo internam peccandi voluntatem non posse solo gehennæ timore depelli, quia voluntatis correctio timoris superat potestatem: non enim potest mutari nisi motu contrario; atqui ideo mala voluntas est, quia in creatura, amore illicito conquiescit: ut ergo desinat esse mala, & bona esse incipiat, prorsus necessarius est amor bonus; *regnat enim carnalis cupiditas*, inquit S. Aug. (*Enchirid. c.* 17). *ubi non est Dei caritas*.

Inst. 5. Ideo attritio ex gehennæ metu concepta, non esset ad justificationem sufficiens, quia plene, ut prædiximus, voluntaria non esset; atqui falsum consequens, & definitioni Concilii Trid. contrarium; sic enim sessione 14, cap. 4, ad finem, legimus definitum; *quamobrem falso docent hæretici, contritionem esse extortam & coactam, non liberam & voluntariam*, & ib. can. 5, *si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem.... peccatorum, qua quis recogitat omnes annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem .... & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ; non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; & esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium, anathema sit*, ergo &c.

℞. Concessa maj. n. min. ad probat. admitto auctoritatem, & n. conseq. toto namque cœlo distat nostra sententia a damnato Lutheri dogmate: volebat ille attritionem ex metu conceptam, natura sua esse coactam & extortam; neque in actione consistere, sed in passione qua conscientia, etiam si nolint, invita quatitur ac conturbatur, quem duplicem errorem catholica veritas refugit, & ratio ipsa refellit: dolor namque ille, voluntatis affectio est, unde necessario sequitur quod sit liber, cum in voluntatem coactio cadere nequeat: deinde peccatores ad timorem Deus hortatur & excitat: *timete eum*, inquit, (*Matt.* 10, 28) *qui potest & corpus & animam perdere in gehennam*; ergo non in mera passione, sed in actione consistit: nam quæ agere nostrum non est, & in quibus sola passio locum habet, Deus non præcipit; cum præceptum non cadat nisi in ea, quæ facere ipsi tenemur: itaque contra Lutheri præsumptionem certo & indubitanter asserimus, timorem ex metu gehennæ conceptum, esse absolute, & ex natura sua voluntarium.

At nihilominus non esse plene & omni ex parte voluntarium, merito contendimus, non enim plene voluntarium dici potest, quod ex voluntario & involuntario mixtum est: atqui attritio ea gehennæ metu concepta, mixta est ex voluntario & involuntario, quod nisi verum assentiamur, contradicimus Aug. ita loquenti: (*Conc.* 11 *in Ps.* 118) *qui timore pœnæ, non amore justitiæ opus legis facit, profecto invitus facit, quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non juberi: ac per hoc legis, quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus*: contradicimus S. Thomæ, idem non modo affirmanti, sed & causam cur ita affirmet convincentem afferenti: *timidus*, ait, (1, 2, *quæst.* 6, *art.* 7, *ad* 2) *agit contra id quod nunc secundum se vult*..... (*ib. art.* 6, *in c.*) *illud quod per metum agitur, in se consideratum non est voluntarium in casu, scilicet ad vitandum malum quod timetur*: contradicimus S. Damasceno, S. Gregorio Nysseno, & aliis sacris doctoribus: immo & Gentilibus ipsis Philosophis, qui principii loco unanimiter posuerunt, ea quæ metu aguntur, partim habere consentientem, partim repugnantem voluntatem: quod si quis obstinate, tanto auctoritatis ponderi non cedendo, negaverit: hunc ad propriæ testimonium conscientiæ remittimus, & rogamus ut attente consideret, utrum quod solo metu, nativæ inclinationi contrarium operatur, quomodo sæpe contingit, plena absolutaque faciat libertate?

Inst. 6. Quodcumque tandem in latus opinio nostra vertatur, ex illa tamen sequitur, attritionem ex metu gehennæ conceptam, extortam aliquatenus esse, non liberam; atqui repugnat hoc consequens definitionibus Concilii Trid. modo laudatis: ergo &c.

℞. Dist. maj. sequitur, attritionem ex metu gehennæ conceptam, extortam esse, non liberam, *vitio timentis*, conc. *vitio timoris ipsius*, nego maj. dist. pariter min. repugnat Concilio Trid. dicere attritionem ex metu gehennæ conceptam, extortam esse & coactam, *vitio suo*, conc. *vitio alieno*, timentis scilicet, n. min. & conseq.

E. R. Lutheri hallucinatio fuit, attritionem secundum se & ab intrinseco malam esse, sive proprio vitio includere flagitii voluntatem: adeoque quo vehementior fuerit, eo hominem peccatorem magis & hypocritam evasurum, longe aliter nos, hanc voluntatis effrænem appetentiam, vitio timentis adscribendam cum, pa-

patribus propugnamus: quod vitium est attritioni extraneum, & ad illam mere concomitanter se habet; quomodo informitas fidei, est fidei informi secundum naturam extranea, nec de illa fides ipsa, sed fidelis, destitutus caritate, est accusandus: revocet studiosus Theologus in memoriam, quæ superiori capite diximus contra Lutherum ostendendo, timorem pœnarum intrinsecus esse bonum.

Inst. 7. Atqui ex SS. Patribus ita bona & libera est attritio ex gehennæ metu concepta, ut ad justificationem, sine ullo divini amoris sensu, plene absoluteque sufficiat: ergo &c.

Prob. subs. congestis eorum pluribus testimoniis.

S. Basilius: *quemadmodum*, inquit, (*comm. in Ps.* 33) *qui corporis membra habent clavis transfixa, ad actionem quamlibet immobilia ea habent; sic ii quorum animam occupavit Dei timor, omnem prorsus importunam peccandi occasionem vitant.*

S. Hieronymus: *vult primum Deus*, ait, (*in cap.* 1 *Malac.*) *ut filii ejus simus, & bonum voluntate faciamus, si hoc consequi nolumus, saltem ut servos nos habeat, & a malis per suppliciorum formidinem recedamus.*

S. Augustinus: (*Enarr. in Ps.* 63) *ama & time: ama quod promittit Deus, time quod minatur Deus; nec corrumperis ex eo quod promittit, nec terreberis ex eo quod minatur homo.*

S. Gregorius M. (*lib.* 15 *Moral. c.* 16) *mens nostra tanto valentius terrores verum temporalium despicit, quanto se auctori eorumdem temporalium veracius per formidinem subdit, quæ in timore Domini constituta, non invenit extra quod metuat: quia dum recto metu, conditori omnium jungitur, potestate quadam supra omnia sublevatur.*

Ex his & similibus patrum effatis sic informatur argumentum.

Illi putant gehennæ metum se solo ad justificationem in Sacramento obtinendam sufficere, qui dicunt hominem timore perculsum, vitare omnem occasionem peccandi, a malis recedere, conditori omnium subjici atque conjungi: atqui ita sentiunt patres: ergo &c.

℞. Nego subs. ad probat. admitto auctoritates, & dist. maj. illi putant gehennæ metum ad justificationem in Sacramento obtinendam sufficere, qui dicunt &c. *Si hæc omnia timori attribuant cum exclusione amoris*, conc. *secus*, n. maj. dist. pariter min. de timore sic sentiunt patres, *quatenus amori conjunctus est*, conc. *de timore seorsim sumpto* n. min. & conseq.

E. R. Laudari a SS. Patribus servilem timorem, numquid negamus, cum e contrario eorum sententiis, Lutheri temeritatem inscitiamque redarguamus? sed nos inter, & recentiores, quibuscum modo contendimus, controversia est; utrum sic timor ille a patribus efferatur, ut ad reconciliationem in Sacramento pœnitentiæ obtinendam, absque ulla divini amoris scintilla ex eorum mente sufficiat: illud vero nec hactenus probarunt, nec probabunt in posterum, nisi expressiora pro se testimonia e patrum scriniis eruant: nam

1. Quod ex S. Basilio afferunt, in summo rigore de fuga peccati exterioris potest intelligi, pari sensu quo est a S. Aug. dictum, *pœnæ timore fieri, ut non impleatur foris negotium malæ cupiditatis.*

2. Quam parum adversariis sententia S. Hieronymi faveat, textus ipse satis superque demonstrat: sic enim Dei filios a servis distinguit, ut illos affirmet bonum voluntate facere, istos e contra a malis recedere per suppliciorum formidinem: filius porro Dei nemo est, nisi per amorem: judice ergo Hieronymo boni faciendi, adeoque & mali vitandi voluntatem solus amor Dei inspirat: unde reliquum est, eos qui more servorum recedunt a malis per suppliciorum formidinem, vultu vel actu non affectu esse mutatos.

3. Quod S. Gregorium & Aug. opponant, mirum profecto: nec ullo magis argumento probatur, quantum opinio hæc vera auctoritate destituta, nudataque sit, quippe quæ male consutis patrum laciniis vestiatur: luce namque meridiana clarius est Aug. & Gregorium pro amoris ad veram conversionem necessitate, tamquam pro aris ac focis pugnasse; de quo si quis dubitet, referat oculos ad eorum testimonia superius allegata.

Itaque rogandi adversarii, ut qui nobiscum ad timoris bonitatem tuendam, contra Lutheranos patrum auctoritate nituntur; eosdem nobiscum ad timoris insufficientiam agnoscendam, & prædicandam divini amoris necessitatem, audire judices non recusent: iniquum namque est, patribus ad hæreticos refellendos præstare fidem, & iisdem, ubi de præconceptis opinionibus agitur, nolle acquiescere.

Inst. 8. Atqui quæ ad probandam timoris insufficientiam ex patribus congeruntur, contra timoris servilis defensores nil faciunt: ergo &c.

Prob. subs. nihil hæc testimonia probant, si possint commode explicari, vel de solo timore naturali, vel de timore pœnarum, quæ legibus decernuntur, vel demum de servilitate timoris, quæ affectum ipsum peccati conjunctum

junctum habet: atqui patrum sententiæ in hos facile sensus inflecti possunt: ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. concessa maj. n. m. & dico has interpretationes gratis & contra apertam Sanctorum mentem, ad eorum eludendam auctoritatem excogitatas: quod multis modis ostendo.

1. Si patres de solo naturali timore, vel de metu legum civilium, vel de servilitate timoris sentirent, quod ad justificationem obtinendam non sufficit; suam de hac re mentem alicubi aperirent, factoque discrimine, timori æternæ gehennæ tribuerent, quod de alio quovis negarent; atqui hanc tantam discretionem nullibi faciunt, nec usquam dicunt, posse timorem supernaturalem gehennæ, omnem peccandi voluntatem excludere, quod legum humanarum metus naturalis non potest: Imo generaliter ubique pronunciant, eum qui ab opere peccati abstinet timore supplicii, nondum alienum esse a voluntate peccandi, ipsaque voluntate reum manifestari, qua vellet male facere, si posset impune: vim ergo eorum textibus adversarii inferunt, distinctionem, de qua ne cogitarunt quidem sancti Doctores, comminiscendo.

2. Quod ajunt, de supernaturali gehennæ timore non loqui, quando affirmant, solo timore conversionem non fieri, ad fontem recurrenti manifesto falsum esse constabit: ubique enim expressam faciunt mentionem illius gehennæ, quam fide credimus a Deo peccatoribus impœnitentibus præparatam: quale est illud S. Aug. (*Ep.* 144) *qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere: ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum, sicut gehennas odit... tantum porro quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit*; cui simile est, quod alibi dicit: (*Serm.* 15 *de verb. Apost.*) *quid magnum est pœnam timere? quis enim non timet? quis latro, quis sceleratus, quis nefarius? sed hoc interest inter timorem tuum, timoremque latronis, quod latro timet leges hominum, tu autem leges ejus times, pœnam ejus times, quem fallere non potes: nam si fallere posses, quid non fecisses? ergo & concupiscentiam tuam non amor tollit, sed timor premit*; & alio in loco: (*Serm.* 10 *de verb. Apost.*) *audeo dicere*, inquit, *si timore gehennæ non facit malum, est quidem in te fides qua credis futurum Dei esse judicium: gaudeo fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ*: nec alterius significationis sunt cætera quæ superius attulimus testimonia, ad quæ studiosum lectorem remittimus.

3. Sancti patres ita de omni & quolibet timore pronunciant, quod non sufficiat ad cor immutandum, ut solo hoc fieri posse Dei amore concludant, ut evidens est ex eorum sententiis hactenus allegatis, magisque constabit ex aliis quæ sequente articulo proferentur: eorum itaque verba nec de solo timore naturali, nec de metu legum civilium, nec de sola servilitate timoris, sed de ipso etiam metu supernaturali gehennæ accipi debent: ut quid enim dicerent, solo amore fieri posse veram cordis ad Deum conversionem, si cum recentioribus crederent, huic effectui producendo timorem gehennæ haud imparem esse?

4. Denique, fatentibus ipsis adversariis ideo timoris servilitas ad conversionem non sufficit, quia affectum peccati conjunctum habet: atqui juxta sanctorum doctrinam, tamdiu in corde regnat timoris servilitas, quamdiu in illud non intrat Dei caritas, & aliunde necessarium est, qui caritatem non habet, affectum peccati habere, *quia*, inquit S. Aug. *regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas*: nullum ergo dubium est, quin sancti patres propugnantes timoris insufficientiam ad conversionem, de ipso timore supernaturali loquantur.

Inst. ultimo. Saltem novitatis accusari non debet doctrina, volentium ad justificationem sufficere timorem servilem: ergo &c.

Prob. anteced. opinio hæc immerito novitatis arguitur, quam plerique olim Theologi longe ante Concilium Trid. propugnaverunt: atqui doctrina de servilis attritionis sufficientia eximios ab ipso duodecimo sæculo habuit defensores. Plerique enim ex hoc tempore docuerunt, attritionem in Sacramento sufficere: atqui attritionis nomine vulgo intelligitur dolor ex gehennæ metu conceptus: ergo &c.

℟. Nego antec. novum enim dogma merito dicitur, quod nec divino eloquio, nec sanctorum patrum definitionibus communitur; atqui hujusmodi opinio est, de sufficientia timoris servilis, quam scripturæ & traditioni esse contrariam, argumenta plurima sic persuadent, ut penitus evincant: hinc fatetur Suarez, *nec valde antiquam esse, nec multum communem*: idemque Dominicus Soto affirmans: (*in* 4 *sent. dist.* 19, *q.* 2, *art.* 6) *non est*, inquit, *Evangelica assertio, aut Ecclesiæ definitio, neque apud Augustinum, aliumve istius classis authorem reperitur*: quibus consentiens Andreas Vega: (*lib.* 6 *in Conc. Trid. c.* 28) *& quidem*, inquit, *dilectionem Dei esse dispositionem ad justitiam*, (adeoque non sufficere timorem servilem) *doctrina est Christi, Apostolorum, & Sanctorum Ecclesiæ doctorum*.

Ad probat. transeat major, & n. min. nam 1. Ut c. 2 probatum est, Theologorum pene omnium a sæculo duodecimo, ad tempora

ra Concilii Trid. assertio fuit, ad Sacramentum pœnitentiæ perfectam contritionem necessario esse præmittendam: immerito itaque & cum eorum injuria, quasi attritioni servili patrocinati fuerint, allegantur.

2. Cum facti ista quæstio sit, qua de mente Theologorum veterum, utrum pro attritionis servilis sufficientia steterint, disceptatur, debet ex verbis eorum, expressisque sententiis dirimi; atqui recentiores quibus cum contendimus, sæpius licet rogati, atque etiam importune lacessiti, ut testes ac defensores suæ doctrinæ ex antiqua ætate proferrent, hactenus de hac re siluerunt, neminemque qui sibi expresse & conceptis terminis faverit, allegarunt: neque hoc mirum: *nam*, inquit Andreas Vega, (*lib. 6 in Conc. Trid. c.* 30) *dilectionem Dei necessariam esse ad nostram justificationem, apud omnes Theologicos tractatores quos legerim, receptissimum est:* hinc Joannes Morinus Gallicani Oratorii presbyter, qui in colligendis Theologorum placitis diligentissimam posuit operam; *antiqui scholastici omnes*, inquit, (*de Sacram. pœnit. lib.* 8, *c.* 4, *n.* 7) *ad annum usque millesimum quingentesimum, ut patres prætereatm, longe copiosius & magnificentius de obligatione dilectionis divinæ statuerunt; ut vel ex recentioribus colligitur, dum eos refutant.*

Ad probationem minoris:

R. 1. Nego maj. paucissimos enim antiqua hac ætate reperias, qui dixerint attritionem in Sacramento sufficere; longeque major eorum, ut prædiximus, numerus fuit, qui pro perfectæ contritionis necessitate certarunt; ne vero putet aliquis, paucos illos, recentioribus attritionis servilis defensoribus prævisse:

R. 2. Transeat major, & dist. min. attritionis nomine vulgo intelligitur dolor, ex solo gehennæ metu conceptus; sic, inquam, intelligitur in scholis hodiernis ab iis qui contra amoris in Sacramento necessitatem pugnant, concedo, sic intelligebatur ab antiquis Theologiæ expositoribus, nego min. & conseq.

E. R. Nomen attritionis, ut supra monuimus, æquivocum est, & diversos sensus habere potest; ut enim cæteras ejus significationes prætermittamus, quas discutere præsentis non est instituti; 1 dolorem ex solo gehennæ metu conceptum, 2 etiam dolorem ex Dei amore initiali enatum significat.

Fateor, primo sensu a recentioribus accipi; sed nego ejusdem in veterum scriptis, significationis fuisse: qui enim volebant contritionem & attritionem ejusdem esse speciei, nec aliter differre, nisi secundum magis, & minus, profecto attritionis nomine non intelligebant dolorem, solo gehennæ metu excussum; atqui Theologi veteres contendebant, contritionem & attritionem in eadem specie contineri, tantumque differre secundum majorem & minorem divini amoris fervorem.

Sic Guillelmus Parisiensis: (*tract. de pœnit. c.* 6) *si quis quærat*, inquit, *quæ sit differentia inter attritionem & contritionem, dico quod attritio ad contritionem se habet, sicut vulneratio ad occisionem.... sicut calefactio ad arsionem, & sicut illuminatio ad irradiationem; hoc est, sicut lumen crepusculi ad radium.*

Similiter Petrus Paludanus: *non est dubium*, ait, (*in* 4, *dist.* 17, *quæst.* 11) *quin attritio possit fieri contritio, sicut de mane fit meridies.*

Et Angelus de Clavasio in summa: (*verbo contritio, nu.* 1) *contritio & attritio, materialiter idem sunt, sicut domus obscura & illuminata: attritio quippe est delux auroræ, quæ crescendo fit meridies, id est, contritio.*

Hinc Card. Cajetanus: (*in opus. de contritione*) *commune est dictum*, inquit, *quod contritio & attritio differunt secundum magis & minus.*

Itaque longe aliter nomen attritionis Theologi veteres accipiebant, ac modo intelligi solet ab iis, qui timorem servilem satis esse in Sacramento contendunt: adeoque puerile argumentum est, ab hujus vocis æquivocatione petitum.

ARTICULUS SECUNDUS.

Divini amoris saltem initialis, ad veram attritionem necessitas demonstratur.

Sequitur hæc assertio ex præcedenti; nam si ad veram attritionem dolor ex gehennæ metu non sufficit, plane consequens est; aliquem Dei amorem, & saltem inchoatæ dilectionis motum esse necessarium: quod nec ipsi adversarii diffitentur.

§. PRIMUS.

Proferuntur argumenta.

PROBATIO PRIMA.

Ex Sacris Litteris.

Non unius modi sunt, huc pertinentia testimonia scripturarum: itaque in diversas classes, ut vitetur confusio, redigenda.

In primo ordine ea ponimus, quibus præcipimur, super omnia amare Deum.

Audi Israel, ait per Moysen Sp. Sanctus, (*Deut.* 6, 4, *& seqq.*) *Dominus Deus noster, Dominus unus est: diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua: eruntque & movebuntur inter oculos tuos*: ejusdem sensus sunt verba Christi: (*Matth.* 22, 36, *& seqq.*) *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum & primum mandatum.*

In 2 ordine sunt, quibus significatur hominem reconciliari cum Deo non posse, nisi ad illum ex toto corde convertatur: *cum quæsieris Dominum Deum tuum*, inquit Moyses, (*Deut.* 4, 29) *invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ . . . quod si peccaverint tibi*, ajebat Deo supplex Salomon in dedicatione Templi, (3 *Reg.* 8, 46, *& seqq.*) . . . . *& egerint pœnitentiam in corde suo . . . & reversi fuerint ad te in universo corde suo, & tota anima sua . . . exaudies orationes eorum . . . . & propitiaberis populo tuo, qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum, quibus prævaricati sunt in te . . . nunc ergo dicit Dominus*, (per prophetam *Joel.* 2, 12, *& seqq.*) *convertimini ad me in toto corde vestro . . . . & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: & convertimini ad Dominum Deum vestrum.*

In 3 sunt, quibus affirmatur hominis justitiam & reconciliationem a Dei amore pendere: *ego diligentes me diligo*, inquit sapientia æterna, (*Prov.* 8, 17) *& qui mane vigilant ad me, invenient me . . . Remittuntur ei peccata multa*, ait Christus, (*Luc.* 7, 47) *quoniam dilexit multum* . . .& Joannis 14, v. 23, *si quis diligit me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: qui non diligit me, sermones meos non servat* . . . Ephes. 6, v. 24, *gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum, in incorruptione* . . . 1 Petri 4, 8, *caritas operit multitudinem peccatorum* . . . . . 1 Joannis 3, v. 14, *qui non diligit, manet in morte* . . . . ib. c. 4, v. 16, *Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.*

In 4 sunt quibus affirmatur, inutilia ad salutem esse opera, quæ de caritatis radice non surgunt. Sic enim Christus: (*Matt.* 10, 37) *qui amat*, inquit, *patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus*: nec minus expresse Apostolus: (1 *Cor.* 13, 1, *& seqq.*) *si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens: & si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; caritatem autem non habuero, nihil sum: & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

In 5 denique ea ponimus, quibus significatur hominem sub maledicto legis esse, & anathemate dignum, quamdiu Deum non amat: quale est istud: (1 *Cor.* 16, 22) *si quis non amat Dominum Jesum Christum, sit anathema.*

Ex his, aliisque prope innumeris scripturarum oraculis, quæ ubique in utroque testamento occurrunt, eruo quæ sequuntur argumenta:

Primum est: præceptum de Deo super omnia diligendo, magnum est & primum mandatum, unde universa lex pendet & prophetæ, ut Christus in Evangelio loquitur: (*Matth.* 22, 40) ergo toto vitæ tempore, aut saltem (ne quid videamus asperius loqui; si tamen asperum videri potest, amare Deum,) sæpius in vita est adimplendum; jam sic subsumo:

Atqui nulla rerum, temporumve circumstantia est, in qua præceptum de Deo diligendo plus urgeat, quam ubi agitur de obtinenda venia peccatorum, & recuperanda per pœnitentiam Dei gratia: ideo enim homo iram ejus concitavit, & contraxit cum illo inimicitiam, quia peccavit: ideo peccavit, quia non amavit; cum in hoc peccatum omne mortale consistat, quod amor Deo debitus, in creaturam ordine præpostero transferatur: ergo tum potissimum amare tenetur, cum dolet se non amasse, & conatum exerit omnem, ut in ejus amicitiam redeat: quod qui negant, non modo contra scripturam sentire mihi videntur, sed & contra communem sensum, eam nimirum volendo veram esse hominis cum Deo reconciliationem, quam hominis eum homine veram esse non concederent.

Ponamus enim patrem familias graviter offensum a filio, quem efflictim amaverat: ponamus iterum filium dolore tactum, velle ad patrem reverti, & cum illo redire in gratiam; sicque parentem optimum alloqui: doleo pater, & quam possum vehementer, quod te of-

fen-

tenderim doleo: male actæ vitæ veniam enixe ad tuos provolutus pedes efflagito: totum me deinceps, crede mihi, mutatum agnosces in melius: quantum præterito tempore rebellem, tantum experiere obsequentem: nequid tamen te fallat ista mea confessio: non mihi amor erga te meus, cujus nec levem scintillam experior, sed timor una redeundi est causa: etiam dum me pœnitentem profiteor, non amo te, nec alia mihi pœnitendi, quam quæ timendi ratio est: non amo beneficium, timeo qui potest cessare esse beneficus: non amo amantem, timeo pœnas exigentem: non amo tuam hanc erga me profusissimam caritatem; timeo exhæredationem tuam; hoc unum itaque peto (nec existimo aut indecenter a me postulari, aut a te decenter negari posse) ut ames non redamantem, & sit timoris mei præmium, amor tuus: jam quæso num possit aliquis adeo conturbati esse judicii, ut tam pravæ indolis filium, vere pœnitentem, & misericordia patris dignum audeat affirmare? ita porro se habet erga Deum quisquis parentem tam bonum, tam misericordem, tam beneficum peccando offendit; fatendum ergo veram ejus cum Deo reconciliationem esse non posse, si præter timorem ad pœnitentiæ Sacramentum nil afferat: eoque indigniorem venia esse, quod diligendi Dei præceptum hoc ipso tempore violet, quo vehementius de non amato dolere debet.

Secundum huic simile est: peccatori venia nulla speranda, quamdiu ad Deum ex toto corde non convertitur: hæc enim lex ejus est, non minus in nova lege, quam in veteri obligans: *si toto corde & tota tribulatione animæ tuæ quæsieris*, inquiebat per Moysen, *invenies eum* . . . & per Salomonem: *si peccaverint tibi . . . . & reversi fuerint ad te, in toto corde suo & in tota anima sua . . . . . exaudies orationem eorum, & propitiaberis* &c. atqui peccator Dei amorem appretiative summum, saltem initialem, non habet, ad Deum ex toto corde non convertitur, non quærit in toto corde: nam quæso, quomodo quærit ex toto corde qui amore non quærit, cum in amore cordis impetus actioque consistat? quomodo cor totum dat Deo, qui totum negat, & nec partem ejus dignatur concedere? sed qui Deum amare non incipit, totum illi cor denegat: ergo &c.

Tertium: vera cordis conversio, quam in Sacramento pœnitentiæ necessariam esse nemo negat, sine dolore ac detestatione peccati esse non potest: nihil porro in peccato detestabilius est, & magis odio dignum, quam quia contra Dei amorem est perpetratum: quoties enim peccatur mortaliter, præceptum de Deo amando infringitur: mandatum namque hoc magnum est, unde universa lex pendet: qua vero fronte audebit aliquis dicere, se de Deo non summe amato dolere, si ne tunc quidem amare incipiat, quando dolere se profitetur? ergo &c.

Quartum: quisquis peccavit mortaliter, reus furti contra Deum, & enormis injustitiæ factus est: ideo autem potissimum est latro effectus, quia amorem summo Deo mille titulis debitum, in vilem transtulit creaturam: vere ergo pœnitens, & venia dignus censeri non potest, nisi restituat quod injuste abstulit: *non dimittitur delictum, nisi restituatur ablatum*: atqui amoris restitutio, nisi amando fieri nequit: vere ergo pœnitens, vereque conversus, qui non amat dici non potest.

Nec est quod reponatur, dimitti, etiam sine restitutione delictum, si restituendi facultas desit: sic enim absolvi potest, imo & debet, qui decem nummos furatus, ad tantam redactus est egestatem, ut nec ex integro, nec ex parte valeat restituere: hæc, inquam, oppositio, argumentum confirmat magis quam vim ejus imminuat: quamquam enim in hoc casu restituere homo non tenetur, cum nemo obligetur ad impossibile, tenetur tamen (quod in ejus est potestate) veram habere restituendi, quando poterit, voluntatem; nec alia potest conditione absolvi. Jam sic subsumo; atqui ad restituendum Deo amorem, sola opus est voluntate, cum amor ipse actus voluntatis sit, quo nihil magis est in hominis potestate, ergo qui non amat, hoc ipso nolle amare convincitur: quod si amare non vult, restituere ablatum non vult: adeoque nec est conversus, nec venia dignus.

Quintum. Quamdiu homo in morte spirituali jacet, putari non potest ad gratiam reconciliationis obtinendam dispositus: *illos enim solum*, inquit S. Gregorius M. (*hom. 26 in Evang.*) *debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare*: atqui ex scriptura sacra, *qui non diligit manet in morte*: neque id mirum, cum caritas sit spiritualis animæ vita: ergo &c.

Deinde. Tunc homo justificatur, cum Deus ad eum venit, ut faciat apud illum mansionem; atqui teste & doctore Christo, non venit Deus nisi ad illum a quo diligitur, *si quis diligit me . . . . & pater meus diliget eum: & ad eum veniemus* &c. ergo qui non diligit, caret conditione, ad justitiam & reconciliationem prorsus necessaria.

Præterea motus ille est ad justitiam & reconciliationem penitus necessarius, a quo tamquam a causa pendet peccatorum remissio;

atqui eodem doctore Christo, a caritate tamquam a causa dependet peccatorum remissio: *dimissa sunt ei*, inquit, *peccata multa*, *quoniam dilexit multum*: ergo &c.

Sextum sic informatur: qui magis aliquid diligit quam Deum, non est Deo dignus; adeoque quamdiu in hoc statu manet, gratiam nequit & justitiam obtinere; atqui peccator sine ullo divini amoris sensu ad Sacramentum accedens, magis aliquid amat quam Deum, Deum enim non amat, ut supponitur, sed impossibile est, ut penitus nihil amet: quia, ut prædiximus, non potest cor hominis vivere sine amore, quomodo non potest sine calore esse ignis; amat ergo creaturam, magisque amat quam Deum, quem omnino, in hypothesi nostra, non amat: unde iterum sequitur, quod Christo dignus non sit, & non possit peccatorum veniam obtinere: *de quo Christus dicit*: non est me dignus: inquit S. Aug. (*novo edit. serm.* 349) *non est cum illo*: *qui cum illo non erit*, *ubinam erit . . . . time sine illo esse*; *quia cum diabolo eris*, *si cum Christo non fueris*.

Septimum. Qui nihil est coram Deo, & cui opera omnia quæ facit, quantumlibet excellentia videantur, ad justitiam nihil prosunt, non potest dici ad illam obtinendam sufficienter dispositus; atqui ex Apostolo, homo qui caritatem non habet, coram Deo nihil est, nec ei prodesse quidquam possunt opera omnia quæcumque facit, ne excepto quidem martyrio, quo nullum est opus in religione sublimius, cujusque tanta dignitas & efficacia est, ut baptismo æquiparetur: ergo qui præter gehennæ metum, ad Sacramentum pœnitentiæ nihil affert, coram Deo nihil est, nihil prodest ei timor suus: atque adeo justificari non potest: quis enim dicere audeat, majorem timoris, quam martyrii esse virtutem?

Octavum. Qui sub anathemate est, & pœnis æternis obnoxius, procul dubio ad peccatorum veniam obtinendam nondum est satis dispositus, atqui ex Apostolo qui non amat Dominum Jesum Christum, est sub anathemate, pœnamque æternam meretur: ergo &c.

PROBATIO SECUNDA.

Ex eo quod posita sententiæ contrariæ veritate, divini amoris necessitas penitus evanescat.

Alteram ex divini amoris mandato petimus, nec minus efficacem probationem: nisi homo ad reconciliationis Sacramentum accedens, teneretur aliquo Dei amore, & inchoatæ saltem dilectionis motu informare actum attritionis, inde sequeretur quod posset salutem æternam consequi, etiamsi nec semel in vita Deum amasset; atqui falsum illud consequens, & ab omni pietatis sensu abhorrens: hinc merito clerus Gallicanus in comitiis generalibus an. 1700 habitis, sequentes propositiones, ab *Innoc.* XI Pont. Max. magna ex parte jam ante damnatas (*die* 2 *Martii an.* 1679) confixit:

„ 16. Sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ moralis.

Censura: *hæc propositio est hæretica*.

„ 17. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, affirmare non audemus.

„ 18. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum caritatis erga Deum.

„ 19. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam qua justificari possimus.

„ 20. Præceptum amoris Dei per se tantum obligat in articulo mortis.

„ 21. Præceptum affirmativum amoris Dei & proximi, non est speciale, sed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisfit".

Censura: *hæ propositiones sunt scandalosæ*, *perniciosæ*, *piarum aurium offensivæ*, *erroneæ*, *impiæ*, *primum & summum mandatum irritum faciunt*, *atque Evangelicæ legis spiritum extinguunt . . . .* ergo &c.

Probatur major: ille potest sine ullo dilectionis motu salvari, qui potest absque ulla amoris scintilla fieri justus; nam qui gratia sanctificante donatur, habet in se æternæ gloriæ germen, & adoptivus Dei filius fit: quod si filius, habet hoc ipso æternæ hæreditatis promissionem: *ipse spiritus*, ait S. Paulus (*Rom.* 8, 16 *& seq.*) *testimonium reddit spiritui nostro*, *quod sumus filii Dei*: *si autem filii*, *& hæredes*, *hæredes quidem Dei*, *cohæredes autem Christi*.

Atqui in adversariorum hypothesi potest homo justificari, etiamsi actum dilectionis Dei nec semel in vita elicuerit: quod facile est demonstrare. Ponamus aliquem ab ipso rationis exordio vitiis omnibus deditum, omnique flagitiorum genere contaminatum, cui nihil antiquius fuerit, quam universam Dei legem, ipsumque primum mandatum, pravis cupiditatibus indulgendo infringere: ponamus insuper, hominem hunc, cum fidem penitus non amiserit, *terribilis Dei judicii*, *& æmulationis ignis*, *quæ consumptura est adversarios* (Hebr. 10, 27) terrore subitaneo concuti: jamque tum incipere displicere sibi, nullaque mora facta properare ad pœnitentiæ Sacramentum, vitam præ-

præteritam accusare, sacerdoti significare, quam acriter, contemplatione divini judicii, & propter instantis gehennæ metum, suorum scelerum recordatione pungatur: hacque dispositione præmissa, quam sufficere adversarii contendunt, Sacramentali absolutione donari: ponamus denique, statim atque audiverit sacerdotem dicentem sibi: *ego te absolvo* &c. inopino casu correptum e vivis excedere, & ante tribunal supremi judicis comparere: jam sic contraho argumentum:

Homo ille toto vitæ decursu Deum, ut supponimus, non amavit; non amavit in ultima confessione, quam solo quassatus gehennæ metu emisit; non amavit, postquam fuit sacerdotis sententia absolutus, nec vero potuit, quia repentina morte ereptus huic sæculo, tempus amandi non habuit; atqui tamen si vera adversarii narrant, obdormivit in Domino, vereque propter solum gehennæ metum est reconciliatus: ergo sine ulla dubitatione salvatur, cum juxta divinæ providentiæ leges repugnet, hominem justum & in Domino mortuum, ab æterna hæreditate propelli: ergo iterum fateantur necesse est, posse hominem adultum salvari, qui Deum numquam amaverit: adeoque quod cogitatu horribile est, immerito de diligendi Dei præcepto dixisse Christum: *hoc est maximum & primum mandatum*: non causam attulisse pro causa, quando de peccatrice muliere sic pronunciavit: (*Luc.* 7, 47) *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; cui autem minus dimittitur, minus diligit*: deceptum Apostolum quando generatim asseruit, *quisquis non amat Deum sub anathemate esse*: mentitum Joannem dum affirmavit, *qui non diligit, in morte manere*: immerito denique Apostolos Christi caritatis necessitatem tanta sollicitudine prædicasse.

Præcluditur effugium duplex.

Nec est, quod dicatur,

1. Hominem illum damnari, non quia dispositione aliqua caruit, ad Sacramentum necessario præmittenda, sed quia Dei ante vitæ finem diligendi præceptum infregit.

Nam ad expiationem hujus peccati quod in primi mandati violatione consistit, vel sufficit attritio ex gehennæ metu concepta, vel non: si primum, ergo ab hoc peccato vere est a sacerdote solutus: unde nihil obstat, quominus in cœlum statim evolet; quod enim post acceptam absolutionem, antequam temporalem vitam finiret, Deum non amaverit, imputari non debet ad culpam, cum statim post reconciliationem ereptus huic sæculo fuerit: si secundum, secum ergo ipsis adversarii pugnant, eoque tandem adiguntur, ut fateantur, dilectionis divinæ motum, ad obtinendam in Sacramento reconciliationem, absolute esse necessarium; cum nemo ad pœnitentiam mortali inquinatus peccato accedat, qui non pariter violati primi mandati sit reus.

Neque etiam est, quod reponatur 2, ideo hominem hunc non salvari, quia non attulit ad ultimam vitæ suæ confessionem, necessariam in extremo vitæ dilectionis Dei conditionem; nam, inquiunt aliqui recentiores, etsi toto vitæ decursu sufficiat in Sacramento servilis sine amore attritio; aliter tamen in ipso mortis articulo debet esse judicium, ubi scilicet agitur de summa rerum.

Quam enim ridicula sit exceptio hæc, & ab ipsis adversariorum principiis aliena, opinor esse neminem qui non sentiat: nam, quæso, numquid quoties in vita homo ad pœnitentiæ Sacramentum accedit, non agitur de summa rerum? numquid alicui revelatum est, quam modo edit confessionem, postremam vitæ non esse futuram? qui ergo compellente veritate fatentur, ei qui pro vice ultima confitetur, necessariam absolute esse Dei dilectionem, hoc ipsum de qualibet confessione fateantur necesse est; tum quia eadem Sacramenti, quocumque tempore suscipiatur, materia est, adeoque sufficiens una vice attritio, sufficiens quocumque tempore, & quibusvis in circumstantiis est putanda: tum quia quocumque tempore peccator secundam, naufragio facto, tabulam quærat, rem agit præcipuam, unde salus æterna dependet: quod si mordicus negare adversarii pergant, necessariam esse in vitæ decursu Dei dilectionem, his qui ad pœnitentiæ Sacramentum accedunt, nulla causa est, cur hoc ipsum de ultima confessione affirment: idem enim ubique, ut prædiximus, Sacramentum est.

Hinc illa exceptio non recentioribus omnibus, sed admodum paucis arrisit, & a plerisque nec sine stomacho refutata: sic eorum aliquis (*P. Mahaudot Societ. Jesu*) in Thesibus an. 1714 publice in Gallia propugnatis: (*in collegio Jesuitarum Cadomensium*) " præter cætera sic statuebat: de attritione (ex solo timore gehennæ) quid sentiendum? dicimus, illam esse sufficientem omnino ad Sacramentum pœnitentiæ dispositionem; nec ullam ad absolutionis effectum, sive intensam, sive remissam contritionem requiri: est autem hæc nostra sententia, non probabilior tantum, nec vera solum speculative; sed practice etiam ac moraliter plane certa . . . . non defuere tamen, qui pro ipso mortis articulo ubi de summa rerum agitur, aliter statuendum existimaverint: sed hæc restrictio non placet: cum enim sententia nostra omne pru-

„ dens

„ deas ac morale dubium excludat; est ea „ quantum ad Sacramenti valorem, in eo non „ minus articulo, quam alias semper in praxi „ tutissima".

Ita prædictus Sacræ Theologiæ professor: cujus doctrinam etsi manifestum sit adversari primo & maximo mandato, & peccatorem in extremis positum, injecta falsa securitate, ad finalem impœnitentiam ducere; fatendum tamen attritionis servilis defensorum principiis apprime esse consentaneam; & ab illis sponte ac naturaliter fluere.

PROBATIO TERTIA.

Ex Sanctis Patribus.

Tertium ducimus argumenti genus ab auctoritate SS. Patrum, quos in adstruenda divini amoris ad reconciliationem necessitate plene consentire ex prolatis hactenus eorum testimoniis certum est. Nam

1. Qui negant servilem attritionem ad conversionem sufficere, consequens est ut amoris necessitatem defendant: atqui dolorem ex gehennæ metu conceptum ad reconciliationem sufficere negant patres: quia nec voluntatem peccandi excludit, nec potest cor immutare: ergo amorem necessarium esse propugnant.

2. Idipsum adversariorum confessio probat: qui enim novam suam doctrinam fatentur, profecto agnoscunt sibi patres esse contrarios; atqui qui pro attritionis servilis sufficientia pugnant, novam suam doctrinam esse fatentur, nec altius decimo sexto sæculo repetunt suæ, hoc est humanæ traditionis originem; nec multum curant de patribus sibi conciliandis, quippe qui de pœnitentia, si iis credimus, parum accurate scripserint: ergo &c.

3. Amorem Dei saltem initialem patrum judicio esse necessarium, manifestum erit revolventi eorum sententias supra descriptas, quibus nonnullas in præsenti, ad majorem veritatis illustrationem, addere juvat.

S. Augustinus.

Invictissimus ille, non minus caritatis, quam gratiæ Christi defensor, neminem posse sine dilectione fieri justum, non velut opinionem, sed ut dogma auctoritate divina certissimum propugnavit: non hic in quærendis testimoniis, quæ infinita occurrunt, sed in brevioribus ejus sententiis, ne lectorem defatigemus, seligendis est labor.

In lib. de spir. & litt. c. 8, de Judæis loquens: *quicumque*, inquit, *faciebant quod lex jubebat, non adjuvante spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore justitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere: potiusque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat malle, si fieri posse, impune committere.*

Ib. c. 14, *mandatum, si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter; & ideo nec fit: non enim fructus est bonus, qui de caritatis radice non surgit.*

Et c. 19, *ex hac promissione, hoc est, Dei beneficio, lex impletur, sine qua promissione prævaricatores facit, vel usque ad effectum mali operis, si etiam repagula timoris concupiscentiæ flamma transcenderit; vel certe in sola voluntate, si timor pœnæ suavitatem libidinis vicerit.*

Lib. de nat. & gratia c. 57, *sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ob opere peccati, nondum liber nec alienus a voluntate peccandi: in ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut libere faciat quod occulte desiderat*, &c.

Ep. 145 ad Anastasium: (*al.* 144) *inaniter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis . . . inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, si ejus amore non peccat; tunc enim vere timebit peccare; nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere; ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit . . . tantum porro quisque peccatum odit quantum justitiam diligit: quod non poterit lege terrente per litteram, sed Spiritu sanante per gratiam.*

Lib. 15 de Trin. cap. 18, *nisi*, inquit, *tantum impertiatur cuique Sp. Sanctus, ut eum Dei & proximi faciat amatorem, a sinistra transfertur ad dexteram.*

Tract. 5 in Ep. Joannis: *filii Dei discernuntur, sola dilectione & caritate a filiis diaboli.*

In expositione Ep. ad Galatas: *non auferuntur peccata, nisi gratia fidei, quæ per dilectionem operatur.*

Libro de patientia c. 12, *quid est homo utens in hac vita propria voluntate, antequam eligat & diligat Deum, nisi injustus & impius?*

Lib. 83 qq. qu. 36, *justitiæ non serviliter, sed liberaliter serviendum est: id est, caritate potius quam timore.*

Serm. 7 de tempore: *nunc jam ad vos*, inquit, *loquor pœnitentes, qui pœnitentiam in Ecclesia accepistis & agitis: vos modo satis debetis amare Deum, & a timore jam ad dilectionem transire: quia sic legimus in Evangelio de peccatrice illa: cui multum dimittitur, multum diligit.*

Tract.

Tract. 6 in Joannem, *non prodest, si quis tradat corpus suum, utique pro nomine Christi, ita ut ardeat, & illud non faciat caritate . . .* parique sensu, concione 21 in Ps. 118, *non prodest inter quantacumque tormenta martyrii confiteri, si caritas in confitente non est.*

Quanta hinc ad redarguendos servilis attritionis protectores argumentorum seges enascitur!

1. Enim, hæc ad reconciliationem obtinendam non sufficit præparatio, per quam, si sola fuerit, homo magis reus fit: sed qui solo timore pœnæ, non amore justitiæ reconciliari cum Deo petunt, hoc ipso ex S. Aug. rei tenentur potius quam pœnitentes: ergo &c.

2. Si quando debet fructus pœnitentiæ esse bonus, tum sane præcipue, cum ad Sacramentum reconciliationis acceditur; atqui ex Sancto Doctore, fructus nequit esse bonus, qui de caritatis radice non surgit: ergo qui Deum amare saltem non incipiunt, dignos pœnitentiæ fructus facere, etiam in Sacramento non possunt.

3. Sine peccati odio pœnitentia vera non est; atqui sine amore justitiæ nequit odium peccati intelligi: *tantum quisque*, inquit, *peccatum odit, quantum justitiam diligit*: ergo sine amore justitiæ pœnitentia esse nequit.

4. Qui inimicus justitiæ est, caret dispositione necessaria ad veniam obtinendam; sed qui pęnæ timore non peccat, inimicus justitiæ est, nec aliter ex Aug. potest esse amicus, nisi ejus amore non peccando: ergo &c.

5. Qui petit per pęnitentiæ Sacramentum Deo reconciliari, petit transferri a sinistra ad dexteram: sed ex eodem, nemo transfertur a sinistra ad dexteram, nisi qui Dei per gratiam Sp. Sancti amator est: ergo &c.

6. Nemo reconciliatione in Sacramento dignus putatur, nisi amet proximum, etiam a quo læsus gravissime fuerit: nec enim possumus esse Dei filii, nisi inimicos nostros dilexerimus: quanto ergo magis reconciliatione indignus est judicandus, qui Deum tam sæpe tamque enormiter offensum amare saltem non incipit?

7. Tamdiu homo est a beneficio reconciliationis arcendus, quamdiu injustus est, impius, & filius diaboli, atqui juxta S. Aug. homo, antequam eligat & diligat Deum, est injustus & impius, nec aliter quam dilectione & caritate filii Dei a filiis diaboli discernuntur: ergo &c.

8. Nemo potest justificari, nisi qui ex servo peccati fit servus justitiæ: *liberati a peccato*, inquit Apostolus (*Rom.* 6, 18) *servi facti estis justitiæ*; atqui, ait Aug. justitiæ non serviliter, sed liberaliter serviendum est: id est caritate potius quam timore: ergo &c.

9. Quibus eadem implenda conditio est, quam mulier peccatrix, ut absolveretur, implevit, non debent sine amore ad Sacramentum accedere; atqui ex S. Aug. qui pęnitentiam in Ecclesia accipiunt & agunt, hanc debet conditionem implere: *vos modo*, inquit, *debetis amare Deum, & timore jam ad dilectionem transire: quia sic legimus in Evangelio de peccatrice illa*; cui multum dimittitur, multum diligit: ergo &c.

10. Non minor est ad Sacramentum pœnitentiæ, quam ad martyrium dispositio afferenda; atqui ex S. Aug. imo juxta doctrinam Apostoli, cujus verus est ac fidelis interpres, quantacumque sint tormenta martyrii pro Christi nomine tolerati, si caritas in confitente non est, nihil proderunt: ergo a pari quantumlibet vehemens fuerit dolor ex pœnarum timore conceptus, nisi comitem habeat Dei dilectionem, ad veniam in Sacramento pęnitentiæ obtinendam satis esse non poterit.

Occurritur cuidam objectioni.

Quæ malorum litigatorum fraus est, ut leges quantumvis contrarias, omni industria torqueant, & in proprium sensum, quoad fieri potest, inflectant; hanc in præsenti adversarii adhibent, Augustinum sibi, reluctantem licet, & amoris Dei præconem tam eximium vindicantes.

Nituntur porro quodam ejus testimonio, (*lib. de catechizandis rudibus, c.* 17) ubi S. Doctor tria hominum ad fidem venientium genera distinguit.

In 1 sunt, *qui propterea volunt esse Christiani, ut aut promereantur homines, a quibus temporalia commoda expectant; aut quia offendere nolunt quos timent:* de illis vero pronunciat, *quod reprobi sint, si se non correxerint.*

In 2 sunt alii, *meliori quidem spe, sed tamen non minori periculo, qui jam Deum timent, & non irrident christianum nomen, nec simulato corde intrant in Ecclesiam Dei: sed in ista vita expectant felicitatem, ut feliciores sint in rebus terrenis, quam illi qui non colunt Dominum, & isti*, inquit, *cum viderint quosdam sceleratos & impios, ista sæculi prosperitate pollere, & excellere; se autem vel minus habere ista, vel amittere, perturbantur, tamquam sine causa Dominum colant, & facile a fide deficiunt.*

In 3 est, *qui propter beatitudinem sempiternam & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Chri-*

Christo: & ille, inquit, *vere christianus est; cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur; & ne frangatur adversis, & in abundantia bonorum terrenorum modestus & temperans, & in tribulationibus fortis & patiens; qui etiam proficiendo perveniet ad talem animum, ut plus amet Dominum, quam timeat gehennam; ut etiam si dicat illi Deus, utere deliciis carnalibus sempiternis, & quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris: exhorrescat, & omnino non peccet; non jam ut in illud quod timebat, non incidat, sed ne illum quem sic amat offendat.*

Hinc si eruunt argumentum:

Idem, nobis ipsis fatentibus, de præparatione ad pœnitentiæ Sacramentum, ac de præparatione ad baptismum necessaria debet esse judicium; atqui ex S. Aug. timor gehennæ est sufficiens præparatio ad Christi amplectendam fidem, & baptismum suscipiendum: ergo a pari &c.

Prob. min. qui verus est christianus, ad baptismatis Sacramentum est sufficienter dispositus; atqui ex S. Doctore, qui venit ad fidem ex motivo timoris inferni, & spei beatitudinis, verus hoc ipso est christianus: *est*, inquit *qui .... vult fieri christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo: & ille vere christianus est*: ergo &c.

R. Admitto auctoritatem: ad argumentum inde inflexum, concessa maj. n. min. ad cujus probat. data iterum maj. dist. min. qui venit ad fidem ex motivo timoris inferni, & spei beatitudinis, verus hoc ipso est christianus, *si præter fidem ac spem, etiam dilectione ducatur*, conc.: *secus*, n. min. & conseq.

E. R. Volunt adversarii locum hunc Sancti Augustini debere cum amoris exclusione absolute intelligi: illud porro est, quod magnis gravibusque rationibus inficiamur.

Nam 1. Quis facile sibi persuadeat S. Doctorem in hujus libri c. 17 hoc ipsum evertere, quod ejusdem libri capitibus præcedentibus perspicue, suoque more solidissime adstruit? atqui in hujus tractatus prioribus posterioribusque capitibus, venientibus ad fidem, Dei amorem necessarium esse, non obiter solum insinuat, sed ex professo sæpeque inculcat: liber ille inscribitur, *de catechizandis rudibus*, id est fidei principiis imbuendis iis qui catechumeni sunt, & volunt fidem amplecti: statim autem ab initio eos qui catechizandi munus obeunt, admonet, ut ad caritatem tamquam ad finem, ea quæ catechizando loquuntur, cuncta referant, & ejus excellentiam iis quos loquendo instruunt, ob oculos ponant.

Quod postquam c. 3 est præfatus, c. 4 sequente ponit principium a Christo in Evangelio revelatum; *totam nimirum legem & prophetas in illis duobus pendere præceptis, dilectionis Dei & proximi:* indeque ita concludit: *hac ergo dilectione tibi tamquam fine proposita, quo referas omnia quæ dicis; quidquid narras, ita narra*, (quisquis catechistæ officio fungeris) *ut ille* (catechizandus) *cui loqueris, audiendo credat, credendo speret, sperando amet*; vult ergo S. Aug. sic debere ad baptismum præparari qui catechizantur, ut ab auditu ad fidem, a fide ad spem, a spe ad caritatem adducantur.

Neque hic sistit doctor excellentissimus; nam præter cætera quæ in hujus decursu voluminis de caritatis ad justificationem necessitate mirabiliter disserit; tempus evangelii ab ætatibus prioribus sic distinguit, ut genuinum ejus propriumque characterem affirmet esse, quod caritate ejus qui præcepit, fiant quæcumque præcepit: *ex adventu Christi*, inquit, (*ib. cap.* 21) *sexta sæculi ætas agitur: ut jam spiritualis gratia, quæ paucis tunc Patriarchis & Prophetis nota erat*, (in lege veteri) *manifestaretur omnibus gentibus, ne quisquam Dominum nisi gratis coleret, non visibilia præmia servitutis suæ, & præsentis vitæ felicitatem, sed solam vitam æternam, in qua ipso Deo frueretur, ab illo desiderans: ut hac sexta ætate mens humana renovetur ad imaginem Dei, sicut sexta die homo factus est ad imaginem Dei*: (*Gen.* 1, 26, *& seqq.*) *tunc enim & lex impletur, dum non cupiditate rerum temporalium, sed caritate illius qui præcepit, fiunt quæcumque præcipit.*

Denique, ne percurram singula, ejusdem libri c. ult. (27) breviorem catechismi, *dum celeritate opus est*, faciendi, formulam describens, præscribit ut catechista catechizandum sic alloquatur: *non eos imiteris* (quos videris in Ecclesia male viventes) *sed potius conjungaris bonis, quos inventurus es facile, si & tu talis fueris: ut simul colatis & diligatis Dominum gratis, quia totum præmium nostrum ipse erit, ut in illa æterna vita bonitate ejus & pulchritudine perfruamur: sed amandus est, non sicut aliquid, quod videtur oculis, sed sicut amatur sapientia, & veritas, & sanctitas, & justitia, & caritas, & si quid aliud tale dicitur; non quemadmodum sunt ista in hominibus, sed quemadmodum in ipso fonte incorruptibilis & incommutabilis sapientiæ: quoscumque ergo videris hæc amare, illis conjungere; ut per Christum, qui homo factus est, ut esset mediator Dei & hominum, reconcilieris Deo.*

Igitur ex S. Aug. amor Dei ad reconciliatio-

tionem ope baptismatis obtinendam est necessarium: adeoque quando dicit, eum qui motivo timoris & spei beatitudinis venit ad fidem verum esse christianum, non cum exclusione divini amoris hoc dicit.

2. Ita debere S. Doctorem intelligi textus ipse qui opponitur, absque eo quod ad præcedentia & sequentia recurramus, demonstrat.

Ibi enim Aug. tria venientium ad fidem genera distinguendo, plus aliquid tertio tribuit quam secundo; alioquin frustra discretionem hanc faceret; sed qui in 2 sunt, timore ad baptismum petendum ducuntur: *in secundo*, inquit, *sunt alii, meliori quidem spe, sed tamen non minori periculo, qui jam Deum timent, & non irrident christianum nomen, nec simulato corde intrant in Ecclesiam Dei*: ergo ex ejus sententia, qui in 3 ordine collocantur, timorem quidem ignis æterni habent, sed non sine Dei amore habent.

Deinde eos qui tertii generis sunt, veros christianos esse affirmat: *in tertio est*, ait, *qui vult fieri christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo*: *& ille vere christianus est*; atqui eodem S. Aug. teste, nemo sine Dei amore potest verus esse christianus; *qui sunt veri christiani*, inquit, (*de bapt. l. 3, cap. 19*) *nisi de quibus Dominus dicit*: qui diligit me, mandata mea custodit? *quid est autem custodire mandata ejus, nisi in dilectione persistere*? ergo &c.

Præterea 2 & 3 generis catechumenos sic distinguit, ut alii quidem desiderio terrenæ felicitatis adhuc tangantur; secus vero alii: *in secundo sunt*, ait . . . *qui in ista vita expectant felicitatem, ut feliciores sint in rebus terrenis, quam illi qui non colunt Dominum, & isti cum viderint .... se vel minus habere ista, vel amittere, perturbantur, tamquam sine causa Dominum colant, & facile a fide deficiunt* .... at longe aliter qui in 3 genere est, *in omni tentatione est cautus, ne prosperis rebus corrumpatur, & ne frangatur adversis, & in abundantia bonorum terrenorum modestus & temperans, & in tribulationibus fortis & patiens*; atqui hoc tantum discrimen sola caritas facere potest, quæ sola & malorum tolerantiam, & in rebus prosperis temperantiam atque modestiam, & in omni tentatione vigilantiam ac cautionem inspirat: ergo &c.

Denique hoc ipsum inde evincitur, quod juxta S. Aug. ille tertii generis catechumenus, non gehennæ tantum metu, sed & desiderio in æternum regnandi cum Christo ad fidem veniat: nempe ad 3 ordinem pertinet, *qui propter beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quæ post hanc vitam sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intret cum Christo*; atqui desiderium hoc cum Christo regnandi sine caritate non est: ergo non debet hoc testimonium sensu exclusivo intelligi.

Inst. 1. Hæc S. Aug. sententia debet cum exclusione amoris absolute accipi: ergo &c. prob. subs. illud nondum habet catechumenus, ad quod proficiendo prædicitur perventurus; atqui ex S. Doctore ib. tertii generis catechumenus, ad amorem proficiendo pertinget: *proficiendo*, inquit, *perveniet ad talem animum, ut amet Dominum*: nemo porro ad illud habendum proficit, quod ante habebat: ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. concessa maj. n. min. & dico hoc testimonium mala fide ab adversariis, una sui parte truncari: non enim ait S. Aug. (proficiendo perveniet ad talem animum, ut amet Dominum:) sed, *proficiendo perveniet ad talem animum, ut plus amet Dominum, quam timeat gehennam*: aliud porro est, pervenire ad amandum, (quo significatur eum qui amat, amore antea caruisse,) aliud, pervenire ad plus amandum: (quod amoris denotat incrementum:) adeoque hic locus nedum merito contra nostram sententiam torqueatur, ad eam confirmandam mirifice facit: probatur enim ex illo, tertii generis catechumenum primo habere summum appretiative Dei amorem; & deinde proficiendo progredi ad ejusdem amoris gradum intensiorem: quod ne gratis dictum putes, attende qualiter a se ipso nondum proficiente, cum proficere incipit differat: primo enim *in omni tentatione cautus erat, nec prosperis rebus corrumpebatur, nec frangebatur adversis, in abundantia bonorum terrenorum modestus & temperans, & in tribulationibus fortis & patiens*: quod sine amore saltem initiali, ut prædiximus, esse non poterat, sed deinceps proficiendo longe generosior & audacior factus, *perveniet*, inquit, *ad talem animum, ut plus amet Dominum, quam timeat gehennam*; *ut etiam si dicat illi Deus: utere deliciis carnalibus sempiternis, & quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris: exhorrescat & omnino non peccet; non jam ut in illud quod timebat, non incidat; sed ne illum quem sic amat, offendat*: quod argumentum evidentissimum est, proficientem catechumenum, non ad amorem (quem ante habebat) sed ad augmentum amoris esse progressum.

Inst. 2. In hoc ipso libro (*c. 5*) S. Aug. dicit, in eo qui catechizatur, *ædificandam esse caritatem de ipsa severitate Dei, qua corda* mor-

mortalium saluberrimo terrore quatiuntur: ut ab eo quem timet, amari se gaudens, eum redamare audeat: ergo, inquiunt, Aug. non requirit caritatem in catechumeno baptizando.

℟. Conc. ant. & n. conseq. mira sane ac stupenda adversariorum jactantia est, qui iisdem telis vicisse se putant, quibus opinio eorum prosternitur: numquid enim hæc S. Doctoris verba pro amoris ad baptismum præmittendi necessitate aperta non sunt? equidem salutis ædificium a timore inchoandum affirmat: sed caritatem de ipsa Dei severitate ædificandam decernit: nec baptismi suscipiendi, & suscepti distinguens tempora (quod in argumento falso innuitur) dicit *ædificandam* in catechumeno *esse caritatem de ipsa severitate Dei, ut ab eo quem timet, amari se gaudens, eum redamare audeat*; quæ sane verba qui ad probandum caritatem non esse baptismo præmittendam intorquent, haud mihi videntur felicius solidiusque discurrere; ac si quis ita insaniret magis quam disputaret: *ex Apostolo, qui non diligit manet in morte*: ergo ad gratiam ope Sacramenti recuperandam non est dilectio necessaria.

S. Joannes Chrysostomus.

In S. Aug. vindicando longior quam vellem fui, non tamen quam debui: nec enim paucis dicuntur, quæ diligentem explicationem requirunt.

In eamdem sententiam S. Joannes Chrysost. (*hom. 4 in 2 ad Corinth.*) " cum peccave-,, ris, *inquit*, ingemisce, non quod pœnas da-,, turus sis; nihil enim hoc est: sed quod Do-,, minum tam benignum, tam te amantem, ,, tam denique salutis tuæ cupidum offenderis, ,, ut filium quoque suum tua causa tradiderit; ,, nec nunc lætum, cras autem mæstum, ac ,, rursum lætum te præbe: verum perpetuo ,, in luctu ac contritione tu mane: *attende le-,, ctor ad verba S. Doctoris*: nihil enim hoc ,, est: *ut intelligas ex ejus mente, longe ma-,, gis necessarium esse quod sequitur*: ingemi-,, sce quod Dominum tam benignum, tam te ,, amantem offenderis, &c. "

Sanctus Leo.

S. Leo Pontifex Max. serm. 7 de jejunio 7 mensis, c. 1, (*serm. 90*)" quamvis, *ait*, va-,, rietates hostiarum, differentia baptismatum, ,, & ostia sabbatorum, cum ipsa carnis circum-,, cisione cessaverint; manent tamen ... eti-,, am apud nos plurima præcepta moralia, & ,, cum inde dicatur (in testamento veteri) di-,, liges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ,, & diliges proximum tuum sicut te ipsum. ,, Christo Domino dicente cognoscimus, quod ,, in his duobus mandatis tota lex pendet & ,, prophetæ: tantaque est sub hujus geminæ ,, caritatis edicto, utriusque copula testamen-,, ti, ut sine istarum connexione virtutum, ,, nec lex quemquam inveniatur justificasse, ,, nec gratia:" nemo itaque ex ejus mente potest in nova lege, non secus ac in veteri, sine Dei amore justificari.

S. Gregorius Magnus.

Ecce tibi alterum ejusdem sententiæ acerrimum defensorem S. Gregorium Pontificem Max. præter cætera ejus superius relata verba: (*hom. 26 in Evang. & lib. 1 moral. c. 11*) l. 9 commentar. in Job c. 22 sic loquentem: *quotidie culpas aspicit* (Deus) *& tamen vivendi spatia non citius abscindit; dona largitur benignitate sua, & erga malos utitur patientia sua: respondere homo tot beneficiis debet; sed tamen respondere metuens non valet: quia humani generis conditorem qui adhuc serviliter formidat, procul dubio non amat; nam tunc solum Deo vera obsequia reddimus, cum eum propter amoris fiduciam non timemus; cum nos ad bona opera affectus, non metus dirigit; cum malum nostræ menti jam non placet, etiamsi liceat; nam qui a perversitatis opere ex timore restringitur, perversa libenter ageret, si liceret: nequaquam ergo veraciter rectus est: bene itaque dicitur:* (*Job 9, 35*) neque enim possum metuens respondere*: quia vere obsequia Deo non reddimus, si ex timore mandatis illius, & non potius ex amore servimus.*

S. Petrus Chrysologus.

Cœlestis creditor, inquit ille, (*serm. 94*) *totum caritate compensat, & ad incrementum totius fœnoris, amoris solius exigit & requirit usuram: plectendus debitor, qui dilectione sola suam negligit redimere cautionem: vis scire homo quid Deo debeas? quod factus es, Dei creditum est: quod es rationis capax, Dei fœnus est: quod discretionem boni malive possides, accepisti: & quod vivendi normam acceperis, per chirographum legis stipulanti Deo spopondisse te, non potes diffiteri: sed dum te per vitia carnis in lutum instar suis demergis, & quadrupedum more vivens, qua præditus es ratione privaris, & in gurgite criminum, boni malive perdita discretione confundis, & divinæ legis substantiam dissipas, mundana voluptate captivus; factus es gloriosi fœnoris debitor luctuosus; cui deficientibus virtutum lucris, criminum multiplicatur usura: sed licet*

in

in hac re cecideris, licet fueris in ista devolutus, vide ne desperes: homo remansit tibi unde piissimo satisfacias creditori: absolvi vis? ama: caritas cooperiet multitudinem peccatorum. Ita S. Petrus Chrysologus, cujus verba interpretatione non indigent.

S. Isidorus Hispalensis.

Qui sola pœna supplicii, ait iste, (*lib.* 2 *sentent. cap.* 21) *in se vitia reprimit, quamvis non expleat opus peccati; vivit tamen in eo voluntas peccandi: doletque sibi esse illicitum quod lex prohibere dignoscitur: ille ergo mercedem boni operis percipit, qui amando justitiam facit, non is qui eam solo metu pœnarum invitus custodit.*

S. Bernardus.

Patrum ille, nec verbis minus expressis numerum claudet: *est*, inquit, (*Tract. de dilig. Deo c.* 12) *qui confitetur Domino, quoniam potens est: est & qui confitetur Domino, quoniam sibi bonus est: & item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est: primus servus est, & timet sibi: secundus mercenarius est, & cupit sibi: tertius filius est, & defert Patri: itaque & qui timet, & qui cupit utrique pro se agunt: sola, quæ in filio est, caritas non quærit quæ sua sunt: quamobrem puto de illa dictum*: lex Domini immaculata convertens animas: *quod sola videlicet sit, quæ ab amore sui & mundi avertere possit animam, & in Deum dirigere, nec timor quippe, nec amor privatus convertunt animam: mutant interdum vultum vel actum, affectum nunquam: facit quidem nonnumquam & servus opus Dei, sed quia non sponte, in sua adhuc duritia permanere cognoscitur: facit & mercenarius, sed quia non gratis, propria trahi cupiditate convincitur . . . . sit itaque servo sua lex, timor ipse quo constringitur: sit mercenario sua cupiditas, qua & ipse arctatur, quando ab ipsa tentatur, abstractus & illectus: sed harum nulla aut sine macula est, aut animas convertere potest: caritas vero convertit animas, quas facit & voluntarias.*

Inde sic efformo argumentum: præparatio ad reconciliationem in Sacramento obtinendam sufficiens talis esse debet, ut ab amore sui & mundi possit animam penitentem avertere; atqui sola caritas, ex S. Bernardo, potest ab amore sui & mundi avertere animam; timor vero pœnarum & amor privatus, etsi vultum vel actum interdum mutent, affectum tamen ipsum non mutant: ergo &c.

Deinde motus qui vel sine macula non est, vel animam nequit convertere, non est præparatio sufficiens ad institutionem; atqui timor gehennæ, & cupiditas mercenaria, vel sine macula, eodem teste, non sunt, vel animas non possunt convertere: ergo &c.

PROBATIO QUARTA.

Ex Theologis veteribus.

Veteres Theologos appellamus, quos tulit ætas concilio Trid. antiquior, qui videlicet a sæculo 12, quo florere cœpit Scholastica Theologia, ad initium 16 vixere: tanta porro illo annorum decursu, in admittenda amoris necessitate Theologiæ tractatorum consensio fuit, ut vix unus aut alter possit afferri, qui catenam traditionis vel leviter interciderit.

Ita sane primi Scholarum proceres censuerunt, *Richardus* & *Hugo*, uterque Victorinus: *Robertus Pullus*: *Magister sententiarum*: *Guillelmus Altissiodorensis*: *Guillelmus* item *Parisiensis*: & alii maximo numero, quorum nomina & ætates diversas qui scire voluerit, consulat *Joannem Morinum* (*lib.* 8, *de Sacr. pœn. c.* 4) hujus argumenti diligentissimum expositorem; nobis sat erit pro opellulæ modulo paucorum verba referre.

Atque in primis appellabimus S. Thomam summæ in Ecclesia auctoritatis magistrum; quem a suis plerumque, hoc tempore, in hac materia deseri, tristitia nobis magna est & continuus dolor cordi nostro: sic enim diserta Sancti Doctoris de necessitate amoris ad conversionem sententia est, ut negare pœnitenti necessarium esse amorem, idem sit ac negare se esse Thomistam.

S. Thomas.

Quod ut palam fiat, aliqua ejus expressiora testimonia congeremus.

Lib. 4 Contra gentes c. 72 „ *primum*, inquit, *quod in pœnitentia requiritur, est* ordinatio mentis, ut scilicet mens convertatur ad Deum, & avertatur a peccato, dolens de commisso, & proponens non committendum: quod est de ratione contritionis: hæc vero mentis reordinatio sine gratia esse non potest: nam mens nostra debite ad Deum converti non potest sine caritate, caritas autem sine gratia haberi non potest. "

In quæst. disputatis (*qu.* 7, *art.* 11, *ad* 3) „ ejusdem rationis est, quod voluntas feratur in appetitum contrarii, & in detestationem alterius: nullus autem usum habens liberi arbitrii potest inchoare novam vitam, quæ est per gratiæ infusionem, ni-

„ si amet & appetat gratiæ bonum : & ideo „ oportet quod detestetur omne malum re- „ pugnans".

Commentario in 4. sentent. (*dist.* 20, *qu.* 1, *art.* 1, *quæstiuncula* 1, *ad* 1) „ Antio- „ chus, *inquit*, veniam consecutus fuisset, „ si vere pœnituisset; sed non habuit veram „ pœnitentiam, quia non ex amore justitiæ „ de peccatis commissis dolebat; sed timore „ pœnæ quam expectabat, vel dolore pœnæ „ quam sustinebat: & hoc etiam multis in fi- „ ne pœnitentibus contingit; quia non est fa- „ cile, ut affectus quem homo toto tempore „ vitæ suæ inclinavit in aliquid, subito ad „ contrarium retrahatur".

1 Parte, qu. 21, a. 4, ad 1: " in justifica- „ tione impii, *inquit*, apparet justitia (Dei), „ dum culpas relaxat propter dilectionem, „ quam tamen ipse misericorditer infundit".

1, 2, Qu. 113, a. 10, in Corp. „ est iste „ communis & consuetus cursus justificatio- „ nis, *ait*, ut Deo movente interius animam, „ homo convertatur ad Deum, primo quidem „ conversione imperfecta, ut postmodum ad „ perfectam deveniat: quia *caritas inchoata* „ *meretur augeri, ut aucta mereatur perfici*, „ sicut Aug. dicit: (*tract.* 5 *in Ep. Joan.*) „ quandoque vero Deus tam vehementer ani- „ mam movet, ut statim quamdam perfectio- „ nem justitiæ assequatur".

3 Parte, qu. 84, a. 10, cujus titulus est: *utrum Sacramentum pœnitentiæ debeat iterari?* „ ad veram pœnitentiam, *inquit*, caritas re- „ quiritur, sine qua non delentur peccata".

Ib. qu. 86, a. 2, ad 1: „ si in actu pœni- „ tentiæ, *inquit*, consideretur sola displicen- „ tia peccati præteriti, hoc immediate ad ca- „ ritatem pertinet: sed intentio operandi ad „ deletionem peccati præteriti, requirit spe- „ cialem virtutem sub caritate".

Ib. a. 3, ad 4: " pœnitentia, *ait*, est cum „ fide passionis Christi, per quam justificamur „ a peccato; & cum spe veniæ, & cum odio „ vitiorum, quod pertinet ad caritatem".

Ibid. a. 5 in corp. actus enumerans, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur: „ ho- „ rum actuum, *inquit*, primum principium „ est, Dei operatio convertentis cor, secun- „ dum illud: converte nos Domine ad te, & „ convertemur: primus vero actus, *motus fi-* „ *dei*; secundus, *motus timoris servilis*, *quo* „ *quis timore suppliciorum a peccatis retra-* „ *hitur*; tertius, *motus spei*, *quo quis sub* „ *spe veniæ consequendæ assumit propositum* „ *emendandi*; quartus, *motus caritatis*, *quo* „ *alicui peccatum displicet secundum se ipsum*, „ *& non jam propter supplicia*; quintus, *mo-* „ *tus timoris filialis*, *quo propter reverentiam* „ *Dei aliquis emendam* (vitæ scilicet melio- „ ris & satisfactionis propositum) *Deo volun-* „ *tarius offert*: igitur *actus pœnitentiæ a ti-* „ *more servili procedit*, *sicut a primo motu* „ *affectus ad hoc ordinato*; *a timore autem* „ *filiali sicut ab immediato & proximo prin-* „ *cipio*".

Ib. q. 86, a. 3, in corp. ostendit, non posse per pœnitentiam unum peccatum sine alio remitti: „ quia, *inquit*, peccatum mortale non „ potest sine vera pœnitentia remitti, ad „ quam pertinet deserere peccatum, in quan- „ tum est contra Deum, quod quidem est „ commune omnibus peccatis mortalibus: ubi „ autem est eadem ratio, & idem effectus: „ unde non potest esse vere pœnitens, qui „ de uno pœnitet, & non de alio. Si enim „ displiceret ei illud peccatum, quia est con- „ tra Deum super omnia dilectum, quod re- „ quiritur ad rationem veræ pœnitentiæ, se- „ queretur quod de omnibus peccatis pœnite- „ ret: unde sequitur quod impossibile sit, „ unum peccatum per pœnitentiam remitti „ sine alio".

Ex his pari quo recensita sunt ordine, argumenta inferimus quæ sequuntur: 1 pœnitentia est peccatoris ad Deum conversio; atqui juxta S. Thomam nemo sine caritate potest debite ad Deum converti: ergo &c.

2. Pœnitentia est mentis reordinatio, in conversione ad Deum, & aversione a peccato consistens: atqui reordinatio hæc, ex S. Thoma, sine caritate fieri nequit: idem enim ex ipso est, caritatem habere ac gratiam; atqui sine gratia reordinatio hæc esse non potest: ergo nec sine caritate.

3. Pœnitentia, vitæ novæ est inchoatio: atqui ex S. Thoma nemo potest inchoare novam vitam, nisi amet & appetat gratiæ bonum: ergo &c.

4. Ideo ex S. Thoma Antiochus vere pœnitens non fuit, quia non amore justitiæ, sed timore pœnæ doluit de peccatis; ergo in ejus sententia timor non est sufficiens ad reconciliationem præparatio.

5. Nec est quod reponatur, hoc Angelici doctoris principium ad solam legem veterem pertinere, in qua penitentia sine Sacramento erat: hoc enim effugium ibidem præcludit, addens hoc ipsum, quod Antiocho contigit, etiamnum multis in vitæ fine penitentibus evenire: *quia*, inquit, *non est facile*, *ut affectus quem homo toto vitæ tempore inclinavit in aliquid*, *ad contrarium subito retrahatur*: itaque tam putat esse necessarium in nova lege de peccatis dolere ex amore justitiæ, quam in lege veteri fuit.

6. Illud omnino in pœnitentia requiritur, pro-

propter quod, id est, cujus intuitu Deus culpas relaxat: atqui ex S. Thoma Deus propter dilectionem culpas relaxat: ergo &c.

7. Nemo ad justificationem in Sacramento obtinendam sufficienter præparatus putari debet, nisi saltem imperfecte fuerit ad Deum conversus: atqui ex Angelico præceptore imperfecta conversio sine caritate non est, sive potius, est ipsa caritas inchoata: *iste est communis*, inquit, (1, 2, *qu.* 113, *art.* 10, *in c.*) *& consuetus cursus justificationis, ut .... homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat, quia caritas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, sicut Aug. dicit &c.* hæc enim ratio vel omnino est sensus expers, (quod absit ut de Doctore Angelico suspicemur;) vel probat absolute esse necessariam ad Deum conversionem; quæ secundum communem justificationis cursum, per inchoatam & imperfectam caritatem fieri debet: ergo &c.

8. Veram pœnitentiam in Sacramento esse necessariam negari non potest; atqui ex S. Doctore ad veram pœnitentiam ita requiritur caritas, ut sine illa peccata non deleantur: ergo &c.

9. Pœnitentia ad Sacramentum afferenda displicentiam requirit peccati præteriti; atqui displicentia hæc ex S. Thoma, immediate ad caritatem pertinet: ergo &c.

10. Vera pœnitentia sine odio vitii esse non potest; atqui odisse vitium pertinet ad caritatem, sicut ad timorem odisse pœnas: ergo &c.

11. Actus veræ pœnitentiæ esse nequit, nisi principium habeat, unde immediate procedat: nec enim effectus sine causa, nec principiatum sine principio intelligitur: atqui ex S. Thoma actus veræ pœnitentiæ a timore filiali, sicut ab immediato & proximo principio oritur: timor autem filialis vel caritas ipsa est, vel filia caritatis: ergo sine caritate actus veræ pœnitentiæ, juxta Doctorem Angelicum, esse nequit.

12. Inde probat S. Thomas impossibile esse, unum peccatum mortale remitti sine aliis, quia non potest vere esse pœnitens, quem unius & non aliorum pœnitet: atqui hujus impossibilitatis non aliam causam affert, nisi quia ad rationem veræ pœnitentiæ requiritur Dei super omnia dilectio, quæ stare cum peccati mortalis affectu non potest: igitur veræ pœnitentiæ character ex Angelico Præceptore est amor.

Scotus.

Angelico Præceptori accedit celeberrimæ Scotistarum Scholæ fundator *Scotus* propter accerrimi quo vigebat acumen ingenii Doctor subtilis vocatus: cujus vel una, Theologis ab ejus nomine dictis, ad propugnandam in pœnitentiæ Sacramento divini amoris necessitatem, satis esset auctoritas, si quam fervide eum in admittenda divinorum attributorum actuali formali distinctione sequuntur, pari zelo in cæteris, ejusdem vestigia premerent.

Hujus sunt verba notatu dignissima: (*in* 4 *sent. dist.* 18) *contritio ad hoc ut sit dispositio ex congruo ad receptionem gratiæ, oportet quod sit voluntaria detestatio & debita circumstantia finis; quod homo pœniteat, non solum propter timorem pœnæ, sed timore filiali ..... si timor non sit cum amore, non disponit ex congruo ....* & paulo post: (*ib. dist.* 20, *q. unica*) *ad hoc*, inquit, *quod displicentia valeat, & sit ordinata, oportet quod sit debite circumstantionata, & maxime circumstantia finis, & principii activi principalis, ut scilicet sit voluntaria propter Deum.... oportet non solum timere judicem, sed diligere: ut enim dolere possit commissa*, (judex Deus) *arbitrii libertatem quærit, non necessitatem; caritatem, non timorem.*

Duo hinc enascuntur ad sententiæ quam tuemur defensionem solidissima argumenta.

1. Est: contritio ad gratiam reconciliationis in Sacramento obtinendam sufficienter non disponit, nisi voluntaria peccati detestatio sit; atqui contritio ex solo gehennæ metu oborta, est peccati detestatio, Scoto judice, plene voluntaria; neque obtinere hoc potest, nisi cum Dei amore conjuncta sit: quæ Doctoris subtilis doctrina, antiquis patrum documentis, ipsique rationi est consentanea: *invitus facit opus legis*, inquit S. Aug. (*Conc.* 11 *in Ps.* 118) *qui illud facit timore pœnæ, non dilectione justitiæ .... (Enarrat. in Ps.* 77) *ex corde nullo modo fieri potest quod fit formidine pœnæ, non dilectione justitiæ ..... (lib.* 2 *cont.* 2 *Epist. Pelag. cap.* 9) *non fit in corde bonum, quod timore pœnæ, non amore justitiæ, fieri videtur in opere ...* (*Ep.* 144) *qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere.*

Cujus ratio est, quia quæ metu extorquentur, affectu contrario in voluntate præexistente, adjunctam displicentiam habent, & sunt, ut Schola loquitur, secundum quid involuntaria: ut patet exemplo mercatoris, merces quas amat timore naufragii in mare projicientis. *Si quisquam existat*, ait idem Aug. (*lib.* 83 *qq. qu.* 70) *quem numquam delectavit venatio, omnino liber est, utrum venari velit an nolit: nec eum cruciat quisquis hoc prohibet; at si ista libertate male usus, venatus fuerit contra prohibentis imperium, paulatim surrepens delectatio mortificat animam: ut si se abstinere velit, absque molestia & sine angore non possit ....*

in-

indeque est quod S. Thomas costanter docet, (1, 2, *qu.* 6, *art.* 6, *in c.*) *quæ per metum aguntur, mixta esse ex voluntario & involuntario: id enim quod per metum agitur, in se consideratum non esse voluntarium sed fieri voluntarium in casu, scilicet ad vitandum malum quod timetur* . . . . (*ibid. in Resp. ad* 1) *motum voluntatis non ferri propter se ipsum in id quod per metum agitur: sed propter aliud, scilicet ad repellendum malum quod timetur* ... (*Ib. in c.*) *in eo qui per metum aliquid agit, manere repugnantiam voluntatis ad id quod agitur, secundum quod in se consideratur* . . . . (*comm. in c.* 8 *ad Rom. lect.* 3) *qui per timorem bonum agit, non illud facere sponte, sed coactum metu pœnæ, quod est proprium servorum*: ergo &c.

2. Est; contritio, ut sit ad gratiam recipiendam dispositio congrua, bene debet, inquit ille, *esse circumstantionata, & maxime circumstantia finis*; atqui timenti tantum & non amanti deest illa conditio, quia non jam propter Deum, sed propter se ipsum dolere convincitur, adeoque servus est, timens sibi, non filius honorem deferens patri: ergo &c.

S. Bonaventura.

Adstipulatur Seraphicus doctor Minoritani ordinis doctrinæ excellentia non minus quam eximia sanctitate coryphæus alter. „ Sacramenti „ nemo recipit effectum, *inquit*, (*in* 4 *sentent. dist.* 18) nisi caritatem habeat saltem „ in principio confessionis, vel in medio, „ vel in fine: multi habent in fine, qui „ tamen non habent in principio: & alii se „ credunt habere in principio & in fine, qui „ fortassis non habent: & aliqui non habent, nec credunt se habere: primi non „ incurrunt offensam, sed acquirunt gratiam: secundi evadunt offensam quamvis non „ acquirunt gratiam: tertii vero non acquirunt gratiam, sed iram".

Sane, dispositio non est ad reconciliationem in Sacramento obtinendam sufficiens, quæ iram Dei accendit, nedum gratiam adducat; atqui ex S. Bonaventura præparatio quælibet caritate destituta iram Dei concinat, non conciliat gratiam: ergo &c.

S. Antoninus.

Quia timor servilis, ait iste, propter summam in consiliis explicandis prudentiam Antoninus consiliorum antonomastice dictus: " quia „ timor servilis (*in summa*, 4 *par. t.* 15, *c.* 5) „ non est in caritate, ideo non sufficit ad salutem: & ideo pœnitentes, præcipue in gravibus infirmitatibus, oportet admonere, ne ad „ pœnitendum & confitendum, propter hujusmodi principaliter moveantur: nam inutilis „ esset sibi talis pœnitentia: hæc espresse dicit „ D. Augustinus... quem ergo sero pœnitet, „ oportet non solum timere Deum judicem, sed „ justum diligere: non tantum pœnam timeat, „ sed etiam anxietur pro gloria ".

S. Bernardinus Senensis.

Qui conteritur principaliter, inquit, *propter timorem inferni, & non propter amorem Dei, non est in statu salutis, quia non dolet amore Dei, sed amore sui; ut si cessaret damnatio ex propria culpa, cessaret & contritio illa; licet ad veram contritionem concurrat dolor humilians, debet tamen concurrere amor inflammans: unde & si in peccatore initiet timor pœnæ; superveniens tamen amor talem timorem debet repellere.*

Poteram longe plures addere, nisi foret superfluum, quando; ut non semel prædixi, certissimum est, nec unum toto illo temporum tractu, in tanto scriptorum numero reperiri, qui aperte sufficientiam timoris servilis, cum amoris exclusione propugnaverit. Relegantur quæ capite secundo de iis præmissa sunt, qui pro contritionis perfectæ necessitate steterunt: ergo &c.

PROBATIO QUINTA.

Ex Theologis Tridentino Concilio æqualibus, & posterioribus.

Quamquam 16 sæculo nata de sufficientia timoris servilis opinio multorum infecerit animos, suaque, ut fieri solet, novitate, & fulcimento probabilitatis adjuta placuerit; non defuere tamen in Italia, Gallia, Belgio, Germania, Hispania, & aliis Ecclesiæ catholicæ partibus, Cardinales Eminentissimi, Illustrissimi Præsules, doctores, sacerdotes, viri omnium ordinum Religiosi, qui tum in Synodis, tum in ritualibus libris, tum in catechismis, tum in pastoralibus documentis, tum in Theologicis lucubrationibus, antiquam doctrinam strenue ac feliciter defensarunt: quorum si minor in comparatione adversariorum numerus videatur, auctoritate certe, & pondere rationum, præsidioque antiquitatis superior est: e multis paucos, qui sequuntur, proferimus.

S. Thomas de Villanova: " non de damno, „ *inquit*, vel de pœna, vel de infamia, vel de „ turpitudine & vilitate peccati, sed dolendum „ est de peccato prout offensa Dei: sic ut etiamsi „ nullum incommodum de peccato proveniret, „ neque esset infernus, aut judicium, neque „ ali-

„ aliquis sciret, etiam displiceret peccatum, „ quia Deus fuit offensus . . . . vera contritio „ ex amore Dei debet procedere, non ex timore, „ aut amore sui . . . . unde attritio & con- „ tritio non tam differunt, quia contritio est „ dolor tensus, & attritio est dolor remissus: „ sed magis quia contritio est dolor perfectus „ propter Deum, & attritio est dolor imperfe- „ ctus, & mixtus cum aliis respectibus ".

S. Franciscus Salesius: „ pœnitentia, *inquit*, „ quæ non excludit amorem Dei, quamvis ad- „ huc sine ipso sit, est bona & optanda pœ- „ nitentia, sed imperfecta, & quæ salutem no- „ bis dare non potest, donec ad amorem pro- „ vecta sit, & cum ipso commixta: ita ut, si- „ cut magnus Apostolus dixit, si corpus suum „ traderet, & distribueret pauperibus omnes „ facultates suas, caritatem autem non haberet, „ sibi neque martyrium, neque eleemosynas ad „ salutem profuturas: ita & vere dicere pos- „ sumus pœnitentiam nostram, etsi tanta fo- „ ret, ut in lacrymas oculi nostri resolveren- „ tur, & dolore corda scinderentur, nisi san- „ ctum Dei dolorem habuerimus, totum hoc ad „ vitam æternam nihil profuturum ".

Ita S. Franciscus Salesius, cujus auctoritate ad negandam prædestinationem plerumque adversarii gloriantur: ita ut desumpto ex quadam ejus ad *Leonardum Lessium* Ep. (si tamen genuina est) testimonio, frontispicia Librorum adornent: quæ vero isthæc librorum inæqualitas est, velle ejus (ut quidem obtendunt) judicio acquiescere, quando de exterminanda, ante prævisa merita, prædestinatione tractatur; eumdemque, amoris Divini in Sacramento pœnitentiæ necessitatem, tam alta, tamque præclara voce prædicantem contemnere?

S. Carolus Borromæus.

Antequam confessarius pœnitentiam imponat, ait, (*in instruct. de Sacram. pœnit.*) *& absolutionem tribuat pœnitenti: videbit an propter Deum veram peccatorum suorum contritionem habeat; anque certum deliberatumque ei sit in posterum, quantum in se est, divina gratia adjuvante a peccatis abstinere, & quæ antea commiserit, pro iis satisfactionem persolvere; quod si ita animo affectum viderit; monebit, valdeque hortabitur, ut pro tanto beneficio maximas gratias agat Deo, ab eoque cœlestis gratiæ præsidium petere numquam desinat, quo adjutus, pravis cupiditatibus facile resistere possit, si vero talem contritionem illum non habere intellexerit, illius desiderium accendere conabitur, hoc admonens, propter Deum ipsum usque adeo quantum potest, eum peccata dolere oportere, ut saltem adjutrice divina gratia, quam a Deo intime precetur, Sacramentique virtute, ex attrito contritus fiat.*

Eo itaque teste de peccatis dolendum est propter Deum: quod quid aliud est, quam ex Dei amore dolere? qui enim tantum gehennas metuit; non propter Deum dolet, sed propter se.

Ludovicus Granatensis.

De quo illud, quam vere tam magnifice dictum, quod sola ei desit antiquitas, ut pater Ecclesiæ nominetur: *constat plane*, inquit, (*Conc. 1 in festo S. Mariæ Magdal.*) *neminem ex injusto fieri justum, nisi is peccatum super omnia detestetur, illudque supra omnia vitare constituat: hæc vero duo habere nemo potest, nisi Deum diligat super omnia: hæc enim tria dilectio Dei super omnia, odium peccati, & propositum ejus omni opera & studio vitandi, ita se mutuo consequuntur: ut alterum sine altero consistere nullo modo queat. . . . . sine hac Dei dilectione neque vera contritio, neque firmum sceleris vitandi propositum, ac proinde neque justificatio constare potest.*

Franciscus Toletus S. R. E. Cardinalis: (*in instruct. Sacerd. lib. 3, cap. 4*) *attritio, si talis sit*, ait, *ut cognoscat pœnitens se non detestari peccatum, ut est Dei offensa, sed tantum ut est alicujus mali causa, & pœnæ inferni; quamvis bonus actus iste sit, tamen non sufficit ad Sacramentum: immo qui sic accederet, peccaret denuo, & non impleret præceptum, sed esset repetendum Sacramentum*: ne vero quis Lectione Toleti decipiatur, admonemus ita in prioribus & antiquioribus editionibus legi, *Lugdunensi* scilicet, an. 1599, *Mediolanensi*, ejusdem anni: *Romana* an. 1600, *Antuerpiensi* ejusdem anni: *Veneta* anni sequentis 1601 &c. si quid ergo mutationis in posterioribus Editionibus contigit, non auctori piissimo juxtaque doctissimo adscribendum, sed malæ fidei editoribus, qui magnum inde lucrum sperarunt, si tanti viri auctoritatem posteritati eriperent.

Illustrissimus Cardinalis *Clemens Dolera*, *Molinianus* dictus, cujus eo major auctoritas est, quod opus ejus a S. Pio V Pontifice max. dum supremi inquisitoris officio ante Pontificatum fungeretur, cum laude probatum sit: *qui ex sui tantum amore*, inquit, (*de pœnit. c. 34*) *sui commodi respectu, nempe ob solum gehennæ metum, de peccatis dolor procedit, etiam quantumvis immensus sit; non est qui cor contritum facit, aut veniam impetrat: unde si servus domino quem offendit, dice-*

ret: doleo equidem vehementer, quod te offenderim; non tamen propter te, sed propter me doleo, quia ob tuam offensam merito cædor, vinculis constringor, bonis, quibus tibi obsequentes suaviter perfruuntur, ego misere careo: numquid pœnitentia hujusmodi impetraret veniam? Deo ita dicit, quisquis ita dolet, quod ipsum offenderit, si propter se doleat, quia ob offensam cæditur: non fallitur, neque irridetur Deus: debet sane dolor offensæ impetrativus veniæ, esse de offensa, quia offensa illius est quem offendimus, & non tantum quia nobis damnosa & incommoda contritio: ergo quem Deus in nobis respicit, est dolor divinæ offensæ, non nostri tantum; sed illius præcipue causa quem offendimus, ejusmodi ut sit, Dei amorem, ex quo procedat, prærequirit.

Eminent. Cardinalis *Denoff*, Episcopus Cesenatensis: *Contritio*, inquit, (*in instruct. de Sacram. pœnit.*) *quæ requiritur in pœnitentibus, conditiones duas habere debet, quarum prima est, ut sit cum aliquo actu amoris Dei: quia mature pensatis omnibus rationibus, hæc opinio probabilior est; & hic amor debet præponderare omnibus aliis amoribus graviter inordinatis erga creaturas; ita ut appretiativo amore plus amet Deum, quam ea omnia, quæ illum peccati mortalis reum effecerunt, aut efficere possunt: demonstratur autem hunc amorem præponderare debere, ex necessitate absoluta in qua est peccator, excludendi a suo corde, & ejiciendi prædictum creaturarum amorem, in quo proprie consistit peccatum mortale: verum iste amor excludi non potest, nisi amore contrario, id est amore Dei, qui idcirco debet esse prædominans, ut vincat noxium creaturarum amorem.*

Denique ut alios longe plures prætercam, *Clerus Gallicanus* in comitiis generalibus an. 1700 celebratis, postquam inter cæteras propositiones, nominatim istam: *attritio ex gehennæ metu sufficit etiam sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu, quia talis honesta & supernaturalis est*: gravi censura his verbis confixit: *hæc propositio, qua in dispositione necessaria ad absolutionem, excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa, & in hæresim inducit*. Sic prosequitur:

Cleri Gallicani declaratio.

Post absolutas, inquit, *propositionum censuras, supersunt quædam pro rei gravitate enucleatius exponenda, & ab ipsis principiis in apertam lucem deducenda.*

Et quidem de dilectione Dei, sicut ad Sacramentum baptismi in adultis, ita ad Sacramentum pœnitentiæ, quæ est laboriosus baptismus, requisita, ne necessariam doctrinam omittamus; hæc duo in primis ex Sacrosancta Synodo Tridentina monenda & docenda esse duximus.

Primum, ne quis putet in utroque Sacramento requiri ut præviam contritionem, eam quæ sit caritate perfecta, antequam actu suscipiatur hominemque Deo reconciliet; alterum, ne quis putet, in utroque Sacramento securum se esse, si præter fidei & spei actus, non incipiat diligere Deum, tamquam omnis justitię fontem.

Neque vero satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium vitę novę inchoandę, ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat; nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia se se excitet ac provocet.

Placet etiam caveri à Sacramenti pœnitentiæ administris, ne in hoc pœnitentiæ Sacramento, aliisque Sacramentis conferendis, sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore: neve pœnitentes ipsorum fidei animam suam committentes admonere cessent, ut in pœnitendo inchoatæ saltem dilectionis Dei ineant viam, quæ sola secura sit: graviter peccaturi in hoc salutis discrimine vel eo solo quod certis incerta præponant.

PROBATIO VI ET ULTIMA.

Ex Græcorum Orientalium consensione.

Denique non prætermittendæ Græcorum & Orientalium, quæ parvi sane momenti non est, in hujus doctrinæ defensione hactenus infracta, nullaque novitatis admixtione violata constantia: quamquam enim peccatores ad pœnitentiam, æternorum suppliciorum horrore exstimulent, gehennæque metum bonum & utilem, cum Ecclesia Romana, hoc est, Catholica, esse contendant; qua in re, ut in cæteris, a Lutheri & sequacium ejus opinione immensum distant: non hic tamen esse sistendum, nec posse solo timore veram pœnitentiam circumscribi unanimiter sentiunt: hinc non aliam, quæ vere hoc nomine digna sit *μετάνοιαν* norunt, nisi quæ sincera ad Deum conversio fuerit, a quo per peccatum homo recesserat; adeoque duabus potissimum conditionibus definiendam affirmant, odio summo peccati, & summo amore Dei.

Contritio cordis, ait supra laudatus Nicephorus Paschalius, (*in Enchirid. de Sacr. pœnit.*) *tristi-*

tristitia animæ est, & abnegatio peccati, quo Deus super omnia diligendus offensus est, cum firmo vitæ mutandæ, & peccati in posterum fugiendi proposito: indeque infertur, ad recuperandam gratiam, non satis homini esse, a peccato recedere, & instituere novam vitam; sed utrumque pariter esse necessarium, odium videlicet atque dolorem vitæ præteritæ, & propositum de cætero non peccandi .... dolorem hunc quovis altero vehementiorem esse oportet: quemadmodum enim Deus, cum supremum bonum sit, summe & super omnia est amandus; ita peccatum quo Deus offenditur, cum supremum malum sit, summo odio dignum est, & supra quodvis aliud malum detestabile, &c.

Contritio, ait Neophytus Rhodinus, Montis Sinai Monachus (*in epitome doctrinæ Sacramentorum*), *acerrimus cordis est dolor de peccato contra Deum commisso: contra Deum, inquam: nec enim satis est, pœnitentem timore pœnarum affligi; sed quia contra Deum benefactorem suum peccavit*.

Tria contritio continet, ait Gregorius Proto-Syncellus, (*in Synopsi Sacrament.*) *peccati desertionem, de eodem contra Deum commisso dolorem, & ejusdem in posterum non committendi propositum: ad hæc omnia ferventi erga Deum caritate homo excitatur, de qua a Theologis dictum, odio peccati, & ferventi in Deum caritate pœnitentiam contineri: motivo namque triplici ad cordis contritionem ducitur homo; malitia ac deformitate peccati, caritate in Deum, & pœnarum æternarum timore: quocirca timere gehennam pœnitenti non sufficit; sed præterea necessarium est ut doleat, quod Deum benefactorem suum offenderit*.

Eademque *Alexii Rartburi*, *Damasceni Studitæ*, & aliorum, in Catechesibus quas Græci communiter legunt, & in homiliis super Evangelia, doctrina est, sexcentis locis expressa.

Nec aliter sentiunt Orientales, quibus non satis est peccatores ad pœnitentiam, terrore incusso pœnarum salubriter adhortari: sed insuper admonent, sine amore Dei veram cordis conversionem esse non posse: unde ad exemplum peccatricis, pœnitentes continuo revocant, cui teste Evangelio, *peccata multa dimissa sunt, quoniam dilexit multum*: hæc sane *Michaelis* Patriarchæ Antiocheni, *Dionysii Barsalibi*, *Ebnasali*, utriusque *Echmimi*, & aliorum uniformis doctrina est: indeque est, quod de attritione servili, omni Dei amore destituta, nec verbum faciant, immo ne nomen quidem proprium habeant ad illam significandam, solamque *συντριβὴν καρδίας* id est, cordis contritionem, agnoscant.

Ratum itaque fixumque maneat, bonum quidem esse atque utilem dolorem ex gehennæ metu conceptum; sed tamen ad veram pœnitentiam, & obtinendam reconciliationem, etiam in Sacramento non sufficere.

§. SECUNDUS.

Solvuntur objectiones.

His positis fundamentis, non erit difficile tela adversariorum repellere: duplici porro argumento potissimum innituntur. Primum ex natura & efficacia Sacramenti, alterum ex Concilii Trid. decretis petunt.

I.

Discutitur argumentum ductum ex efficacia Sacramenti.

Cum Sacramentum pœnitentiæ, inquiunt, fuerit a Christo in favorem hominum institutum; voluit Salvator ut ratione duplici posset per illud gratia reconciliationis conferri: 1 quidem & perfectius per amorem: 2 etsi imperfectius, per timorem: hucque videtur pertinere laudatum superius S. Hieronymi testimonium: (*in cap. 1 Malach.*) *vult primum Deus, ut filii ejus simus, & bonum voluntate faciamus: si hoc consequi nolumus, ut saltem servos nos habeat, & a malis per suppliciorum formidinem recedamus*. Ergo solus sine amore timor absolute sufficit.

R. Fateor magnum illum Dei erga homines fuisse favorem, *quod in vestibulo collocaverit pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat*, ut loquitur Tertullianus, (*lib. de pœnit. c. 7*) sed nego inde sequi quod voluerit duplici divisive ratione, sive per amorem, sive per solum timorem, indifferenter reconciliationis beneficium obtineri: in re enim tanti momenti, qualis pœnitentia est, unde salutis summa dependet, non debemus de nostro quidquam, Scriptura aut traditione non prælucente, temerario affirmare; atqui divinitus fuisse provisum, ut vel per timorem solum, vel per amorem, suum effectum Sacramentum pœnitentiæ obtineret, nec Scriptura insinuat, nec traditio; cum e contra divini ubique amoris ad conversionem necessitas apertissime prædicetur: & vero quis setio credat Deum, in aliquo suo Sacramento adeo esse voluisse erga homines liberalem ac prodigum, ut eos ab hujus præcepti observatione eximeret, unde, Christo attestante, universa lex pendet & prophetæ; cujusque observatio tum maxime necessaria est, cum de reconciliatione tractatur? quis sibi persuadeat peccatoris cum Deo amici-

citiam posse redintegrari, quandiu cor impœnitens gerit? impœnitens porro est, quamdiu non est conversum ad Deum: conversum non est, quamdiu non amat; quia timor licet properandæ conversionis sit incentivum; non tamen conversio ipsa est, ut ex argumentis superius adductis liquido constat. Ergo falso affirmatur, voluisse Deum, ut indiscriminatim timore vel amore, in sacramento reconciliatio fieret.

Jam quod ex S. Hieronymo opponitur testimonium, nihil plane contra nos facit: non enim hic loquitur de pœnitentia, quæ ad reconciliationem conducat; neque soli timori conversionem, sed tantum discessionem ab exteriori actu peccati attribuit: quod non negamus posse per suppliciorum formidinem obtineri.

Inst. 1. probando propositionem negatam. Pœnitentia in nova lege majorem ad justificandum efficaciam habet, quam in veteri lege habuerit; quia ad vim ejus nativam virtus Sacramenti, quam ante non habebat, accessit: atque ideo minorem in pœnitente dispositionem requirit; atqui nisi sufficeret timor pœnæ, sed insuper amor requireretur, eamdem modo ac antehac dispositionem exigeret. Ergo &c.

R. 1. Retorqueo argumentum. Pœnitentia in lege nova majorem efficaciam habet, quam in lege veteri: unde non tantam in pœnitente dispositionem requirit, quantam alias exigebat. Ergo in nova lege nec timor nec amor ullus debet esse in pœnitente, sed sufficit fidei in Deum motus: imo satis est attritio naturalis, modo honesta; atque adeo necessitas pœnitentiæ, quæ Evangelii fundamentum est, ad nihilum redigitur, & penitus evanescit.

R. 2. Dist. maj. pœnitentia in nova lege minorem quam in veteri dispositionem requirit, *quantum ad gradum*, conc. *quantum ad rem ipsam, quæ gradus diversos habere potest*, n. maj. dist. pariter min. si non sufficeret timor, dispositionem eamdem requireret, *quantum ad speciem*, conc. *quantum ad gradum*, n. min. & conseq.

E. R. Verbis Catechismi Trid. (*part. 2, tit. de Sacram. pœnit.*) *ut hoc concedamus*, inquit, *contritione peccata deleri: quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent; fiebat etiam ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret. Quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves Regni cœlestis Ecclesiæ tradidit: etenim ex fidei catholicæ doctrina omnibus credendum & constanter affirmandum, si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat; etsi hujusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit; ei tamen cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti ac condonari.*

Ita catechismus; itaque mutatio omnis quæ, Christo ita volente, in dispositionibus pœnitentiæ contingit, non ad speciem pertinet, sed ad gradum, idest minor, cum Sacramento, amoris intensio sufficit, quam ante sine Sacramento requireretur. Nam speciem doloris, ejusque necessitatem non esse mutatam, vel inde invicte probatur, quod virtus ipsa pœnitentiæ, fuerit ad materiæ Sacramentalis honorem evecta; atqui amoris necessitas in virtute pœnitentiæ tanta est, ut sine illa ne pœnitentiæ quidem nomen, ut ex prædictis constat, consistere queat; hocque insuperabiliter adstruit ipsa in qua versamur novæ legis conditio, cujus proprius character est amor. Numquid enim vero credere aliquis mediocriter sapiens poterit, legis gratiæ hoc privilegium esse, ut in ea homines, non ab onere, sed ab honore amoris Divini immunes sint; tuncque vere pœnitentes esse putentur, cum nihil plus ad Sacramentum pœnitentiæ afferunt, quam timorem, quo Judæi carnales a peccato deterrebantur, & ad exteriorem legis observantiam incitabantur?

Inst. 2. Majorem ergo difficultatem lex Christi, quam lex Mosaica hominibus intulit. Nam ibi major est difficultas, ubi graviore onere homo premitur; atqui in nova lege pondus longe gravius portandum est, quam in veteri; cum necessitati amoris, lex confessionis, quæ in Lege Mosaica nulla erat, accreverit: ergo &c.

℟. Nego conseq. pudet hujusmodi cavillationes refutare, quantum veritati, tantum pietati contrarias: quis enim patienter ferat, in scholis argumenta serio impuneque jactari, quæ si quis in tribunali pœnitentiæ effutiret, hoc ipso deberet irreconciliatus propelli, & ab omni spe veniæ dejici? Quis frigide & sine stomacho, Christianos Doctores audiat, in nova lege, quæ amoris est, ideo amorem repudiantes, quasi magnam difficultatem importet? scilicet peccatori, postquam amorem suum Deo denegatum, creaturis indigne prostituit, sub obtentu Sacramenti, sine Dei amore spes integra reconciliationis manebit; interimque dum veniam petit, vel sine ullo Dei & creaturæ amore erit; quod monstrum est, nec visum unquam, nec unquam reperiendum:

cum

cum sine amore cor hominis absolute esse non possit: vel cum Dei non habeat, creaturæ amorem habebit; quod sacrilegum. Quis non stupeat amoris divini cessationem pro novæ legis privilegio numerari; cum e contrario Apostolus in hoc novi testamenti præ veteri privilegium excellentiamque posuerit: *Non accepistis*, inquit, (*Rom.* 8, 15) *Spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater*. Ut quid enim vero Christus, post legem a Moyse datam, quæ terroris erat, veritatem & gratiam attulit, quæ potissimum in caritate consistit, si non hoc ejus beneficium, sed onus futurum erat?

Ad probationem Respondeo,

1. Negando suppositum argumenti. Illud enim ponitur tamquam certum, quod falsum esse veritas docet, scilicet in Lege Evangelica nihil, aut fere nihil remanere difficultatis; quid enim hoc est, quod ait Christus: (*Matt.* 7, 14) *arcta via est, quæ ducit ad vitam, pauci sunt qui inveniunt eam?* .... (*ib.* 11, 12) *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud?* .... (*ib.* 10, 38, *& seq.*) *qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus: qui invenit animam suam, perdet eam: & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam?* Et alia hujus generis plurima, si nihil, aut fere nihil in nova lege est difficultatis relictum?

2. Concessa maj. n. min. nego, inquam, in nova lege gravius quam in veteri, cultoribus Dei onus impositum: ubi enim abundantior gratia & redemptio copiosior est, gravius onus dici non debet; atqui in nova lege, quæ gratiæ est, longe uberior ac frequentior in homines gratia Christi Salvatoris effunditur: ergo &c. Deinde, quod ad mandatum pertinet confitendi, non magnam ejus esse difficultatem fatebitur, qui attenderit quantum inde solatium, quanta pœnitenti securitas afferatur: cæterum si cui dura videtur confessionis necessitas, durior certe timenti est, quam amanti: qua in re inurbanam adversariorum urbanitatem soleo demirari, qui ut pœnitentiæ asperitatem emolliant, necessitatem amoris ab ejus conditionibus auferunt, quo sublato sequitur longe esse difficiliorem: amanti enim dulce fit, quod Christo imperante agit; quantumlibet aliunde corruptæ naturæ contrarium: *ubi amatur*, inquit alicubi S. Aug. *non laboratur, aut si laboratur, labor amatur*. Timenti vero, eo præceptum acerbius est, quo magis timet, nec ad amoris gratiam nutrimento caritatis excrescit. Ut enim superius ex S. Thoma ipsisque gentilibus philosophis admonuimus, *quod solo timore fit, mixtum est ex voluntario & involuntario, & importat repugnantiam voluntatis*. Itaque ex lege confitendi nedum legitime inferatur amoris immunitas; longe connaturalius tutiusque est, ejus necessitatem inferre, ut nimirum libere fiat & non coacte, quod asperum aliunde videri potest.

Inst. 3. Atqui necessitatem amoris pœnitentis, Sacramentum ipsum pœnitentiæ abstulit: ergo &c.

Prob. subs. Sacramentum pœnitentiæ mortuorum est, ut traditione docemur; atqui si ad illud foret amor necessario afferendus, jam mortuorum Sacramentum non esset, sed vivorum.

Viventium enim est Sacramentum, quod non confertur nisi vita spirituali viventibus; atqui in hac hypothesi non absolverentur, nisi qui spiritualiter viverent: quemadmodum enim qui non diligit, manet in morte; ita qui diligit, vivit: ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. concessa maj. n. min. & ad ultimum argumentum, dist. maj. vivorum est Sacramentum, quod non confertur nisi viventibus, *vita plena & integra*, conc. *vita inchoata*, nego maj. similiter dist. min. in hac hypothesi non conferretur Sacramentum pœnitentiæ nisi viventibus, *vita inchoata*, conc. *vita plena & perfecta*, n. min. & conseq.

E. ℟. Idem de pœnitentia ac de baptismo debet ferri judicium; atqui baptismus licet Sacramentum sit mortuorum, necessario in adultis motum amoris prærequirit, quo Deum diligere incipiat, tamquam omnis justitiæ fontem, ut docet Concilium Trid. (*Sess.* 6, *c.* 6) quo non obstante, Sacramentum vivorum non dicitur: ergo a pari etiamsi pœnitentia motum amoris necessario prærequirat, hoc non impedit quominus mortuorum sit Sacramentum: ut enim capite secundo prædictum est, vita, altera est inchoata, altera plena: qua autem ratione fiat, ut actus divini amoris plenam vitam & reconciliationem sine Sacramento non conferat, tum ex præcedentibus facile intelligitur, tum art. sequente plenius explicabitur.

Inst. 4. Pœnitentem, virtute Sacramenti, *ex attrito contritum fieri*, axioma est a Theologis receptissimum, principiique loco habetur; atqui nisi in Sacramento sufficeret dolor ex gehennæ metu conceptus, sed præterea amor requireretur, stare non posset ejus veritas; ante enim homo contritus foret, quam Sacramentum reciperet: ergo dolor ex gehennæ metu conceptus, sufficiens est ad recuperandam in Sacramento justitiam dispositio.

℟. 1. Fateor vulgatissimam hanc esse proposi-

tionem, qua dicitur, virtute Sacramenti pœnitentiæ, *contritum ex attrito hominem fieri*. Sed non ideo facile adducor ad assentiendum, axioma hoc divinæ doctrinæ esse: nullibi enim effatum hujusmodi vel in Scriptura vel in traditione reperies, in quibus ceu fontibus Theologiæ principia continentur: quin e contrario contritionem esse necessariam pœnitentiæ partem, Sacerdotis judicio, & administrationi absolutionis præmittendam, tota traditio clamat: unde consequens est, virtute clavium hominem *ex attrito contritum non fieri*: nemo enim de novo fit, id quod ante fuit & esse debuit. Deinde quid quæso principii sive axiomatis nomine in scientiis intelligimus? Nimirum in hoc numero ponimus, propostiones necessarias, perspicuas, ab omni æquivoco alienas, quæque conclusiones permultas virtute contineant, & earum adstruendarum sint fundamenta: inde enim est quod *axiomata* sive *dignitates* vocentur, propterea quod primum in unaquali-bet facultate ac disciplina locum obtineant: quis vero de hac propositione: *pœnitens ex attrito, in Sacramento contritus fit*: id audeat affirmare? Nedum enim univoca & perspicua sit; tot sensibus tamque diversis obnoxia est, quot modis attritionis & contritionis voces intelligi possunt: quo fit, ut aliis quidem ad veritatem propugnandam inserviat, aliis vero sit protegendi erroris prætextus. Sic enim e. c. cui hæc quorumdam recentiorum sententia arriserit: *probabile est in Sacramento sufficere attritionem naturalem, modo honestam*: pariter contendet, hac sola dispositione præmissa, peccatorem ex attrito contritum in Sacramento fieri, & plene justificari: qua doctrina nihil in praxi perniciosius esse potest: quia vero propositio hæc si bene intelligatur, ad rectum facile sensum adducitur, qualem haud dubie antiquiores Theologi inspexerunt:

℟. 2. Concessa maj. n. min. ut enim constet veritas propositionis, sufficit ut dolor de peccatis ex amore initiali & imperfecto conceptus, virtute Sacramenti tantum recipiat incrementum, ut ad gradum caritatis intensum promoveatur; neque necessarium est, ut solus gehennæ metus præcesserit, deinceps in timorem filialem convertendus: nec aliter propositionem hanc boni quique Theologi aut alias intellexerunt, aut modo intelligunt: *Quotiescunque invenitur in doctoribus*, inquit Alphonsus Vivaldus (*in Candelabro aureo, tit. de attritione, quæst.* 9), *quod attritio fit contritio, vel attritus cum Sacramento fit contritus, intelligendum est de attritione perfecta de illa nimirum, qua*, ut paulo ante prædixerat (qu. 1) *propter Deum pure dolemus de peccatis; sed non ita fervide, & super omnia, ut par erat.*

Parique sensu, *si attritio*, ait Joannes Viguerius (*instit. de Sacr. pœnit. c.* 16, §. 4, *tit. de contritione*) *dicatur dolor de peccatis voluntarie assumptus propter timorem servilem .... ut scilicet sit detestatio peccatorum propter metum pœnæ, vel propter Deum non summe dilectum; tunc attritio numquam fit contritio, nec ex attrito aliquis fit contritus, nisi ad hunc sensum, quod post attritionem venit contritio: sicut dicimus, ex mane fit meridies: & ex injusto fit justus consecutive: sic postquam aliquis fuit attritus, fit contritus, attritione desinente propter aliud principium, sive objectum superveniens, quod est timor filialis, vel Deus summe dilectus, & hæc fuit opinio S. Thomæ in* 4. *Si vero attritio dicatur, dolor voluntarie assumptus propter Deum summe dilectum, sed non cum sufficienti & requisita intensione, sive gradu, puta quia non est ex toto corde, & ex tota mente &c. sicut cum motus naturalis a principio fit remissus, & in fine velocissimus, & tamen est idem motus qui successive perficitur: sic attritio ista per continuationem, vel applicationem absolutionis fit contritio: & sic intelligitur id quod a doctoribus communiter dicitur, quod virtute clavium ex attrito fit contritus.*

Nec aliter hoc Theologorum effatum S. Carolus Borromæus supra cit. accepit: *antequam*, inquit, (*in instruct. de Sacram. pœnitent.*) *confessarius pœnitentiam imponat, & absolutionem tribuat pœnitenti; videbit an propter Deum, veram peccatorum suorum contritionem habeat .... Si vero talem contritionem illum non habere intellexerit, illius desiderio accendere conabitur, hoc admonens, propter Deum ipsum, usque adeo quantum potest, eum peccata dolere oportere; ut saltem adjutrice divina gratia, quam a Deo intime precetur, ex Sacramentique virtute, ex attrito contritus fiat.*

Itaque immerito ad suæ opinionis præsidium adversarii istud axioma adducunt, quo hoc unum significatur, virtute clavium, præexistentem in pœnitente Dei amorem, roborari, perfici, & ad maturitatem perduci: minime vero, solo præmisso timore servili, pœnitentem per Sacramentum contritum fieri, quod divinæ legi & Christi institutioni contrarium est: nec enim ideo pœnitentiam Sacramenti titulo Christus ornavit, ut ab amandi Deum necessitate homines eximeret, aut virtutis pœnitentiæ ad Sacramentum præmittendæ naturam mutaret.

Inst. 5. atqui Christus Sacramentum pœnitentiæ ea conditione instituit, ut solus timor servilis, sine ullo Dei amore, esset suf-

ficiens

ficiens ad obtinendam, virtute clavium, reconciliationem dispositio: ergo &c.

Probant subs. & afferunt filii prodigi parabolam, de quo in Evangelio sic narratur: (*Luc.* 15, 13, *& seqq.*) *adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam; & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose: & postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere .... in se autem reversus dixit: quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei: pater peccavi in cœlum & coram te &c.*

Inde sic colligunt argumentum: in hac parabola Christus pœnitentiæ Sacramentum quantocyus instituendum præfiguravit: adeoque prodigus pœnitentium typus erat; atqui non alio ille motivo, quam impatientia famis, & imminentis mortis timore ad patrem reversus, misericordiam, & paternum osculum, & primævos honores obtinuit: pari ergo conditione peccatores in Sacramento pœnitentiæ, etiam sine amore justificantur.

℞. Nego subs. ad probat. parabolam & Scripturæ auctoritatem admitto: argumentum vero inde extortum, quoniam omni ex parte vitiosum est, plurimis modis refello.

1. Nego 1 partem majoris: nego, inquam, Christum in hac parabola pœnitentiæ Sacramentum præfigurasse: hoc enim gratis ab adversariis & sine fundamento fingi, ex ipsa hujus cap. lectione est manifestum. *Erant autem appropinquantes ei*, (Jesu), ait auctor Sacer, (*Ibid. v.* 1, *& seqq.*) *publicani & peccatores, ut audirent illum, & murmurabant Pharisæi, & Scribæ dicentes: quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Quo agnito Christus, ut Pharisæorum murmur compescat, & livorem malum redarguat, parabolas proponit de ove & drachma perditis ac inventis, item, de filio prodigo ad patrem reverso, benigneque ab ipso suscepto: indeque infert, non indignandum, sed potius esse gaudendum, quando peccatores in gratia Dei pœnitentiam agendo recipiuntur. Hoc autem non ad solum Evangelii tempus, sed ad omnia tempora pertinere, manifestum est, nec nostra probatione indiget.

2. Nego alteram partem majoris; prodigum scilicet, eorum gessisse typum, qui erant virtute clavium reconciliandi: in tota enim hac parabola ne verbum quidem legitur, quo claves aliquando Ecclesiæ concedendas, vel leviter innuatur; itaque si filius prodigus, typus pœnitentium fuit, eorum principaliter fuit, qui ante Evangelium, per pœnitentiam ad Deum revertebantur: eos enim significabat, de quibus Pharisæi conquerebatur, quando de Christo dicebant: *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*: eos porro recipiebat, antequam Sacramentum instituisset. Itaque in adversariorum hypothesi, volentium solo timore prodigum ad patrem reversum; dicendum foret, etiam sine Sacramento, solum timorem ad reconciliationem, absque ulla amoris scintilla sufficere. Quod si textui parabolæ strictim & ad litteram hæreamus, dicendum pariter erit, ad veram pœnitentiam & reconciliationem cum Deo sufficere timorem naturalem, & horrorem ex turpitudinis peccati consideratione, pariter naturali, conceptum. *Postquam omnia consummasset*, inquit, (*ibid. v.* 14, *& seqq.*) *facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere, & abiit, & adhæsit uni civium regionis illius: & misit illum in villam suam, ut pasceret porcos: & cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat: in se autem reversus, dixit: quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum &c.* Videant ergo adversarii, quale nobis in filio prodigo pœnitentiæ exemplar obtrudant, a quo dum omnem auferunt divini amoris sensum, faciunt, ut in illo nec veteris nec novæ legis pœnitentium valeat typus agnosci.

3. Nego min. scilicet filium prodigum non alio motivo quam tædio famis & imminentis mortis timore, ad patrem esse reversum. Esto enim hoc illi fuerit pœnitendi exordium & incitamentum; longius tamen progressus, eo devenit, ut patris amore & reverentia, in ejus recipi gratiam peteret: id quod verba ejus declarant: (*ib. v.* 21) *Pater peccavi in cœlum & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus.* Patris namque nomen, amoris est nomen. *Filius honorat patrem*, inquit Deus ipse, (*Malach.* 1, 6) ... *Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus?* Dicendo itaque: *Pater, peccavi, jam non sum dignus vocari filius tuus*, suum testificatur amorem. Deinde quid illud est: *peccavi in cœlum & coram te?* Nimirum: peccavi contra Deum cœli Regnatorem, & contra te patrem meum. Phrasi namque Hebræorum, cœlum pro regnante in cœlis metonymice intelligitur; & peccare coram Deo, idem est ac contra Deum peccare, quo sensu a Davide pœnitente dictum: (*Ps.* 50, 6) *tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* His porro verbis significavit prodigus, se de vita male acta dolere, quod Deum & Patrem optimum offendisset, qui dolor, ut ex prædictis constat, sine amore esse non poterat: indeque est, quod statim his verbis pronun-

nunciatis, Stola prima donatus est, & pristinos honores recuperavit. *Dixit autem pater ad servos suos*, ait S. Evangelista, (*ibid. v.* 22) *cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus: & adducite vitulum saginatum &c.*

Quæ verba si ad Sacramentum reconciliationis in nova lege referimus, plene in nostram quadrabunt sententiam. Per servos enim, Sacerdotes Sacramenti ministros, per stolam primam, gratiam reconciliationis, per annulum, desponsationem animæ pœnitentis cum Deo, quæ per veram pœnitentiam renovatur, per epulas denique participationem divinæ Eucharistiæ intelligemus: quibus beneficiis non ante potiri prodigus meruit, quam suum amorem testatus esset, humiliter confitendo se in cœlum & coram patre peccasse. *Tunc enim solum*, inquit S. Augustinus, (*qq. Evangelic. lib.* 2, *qu.* 33) *pœnitentiam egit, quando dixit patri:* Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. *Nam præcedentia*: dicam ei, pater peccavi in cœlum & coram te &c. *verba sunt pœnitentiam meditantis in confessione peccati, nondum tamen agentis. Non enim jam dixit patri, sed dicturum se esse promittit cum venerit.*

Inst. 6. Et aliam parabolam afferunt, Regis cum servis suis rationem ineuntis: *assimilatum est regnum cœlorum*, ait Christus, (*Matth.* 8, 23, *& seqq.*) *homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis: & cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta: cum autem non haberet unde redderet, jussit eum Dominus ejus venumdari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi: procidens autem servus ille, orabat eum dicens: patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Inde sic argutantur:

Regis nomine, Deus hic venit intelligendus malefactorum rationem ab hominibus exigens: servus debitor decem millium talentorum, peccator est, qui innumeris modis Deum offendit; atqui servo debitum omne dimittitur, non quia amat, sed quia edicti Regis timore deterritus, ad pedes ejus supplex provolvitur, ne nimirum una cum uxore & filiis vænum eat. Ergo timor ad pœnitentiam sufficit.

℞. In hoc argumento nec pedes, nec caput esse, nedumque contra nos quidquam faciat, nulla magis ratione probari, quam sit omni ratione & auctoritate adversariorum opinio destituta.

1. Enim non de ipsa in se pœnitentia & reconciliatione hic agitur, sed de una ejus conditione, nimirum condonatione injuriarum, quæ si defuerit, frustra peccatorum suorum veniam peccator expectat. *Accedens Petrus ad Jesum*, ait S. Evangelista, (*ib. v.* 21, *& seq.*), *dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus: non dico tibi, usque septies: sed usque septuagies septies.* Deinde proposito Regis exemplo, qui servo debitum decem millium talentorum dimiserat; & servi ipsius erga conservum crudelitate exposita, propter quam tortoribus, imperante Rege traditus est, quoad usque redderet universum debitum: sic infert Christus: (*ib. v.* 35) *sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Itaque is Evangelii locus ad præsentem controversiam minime pertinet, & frustra ab adversariis allegatur.

2. Si, ut volunt, quidquid est ad veram pœnitentiam necessarium, hæc parabola exprimit, necessario erit fatendum, timorem mere naturalem in Sacramento sufficere, quod enim sibi hic servus timebat, nimirum venditio, malum naturæ ordinis erat. Fatendum pariter, nec dolorem efficacem, nec vitæ mutandæ propositum, nec certam spem veniæ obtinendæ in pœnitente requiri, de his enim nec verbum parabola injicit. Fatendum denique, non in Sacramento tantum, sed etiam extra Sacramentum, dolorem ex solo metu conceptum sufficere: ad omnes enim peccatores parabola sine exceptione dirigitur.

Vanæ itaque hujusmodi cavillationes sunt, non quærentium, sed fugientium veritatem. Nam si in Scripturis qua par esset diligentia naturam & conditiones veræ pœnitentiæ quærerent, facile in peccatrice muliere invenirent, in cujus non parabola, sed historia dictum est: *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, eamdemque veritatem in innumeris utriusque testamenti sententiis, quarum superius aliquam partem attulimus recognoscerent.

Inst. 7. Atqui dolorem ex solo metu conceptum, absque ullo Dei amore ad justificationem sufficere, scripturæ doctrina est: ergo &c.

Probant subs. & varia congerunt ex Apostolo testimonia: *arbitramur*, inquit ille, (*Rom.* 3, 28) *hominem justificari per fidem sine operibus legis* . . . (*ib. v.* 23, *& seqq.*) *omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu* . . . (*ibid. c.* 4, *v.* 4, *& seqq.*) *ei qui operatur, mer-*

ces

tes non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam, secundum propositum gratiæ Dei: sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus . . . (*Gal.* 2, 21) *si per legem justitia: ergo gratis Christus mortuus est* . . . (*ib.* 5, 4) *evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini: a gratia excidistis* (*Tit.* 3, 5) . . . *non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.*

Inde sic disputant:

Juxta doctrinam Apostoli, homo gratis per fidem, sine legis & justitiæ operibus justificatur; atqui si ad reconciliationem in Sacramento pœnitentiæ obtinendam, aliquis Dei amor esset necessario præmittendus, non gratis, sine legis & justitiæ operibus justificaretur. Nam

1. Amor, opus legis, imo tota lex est; dicente Apostolo: (*Rom.* 13, 10) *plenitudo legis est dilectio.*

2. Dei amorem justitiæ opus esse negare non possumus; cum vel justitia ipsa sit; vel saltem habeat intimam cum ipsa conjunctionem, eamque necessario inferat: ergo &c.

R. 1. Illud argumentum contra adversarios multipliciter retorqueri.

Primo enim hinc sequitur, non in Sacramento tantum amorem Dei non exigi, sed ne extra Sacramentum quidem esse vel unquam fuisse ad obtinendam justificationem necessarium: nam, inquiet aliquis, juxta doctrinam Apostoli, homo gratis per fidem, sine legis & justitiæ operibus justificatur: quod ejus principium cum generale sit, ad omne tempus extenditur; atqui si ad reconciliationem extra Sacramentum obtinendam, necessarius foret, aut olim fuisset aliquis amor; non gratis, sine legis & justitiæ operibus, homini justificatio obtingeret, aut alias obtigisset: ergo numquam debuit homo, ut fieret justus, sive in Sacramento, sive extra Sacramentum amare Deum.

Secundo: inde pariter sequitur, adulto baptismum petenti, dum ad obtinendam justitiam præparatur, non esse necessarium initialem Dei amorem, quo illum incipiat tamquam omnis justitiæ fontem diligere: quod utrum contra doctrinam catholicam in decreto Concilii Trid. expressam (*sess.* 6, *cap.* 6) adversarii concedendum putent: ipsi viderint: aut ostendant saltem quomodo in baptismum petente Dei amor, legis & justitiæ non sit opus, & utriusque tamen opus sit in eo, quem pœnitet post baptismum.

Tertio: si quid hæc argutia probat, pariter contra eorum sententiam adstruit, non modo amorem, sed nec timorem quidem a pœnitentibus exigendum; neque spem veniæ præmittendam, nec denique quidquam aliud, præter fidem, ad Sacramentum debere afferri: in his enim quæ jactant Apostolicis sententiis, solius est fidei mentio; itaque suis ipsis armis vincuntur: sic enim contra eos pari forma argumentum inflectitur: juxta doctrinam Apostoli, homo gratis per fidem, sine legis & justitiæ operibus justificatur; atqui si ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ obtinendam, timor præmitti deberet, jam non gratis sine legis operibus justificaretur: numquid enim timor non est opus legis? imo, numquid non est magis legis opus, quam amor? dicente Apostolo: (*Rom.* 8, 15) *non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum* &c. S. Aug. *brevis est differentia legis & Evangelii, timor, & amor*: ergo &c.

Quarto: quod horribilius est, inde sequitur homini ad pœnitentiam accedenti, nec ullum de admisso peccato dolorem, nec propositum de cætero non peccandi, nec votum satisfaciendi esse necessarium: fidem enim informem, qualis sine dubio est in eo qui amore absolute caret, potest quis habere sine dolore peccati præteriti, sine proposito non peccandi, & sine voto satisfaciendi: deinde dolere de peccatis, nolle peccare in posterum, velle iratum Deum satisfactione placare, ad legem ista & ad justitiam pertinent: cum itaque ex mente Apostoli, ut ipsi quidem volunt, gratis, & sine ullo legis ac justitiæ opere per fidem homo justificaretur, ab iis omnibus immunitatem impunitatemque peccator habet; atque adeo quantumlibet sit corde perversus, & in peccandi voluntate obstinatus, quantumvis pœnitentiæ ac satisfactionis labores refugiat, modo ne incredulus fuerit, ad Sacramentum securus accedat, innocens inde, Deique amicus & hæres sine dubio reversurus.

R. 2. Hoc argumento pleraque fidei dogmata concuti & labefactari.

1. Namque fidei est, neminem adultum sine prævii bonis operibus, gratia per Christum juvante elicitis, posse coram Deo justificari: *si quis dixerit*, inquit S. & œcumenica Synodus Trid. (*sess.* 6, *cap.* 1) *hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo: anathema sit* . . . . (*ib. can.* 3) *si quis dixerit, sine præveniente Sp. Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit.*

At-

Atqui si, ut adversarii arguunt, sic deberent Apostolica testimonia accipi, ut per fidem solam homo, sine legis ac justitiæ operibus justificaretur, rueret hoc fidei dogma: nihil enim amplius præter fidem ad justitiam obtinendam requireretur: ergo &c.

2. Fidei pariter est, quæcumque opera bona justificationem præcesserint, hominem nihilominus gratis, & non ex operibus justificari: *Apostolus dicit*, ajunt Trid. patres, (*sess. 6, c. 8*) *justificari hominem per fidem, & gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit & expressit: ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire: gratis autem justificari ideo dicimur; quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur: si enim gratia, jam non ex operibus: alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia.*

Atqui contra hanc, perpetuo Ecclesiæ Catholicæ consensu firmatam fidem, ex Apostoli sententiis perperam adversarii inferunt, si aliquis divini amoris motus esset ad reconciliationem necessario præmittendus, jam non gratis hominem justificandum: ergo &c.

3. Fidei est, ad obtinendam justificationem, fidem solam sine bonis operibus præviis non sufficere: *Si quis dixerit*, ait S. Synodus, (*ib. can. 9*) *sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi: anathema sit.*

Atqui si bene adversarii ex Apostolicis testimoniis inferunt, hominem sine ullo amoris motu, ad justitiam in Sacramento pœnitentiæ consequendam sufficienter disponi, pariter erit necessarium inde concludere, solam fidem cum exclusione cujusvis alterius præparationis sufficere: ergo &c.

4. Fidei est, ab adultis baptismum petentibus, aut post ejus susceptionem, extra Sacramentum pœnitentiæ reconciliandis, præter cæteras dispositiones, motum amoris in Deum, necessario esse præmittendum; atqui si quid hæc adversariorum argutia probat, ut accedentes ad pœnitentiæ Sacramentum eximat a necessitate Deum amandi; non minus de baptizandis, aut extra Sacramentum pœnitentiæ reconciliandis idem evincit: generales enim Apostoli sententiæ sunt, nec ulla exceptione circumscribuntur: ergo &c.

R. 3. Ad argumentum, admitto auctoritates, & dist. maj. juxta doctrinam Apostoli, homo gratis per fidem, sine legis & justitiæ operibus justificatur; & hoc dictum est, ad exclusionem *legis Mosaicæ, litteræ occidentis, & humanæ, naturalisque justitiæ*, conc. dictum est ad exclusionem *cujusvis legis, & operum justitiæ: quæ fiunt per gratiam Christi*, n. maj. dist. pariter min. si ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ obtinendam, aliquis Dei amor esset necessario præmittendus, homo sine legis & justitiæ operibus non justificaretur, *absolute*, conc. non justificaretur, *sine operibus Mosaicæ legis, litteræ occidentis, & humanæ naturalis justitiæ*, n. min. & conseq.

E. R. Si verum foret quod ex Apostoli sententiis eruunt adversarii argumentum, non ii solum sententiam nostram de necessitate amoris in Sacramento everterent; sed & Lutherani ipsi, contendentes sola fide absolutionem & justificationem sine ullis bonis operibus perfici, Ecclesiam catholicam vincerent: videndum ergo quo sensu Apostolus dixerit, per fidem, sine legis & justitiæ operibus, hominem justificari. Illud porro nos dictum asserimus ad exclusionem legalium cæremoniarum, præsertim vero circumcisionis, & cujusvis humanæ justitiæ, de proprio merito, sine gratia gloriantis: id quod Epistolarum ad Romanos & ad Galatas, unde deprompta sunt testimonia, scopus luce clarius manifestat: in utraque enim totus est Apostolus ut ostendat, neminem legalibus observantiis, aut meritis propriis, sed sola Christi gratia ac fide posse justificari: longum foret hujus assertionis probationes afferre, quæ ad tractatum de justificatione & merito pertinent. In præsenti sat esse putamus studiosum lectorem rogare, ut Epistolarum ad Romanos, ad Galatas, & ad Titum capita legat, unde extorta objectio est, certoque deprehensurum spondemus, Apostolum a justificationis negotio non excludere, nisi circumcisionem & legales alios ritus, & insuper quævis opera solis naturæ viribus facta, idest legem spectatam ut nuda littera est, & absque adjutorio fidei ac gratiæ, præceptiva: de his, inquam, humanæ non tam justitiæ, quam præsumptionis operibus merito Apostolus negat, quod ad justificationem aliquid conferant: *Justitia enim legis non impletur, cum lex jubet, & homo quasi suis viribus facit*, inquit S. Aug. (*cont. 2 Ep. Pelag. l. 3, cap. 7*) *sed cum spiritus adjuvat, & hominis non libera, sed gratia liberata voluntas facit* . . . & alibi explicans ejusdem Apostoli dictum: (*ad Rom. 10, 3*) ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti: *de Judæis hoc dictum*, inquit, (*lib. de grat. & lib. arb. cap. 12*) *qui de se præsumentes, gratiam repellebant*,

bant, & in Christum propterea non credebant.... suam vero justitiam in lege constituerunt, quando eamdem legem suis viribus se implere posse credebant.

Quod vero Apostolus legis & justitiæ opera, quæ Dei adjuvante gratia fiunt, a justificationis negotio non excluserit, præter cætera quæ afferri possent, in Ep. ad Ephesios expresse declaratur, ubi *gratia*, inquit, (*Eph.* 2, 8 *& seqq.*) *estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur: ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*: hic enim opera excludit, simul & exigit: *non ex operibus*, inquit: & statim adiicit: *in operibus bonis*. Unde manifestum est excludi a salutis negotio, *opera quæ fecimus nos*, ut in Ep. cit. ad Titum loquitur, idest, quæ humanis viribus & propria industria egimus; & requiri tamen bona opera, *in quibus, in Christo Jesu creati sumus*, quæ nimirum ejus inspirante & roborante gratia fecimus.

Atque hæc ad adversariorum impetum elidendum sat dicta sint: qui plura desiderat, legat S. Thomæ, & Estii, aliorumque in has S. Pauli Ep. commentaria: Dominicum Soto, *de natura, & gratia l.* 2, *c.* 21, Bellarminum, *l.* 1 *de justific. c.* 19, & alios passim.

Inst. 8. At, inquies, quomodo erit verum quod Apostolus tam sæpe affirmat, gratis hominem justificari, si ad hoc beneficium obtinendum necessario debeat motus amoris præcedere?

R. Verum hoc erit, 1 quia fides, *quæ est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*, ut loquitur Concilium Trid. (*sess.* 6, *cap.* 8) non ex antecedentium operum meritis, sed mere gratuito datur. 2 quia non fides sola, sed & alia quæcumque bona opera justificationem præcedunt, Dei dona sunt, & licet a nobis libere, non tamen a nobis, quasi ex nobis, sed ex Dei gratia fiunt. 3 *quia*, inquit eadem Trid. Synodus, (*ib.*) *nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur*. Quod autem in iis operibus quæ justificationem non promerentur, amorem ipsum comprehendat, ex sequenti can. patet. (*sess.* 6, *can.* 3) *Si quis dixerit, sine præveniente Sp. Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit.*

Inst. 9. Novumque in nos, ex aliis Scripturæ locis impetum faciunt. *Commendat caritatem suam Deus in nobis*, ait Apostolus, (*Rom.* 5, 8 *& seqq.*) *quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est . . . cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo*. Ergo, ajunt, Deus peccatores in Sacramento pœnitentiæ, etiamsi inimici ejus sint, reconciliat; atqui inimici non essent, si amorem haberent: quomodo enim ejus quem amat, inimicus aliquis dici potest? ergo &c.

R. 1 Hoc argumento probari, non in nova lege tantum, ex quo institutum est pœnitentiæ Sacramentum, non esse actum amoris ad obtinendam veniam præmittendum, sed ne antiquitus quidem fuisse necessarium. Sententia enim Apostoli generalis est, & peccatores ac Dei inimicos omnes universaliter sine discrimine temporum comprehendit.

R. 2 Non amorem tantum, sed nec timorem, nec fidem, nec spem, nec dolorem ullum, detestationem de peccatis, nec denique vitæ in melius reformandæ propositum, ad Sacramentum pœnitentiæ esse afferendum, si qua in hoc argumento antecedentis & consequentis connexio foret. Adami namque progenies, de qua loquitur Apostolus, quando dicit: *cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est . . . . cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus*: sine Deo, sine Christo, in hoc mundo, hospes testamentorum, promissionis spem non habens, omnique sensu veræ Religionis destituta, in omnium scelerum barathro volutata jacebat, quando redemptionis mysterium, Dei & hominum mediator Christus implevit. Si ergo eamdem sibi Deus in Sacramento pœnitentiæ formam præscripsit, consequens est, ut virtute ejus peccatores plene absoluteque solvantur, etiamsi nec fidem, nec spem, nec timorem habeant, nec a viis suis malis converti velint, quo nihil magis impium fingi potest; quodque licet adversarii non sentiant, ex eorum tamen argumentatione necessario sequitur.

R. 3 Nego argumenti suppositum, cujus tota vis in falsa Apostolici testimonii intellectione consistit. Supponitur enim hic agere Beatum Paulum de impiorum justificatione formali, quod ab ejus mente alienissimum est; cum solummodo de totius generis humani redemptione, & causa meritoria reconciliationis loquatur. Quo sensu a Concilio Trid. explicatur: *huius justificationis*, inquit, (*sess.* 6, *cap.* 7) *causa meritoria, dilectissimus unigenitus suus*, (Dei) *Dominus noster Jesus Christus: qui cum essemus inimici, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, sua Sanctissima passione in ligno crucis, nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo patri satisfecit*. Nec aliter intelligit S. Thomas: *ex hoc*, inquit hunc Apostoli textum interpretans, (*comm. in cap.* 5 *Ep. ad Rom. lect.* 2) *mors Christi fuit meritoria & satis-*

satisfactoria pro peccatis nostris: & in tantum Deo accepta., quod sufficit ad reconciliationem omnium hominum, etiam occidentium Christum, ex quibus aliqui sunt salvati, ipso orante cum dixit: (Luc. 23, 34) *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*.

R. 4 Etiamsi daremus de causa formali reconciliationis hic loqui Apostolum, (quod tamen est contrarium veritati:) in tuto nihilominus nos futuros: admissa enim auctoritate, & concesso consequente, distinguimus min. subsumptam: inimici non essent si amorem haberent, perfectum, vel *habitualem*, conc. *si amorem imperfectum haberent*, subdist. inimici non essent, *actu*, conc. *reatu & habitu*, n. min. & conseq.

E. R. Quisquis peccati mortalis est reus, hoc ipso inimicus est Dei, donec ei reconciliatus fuerit, hujus autem inimicitiæ actum quidem tollit amor remissus & initialis, qualem saltem absolutioni Sacramentali præmittendum contendimus; nec enim, ut bene admonet argumentum, potest quis eo actu inimicus esse, quo amat; habitum vero & reatum non tollit, nisi fuerit vel actu suo perfectus, vel habitu; non enim omnis caritas sine Sacramento justificat: qua de re plenius articulo sequente dicetur.

Inst. ultimo; atqui Deus, in Sacramento, peccatores omni prorsus amore destitutos ad beneficium reconciliationis admittit: ergo &c.

Prob. subs. ex verbis Christi: *audistis*, inquit, (*Matt.* 5, 43, & *seqq.*) *quia dictum est: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: ut sitis filii patris vestri qui in cælis est .... estote vos ergo perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*: inde sic disputant.

Christus his verbis: *benefacite his qui oderunt vos*: hanc nobis versus proximum misericordiam præcipit, cujus Deus ipse dat nobis exemplum: ideoque subdit: *ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est: estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*; atqui nisi peccatoribus omni amoris sensu destitutis, soloque timore gehennæ perterritis, in Sacramento pœnitentiæ veniam & reconciliationem concederet, nullum nobis rei quam præcipit daret exemplum: imo juberemur patre cœlesti esse perfectiores; siquidem iis qui nos odissent teneremur ignoscere; quod majoris virtutis est; Deus vero, quod non adeo generosum foret, non nisi diligentibus se condonaret: ergo &c.

℟. Nego subs. ad probationem mutiplex Responsio est.

1. Retorqueo argumentum: iis Christi verbis præcipimur inimicos diligere, etiam quando in nostri odio, persecutionibus, & calumniis perseverant, etiamsi nec veniam postulent, nec ulla ratione sperent, nec ullo nostri timore moveantur, & de illatis injuriis sibimet plaudant, nedum aliquo doloris sensu tangantur: nihil porro præceptum hoc continet, cujus nobis exemplum Deus ipse non præbeat; atqui nisi peccatoribus impœnitentibus, de malefactis lætantibus, nec sperantibus, nec credentibus, nec dolentibus, nec veniam postulantibus, & de nullo alio quam de cumulanda nequitia cogitantibus, omnia liberaliter quantumvis horrenda flagitia condonaret, nullum nobis rei quam præcipit præberet exemplum: adeoque patre cœlesti juberemur esse perfectiores: ergo &c. expectamus, ab hoc Labyrintho qui se extricaturi sint adversarii.

℟. 2. Retorqueo idem argumentum: in lege antiqua, antequam foret Sacramentum pœnitentiæ institutum, tenebatur homo proximum quamvis non amantem diligere, eidemque quantumvis infenso injurias condonare: hoc enim naturalis legis præceptum est, a Christo non primario in Evangelio sancitum, sed renovatum; atqui in lege veteri, adversariis ipsis fatentibus, neminem Deus nisi amantem recipiebat in gratiam: ergo perfectionis quam ab homine exigebat exemplum ipse non dabat: adeoque sublimioris virtutis opus homo, quam Deus hoc tempore faciebat.

℟. 3. Nego suppositum argumenti. Ponitur enim pro fundamento normam dilectionis inimicorum, quæ nobis præcepta est, ab ipsa ratione esse petendam, qua Deus in Sacramento pœnitentiæ peccatores ad reconciliationem admittit. Quod gratis esse confictum, sola textus oppositi lectio manifestat. *Diligite*, inquit, *inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos: orate pro persequentibus & calumniantibus vos: ut sitis filii patris vestri qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*. Quidquid ergo comparationis Deum inter & hominem instituitur, in eo posita est, quod debeat homo omnem & quemlibet proximum, amicum aut inimicum, bonum & malum, beneficiis devincire, quomodo Deus bonis & malis, justis & injustis, solis radios, imbriumque fœcunditatem indifferenter dispertit. *Si jubet nos diligere inimicos nostros*, inquit S. August. (*Tract. 1 in Epist. Joan.*) *unde nobis dat exemplum? De ipso Deo: ait enim; ut sitis filii patris vestri qui in cœlis est: quomodo illud facit Deus? Diligit inimicos suos, qui fa-*

cit

cit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos, & injustos.

17. 4. Admitto auctoritatem, & concessa maj. n. min. quantum ad omnes partes. Numquid enim divinæ erga nos caritatis, *qua prior dilexit nos*, (1 *Joan.* 4, 19) illustrissimum in eo exemplum non est, quod universum hominum genus atrocissimis sceleribus a se aversum, & captivitati Diaboli mancipatum, ad spem reconcilitionis & salutis reduxerit? Quod per ineffabile incarnationis mysterium, ut servum redimeret, proprio filio non pepercerit: quod gratiam vocationis immerentibus & indignis concesserit? Numquid Dei peccatorem amantis magnificentissima dona non sunt, fides, spes, timor, desiderium conversionis, compunctio, lacrymæ, suspiria, & cætera denique quæcumque reconciliationem præcedunt? Quis vero adeo demens & impius fuerit, qui hominem quantumvis erga inimicos profusum ac liberalem, audeat Deo peccatores amanti, non dico præferre, verum etiam aliquatenus comparare?

I I.

Expenditur & resolvitur Argumentum ex Concilii Trid. auctoritate petitum.

Objiciunt: sententia de amoris in pœnitentiæ Sacramento necessitate, repugnat definitioni Concilii Trid. Tenenda ergo non est.

℟. Nego antec. ut enim in ipso quæstionis limine observavimus, de amore an sit necessario præmittendus, aut solus gehennæ timor sufficiat, nihil hactenus ab Ecclesia expresso canone definitum. Perperam ergo & non bona fide agunt, qui doctrinam de necessitate amoris, definitionibus Ecclesiæ contrariam jactitant: quod vero ad Concilium Trid. spectat: argumenti vanitas perspecta demonstrataque erit, si duo ostenderimus: 1 Sacram Synodum quæstionem hanc de amore an sit necessarius pœnitenti, attingere noluisse. 2 Multo magis in ejus adstruendam necessitatem, quam in opinionem contrariam propendisse.

OSTENDITUR PRIMO

Concilium Tridentinum quæstionem hanc attingere noluisse.

Audiendus de hac re Emin. Card. Pallacicinus in historia Concilii Trid. ex actis genuinis, certissimisque monumentis excerpta, & a S. Sede probata." Quantum ex actis conjicio, *inquit*, (*l.* 12, *c.* 10) Theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tamquam inhonestum improbantium pœnæ timorem: non item ut ferrent sententiam de Scholastica quæstione, an hujusmodi timor, non solum absque contritione animi perfecta, (de quo controversia vix fuit) sed etiam absque eo quod ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat ad remissionem peccatorum in Sacramento? Id vero clare liquet ex probatione Concilii, quæ hujus articuli doctrinam firmat c. 4, nimirum Ninivitarum pœnitentiam ex timore profectam illis profuisse, cum certum esset, eo tempore quo Sacramentum adhuc non extabat, eam formidolosam pœnitentiam minime suffecisse per se ad peccatum delendum, sed vim tantummodo habuisse ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur caritatis affectus, quem omnes necessarium fuisse fatentur ante novam legem, ad justitiam recipiendam. In Patrum conventu id pauci attigerunt: aliquod dumtaxat vestigium comperio opinionis negantis necessitatem amoris, in iis quæ Granatensis disputavit: at vero Joannes Æmilianus Hispanensis, Tudetanus Antistes, extremum oppositæ sententiæ tenuit; hoc est, opus esse contritione perfecta; nec tamen hinc argui, peccata per Sacramentum non remitti, quippe quæ Sacramentum jam invenit remissa, præeuntis contritionis efficacitate. Si quidem, ajebat, ipsa contritio id præstat virtute Sacramenti, cujus votum in ea continetur.

„ Præterea oportet scire, postea decretis doctrinam complexis verba hæc fuisse adjecta: *illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit, & solum vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel gehennæ & pœnarum metu, qui servilis dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcumque de commissis delictis exprimat; statuit hæc S. Synodus & declarat, non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, (ut quidam blasphemare non verentur,) verum etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem; ac donum Dei esse, ac Spiritus Sancti impulsum verissimum, non quidem adhuc inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, (cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse nequeat,) viam sibi ad justitiam munit, & per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur.* Sed landatus Episcopus (Tudetanus) monuit falso dici, hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse: quod autem hæc attritio satis esset Sacramento constituendo, „ ita

„ ita ut homini attrito deleantur peccata, „ absolutionis supervenientis vi, variare Authorum sententias, adeoque esse id tollendum: „ quamobrem decretum, sicut nunc extat, reformatum est &c."

Hactenus Pallavicinus, cui si quis fidem detraxerit, non Eminentissimo modo Scriptori, sed & Alexandro VII Pontifici Max. sub cujus oculis & auctoritate hæc historia scripta est, videtur mihi facturus injuriam: quin & oportebit de actis ipsis Concilii authenticis dubitare, quibus canones & decreta continentur, a Secretario Synodi consignatis, & ejus testificatione munitis, quam si semel licentiam arripuerimus, ecquid demum certum, & contentionis pruritui intactum manebit?

Ex his porro ejus verbis constat:

1. Patribus hoc unum fuisse propositum, damnare hæreticos, gehennæ metum tamquam inbonestum & exitiabilem improbantes, non vero de Scholastica quæstione ferre judicium, an hujusmodi timor, sine amore perfecto, vel imperfecto ad remissionem peccatorum in Sacramento sufficeret?

2. Æmilianum Tudetanum Episcopum in ipso Concilio pro contritionis perfectæ, intensi videlicet amoris necessitate stetisse, nec ideo tamen in ullam hæresis suspicionem venisse, aut in Patrum consessu male audivisse: quanto itaque minus damnata inibi doctrina est, quæ contritionis imperfectæ necessitatem propugnat?

3. Ideo Decretum de contritione esse reformatum, quia idem Episcopus monuit, de attritione an Sacramento constituendo sufficeret, variare auctorum sententias, quibus ne viderentur patres præjudicare, monitis prædicti Episcopi acquieverunt: itaque patres Tridentinos quæstionem hanc decidere noluisse, certissimum est.

OSTENDITUR SECUNDO.

Magis in amoris necessitatem, quam in opinionem contrariam patres propendisse.

Sessione enim 5, cap. 6, dispositiones recensentes, quibus ante baptismum pœnitens debet ad justificationis beneficium præparari, amorem in hoc numero ponunt, quo Deum Catechumenus tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat. Hinc sic argumentor:

Non minor requiritur in homine post baptismum lapso, ad reconciliationem in Sacramento obtinendam dispositio, quam in homine nondum baptizato: quod non putamus cum aliqua specie veritatis negari posse: quis enim dicere audeat, minorem in baptizato, quam in Catechumeno, salutaris penitentiæ apparatum esse debere? Tenebitur scilicet vir Paganus, nondum in Sanctorum societatem receptus, Sacro baptismati Dei amorem præmittere: & non tenebitur ille, qui lavacro aquæ inter filios Dei est computatus, quique peccando eo inexcusabilior evasit, quo ingratum magis Deo se præbuit? obligabit lex amoris eum cui nondum in Ecclesiam apertus est aditus: eum vero non obligabit, qui salutaribus undis regeneratus, factus est filius sponsæ, *cujus lectulum*, ut habetur in cantico, verus Salomon, *media caritate constravit?* (*Cant*.3,10) atque ita cooptatio in legem amoris, erit titulus non amandi, & quo magis beneficus Deus fuit, hoc magis licebit homini esse ingratum? Non poterit baptismus defectu conditionis sibi extrinsecæ (nec enim amor baptizandorum ad ejus materiam pertinet) suum in adultis obtinere effectum: poterit vero pœnitentia lapsos post baptismum justificare, sine ea conditione, quæ si ad contritionem intrinsece pertinet, ut ex antedictis satis liquet, ipsius Sacramenti pars essentialis habenda est? Jam sic subsumo; atqui ex Concilio Trid. actus amoris, quo Deus tamquam omnis justitiæ fons incipit diligi, est ad baptismum ab adultis necessario præmittendus: ergo a fortiori motus ejusdem dilectionis ad pœnitentiam, ex mente Concilii debet afferri.

Idemque ex ejusdem sessionis can. 3 haud obscure colligitur: *Si quis dixerit*, inquit, *sine præveniente Sp. Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit.* De justificatione generatim hic agitur, & de dispositionibus quas necessario ad eam præmitti oportet. Ubicumque ergo & quoties homo adultus ad gratiam & reconciliationem recuperandam sese disponit, non satis ei est; ex mente Concilii, sperare & credere, nisi insuper Deum super omnia diligat: quæ regula cum sit generalis, non minus ad Sacramentum penitentiæ pertinere, quam ad baptismum credenda est.

Sed multo expressius sessione decima quarta, in quam doctrinam propenderet, S. Synodus indicavit.

Cap. enim 2, Sacramentorum baptismi & pœnitentiæ differentiam explicans, præter cætera: *alius est præterea*, inquit, *baptismi, alius pœnitentiæ fructus, per baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes. Ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum penitentiæ, sine magnis nostris* fle-

fletibus & laboribus, divina id exigente justitia pervenire nunquam possumus: ut merito pœnitentia, laboriosus quidam baptismus a sanctis patribus dictus fuerit.

Et Cap. 4, „ contritio, quæ primum locum inter pęnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero: fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius. . . . . Declarat igitur S. Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere juxta illud: Projicite a vobis iniquitates vestras &c. . . . . Docet prætérea, etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem, ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.

„ Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pęnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorum, verum etiam donum Dei esse, & Spir. Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat: & quamvis sine Sacramento pęnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pęnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt."

Ita S. Synodus: attendat modo lector, ad argumenta quæ sequuntur, ipseque judicet num temerario sentiamus Tridentinum Concilium nostræ magis quam adversæ opinioni favere.

1 Argumentum est: vehementior perfectiorque ab iis qui lapsi sunt post baptismum pœnitentia, juxta patres Trid. quam ab adultis baptizandis exigitur; atqui inter conditiones pœnitentiæ, quam ante baptismum agi oportet, Dei amor, juxta eosdem recensetur, *quo illum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant*: ergo multo magis est, ad eorum mentem, ab iis quos post baptismum pœnitet, exigendus: quis enim serio putet, patribus fuisse satis, pœnitentiæ fletus magnos & labores, lapsis post baptismum, amore sublato, indicere, sine quo fletus & labores quantumlibet graves, teste Apostolo, nihil sunt? Nunquid enim vero talis decisio Christo probaretur, qui peccatricis mulieris reconciliationem, non lacrymis quas tanta copia & libertate effuderat, sed amori attribuit? *Dimissa*, inquit, (*Luc.* 7, 47) *sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum.*

2 Est: contritionis motus, ex patribus Trid. quovis tempore fuit necessarius ad impetrandam veniam peccatorum: ergo ejusdem semper debuit esse naturæ, quia contritio secundum speciem una est; atqui contritio ante Sacramenti pœnitentiæ institutionem necessaria, Dei amorem importabat: idem ergo dicendum de contritione ad Sacramentum afferenda: nec est quod aliquis cavilletur, imperfectum solum contritionem a pœnitentibus exigi, indeque inferat in Sacramento necessarium non esse amorem: perfectum enim & imperfectum gradu differunt, non natura: sic meridiei major quam auroræ perfectio est, non quod luce iste careat, quam habet illa; sed quia meridiei lux vividior est & plenior quam auroræ: similiter homo adultus a se ipso, cum puer erat, perfectione plurimum distat, non quod naturam novam, sed quod ejusdem naturæ incrementum proficiendo habuerit: magna pariter ignem inter octavo gradu intensum, & ignem calidum ut quatuor (sic enim schola loquitur) agnoscitur differentia: sed illa tamen non in natura, verum in gradu consistit: idem ergo de contritione imperfecta dicendum, quod a perfecta differat, non amore, sed gradu amoris, quem intensiorem contritio, remissiorem attritio habet, adeoque vox *imperfectæ contritionis*, qua Trid. Synodus utitur, includit amoris significationem.

3 Est: ex patribus Trid. contritio ad Sacramentum pœnitentiæ afferenda, non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continet; atqui vitæ veteris odium, ut ex prædictis constat, nisi Dei conjunctum amorem haberet, continere non posset: hoc enim ipso quod vitam veterem, hoc est peccatum, pœnitens odio habet & amare cessat, necessarium est, ut inardescat amore Dei: quia cor hominis tam potest sine amore esse, quam ignis sine calore: porro inter Deum & creaturam nihil boni medium est, quod amare homo possit: ergo hoc ipso quo creaturam despicit, in quo peccati perversitas fuit, consequens est ut debeat amare Deum. *Duo namque amores sunt*, inquit ad rem nostram apposite S. Leo Pontifex max. (*serm.* 5 *de jejun.* 7 *mensis*) *ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diversæ qualitatibus, sicut dividuntur auctoribus: rationa-*

tionabilis enim animus qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. Cui concinens paris Doctor auctoritatis, S. Gregorius M. summus utique Pontifex: *esse*, inquit, (*l.* 18 *moral. c.* 8) *sine dilectione animus nequaquam potest: nam aut infimis delectatur, aut summis; & quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori studio torpescit ad infima: quantoque acriore cura inardescit ad infima, tanto tepore damnabili frigescit a summis*: ergo ex eo quod vitæ veteris odium necessarium esse sanxerint patres, consequens est ut Dei amorem pœnitenti necessarium pariter esse significaverint.

4 Est: ut probent patres attritionem ex gehennæ & pœnarum metu conceptam ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere, exemplo Ninivitarum nituntur, qui hoc timore utiliter concussi, ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt; atqui timor Ninivitarum sine conjuncto amore non fuit; imo alioquin nihil ad impetrandam veniam profuisset, quod adversarii non negant: ergo nec idem de pœnitentibus in nova lege, ex Concilii Trid. mente negare possunt. Quid quod si ad rigorem litteræ verba Concilii acciperentur, magis viderentur Ninivitæ ab amandi necessitate, quam novæ legis pœnitentes, fuisse immunes? de istis enim, nulla amoris memoria facta dicitur, *quod timore pœnarum utiliter concussi, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerint, & misericordiam a Domino impetrarint*: unde prima fronte sequi videtur, hunc eis timorem ad plenam pœnitentiam sufficisse, de pœnitentibus vero novæ legis dicitur, quod attritione adjuti, viam sibi ad justitiam parent, & ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponantur. Porro ad rem obtinendam non sufficit, quod ad illam disponit & viam parat.

Quæ etsi ad id quod proposueramus demonstrandum abunde sufficiant, addam alterum ex Trid. Concilii historia, nec minus efficax argumentum.

„ In patrum conventu, inquit Eminentis. „ Cardinalis Pallavicinus, (*hist. l.* 12, *c.* 10) „ id pauci attigerunt: (pauci nimirum con- „ tra necessitatem amoris, in Theologorum „ congressibus disputarunt:) aliquod dumta- „ xat vestigium comperio opinionis negantis „ necessitatem amoris, in iis quæ Granaten- „ sis disputavit. „

E contrario vero ex ejusdem historici testimonio certissimum est, plerosque pro æquali necessitate amoris, in utroque baptismi ac pœnitentiæ Sacramento, graviter solideque pugnasse.

„ Quod attinet ad id, quod dicitur de di- „ lectione Dei, (inquit, postquam descripsit „ caput 6 sessionis) (*hist. l.* 8, *c.* 13) adver- „ tendum est, per tenorem decreti prius deli- „ neati, nullam fieri dilectionis mentionem; „ sed Salvatorem Alepium Archiepiscopum „ Turritanum, Claudium Jaium S. J. Lipoma- „ num Veronensis adjutorem, & Pium Fran- „ ciscanorum Præsidem, admonuisse, ut ali- „ quis caritatis actus insereretur: cumque id „ ad omnium patrum judicium relatum foret „ cum aliis præcipuis notis, ut indicavimus, „ viginti tres ex ipsis diserte comprobasse, a- „ deoque insertum decreto, sed postea aliis „ haud probatum, verum a Theologis strenue „ propugnatum, & per hæc verba retentum: „ *Non est sermo eo loco de habitu caritatis;* „ *sed cum in particula quæ loquitur de pœni-* „ *tentia, nulla fiat mentio amoris, visum* „ *est cum fide & spe jungere aliquem dilectio-* „ *nis actum: quia si pœnitentia tota esset ex* „ *timore, sine amore justitiæ, & dolor esset* „ *propter pœnam tantum, non propter Dei* „ *offensam, infructuosa esset.* „

Et paulo post *ib. cap.* 14 enarrans quorumdam e patribus in cap. 7 ejusdem sess. 6 observationes, ubi dicitur, *in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipere hominem, . . . fidem, spem, & caritatem*: „ quibusdam pariter animadver- „ tentibus, *inquit*, caritatem superiori capite „ memoratam, recenseri sub illius initium in- „ ter ea, quæ præparant animum ad justitiam „ suscipiendam; postea vero tamquam ipsius „ justitiæ formam poni: responderunt decreti „ formatores, in primo loco (sexto nimirum „ capite) sermonem esse de quodam actu ca- „ ritatis; cum insit aliqua dilectio in homine, „ non quidem obtinente, sed exoptante justi- „ tiam: at in secundo, capite videlicet 7, si- „ gnificari habitum caritatis. „

Et hæc quidem in 6 Concilii sessione: de 14 vero sic scribit: (*hist. l.* 12, *c.* 10.) „ ingens quidem volumen conficerem, si vel- „ lem hic recensere, vel ea dumtaxat, quæ „ cum sententiis ibi dictis, testimoniisque pro- „ ductis, tum a minoribus, tum a majoribus „ Theologis, in acta (a secretario) compen- „ dio relata sunt . . . quædam magis singu- „ laria perstringam, quibus palam fiat, seu „ sententiarum discrepantia in consiliis ante „ sessionem habitis, seu patrum mens in ali- „ quo decreto.

„ Didacus Laynez, qui primo loco inter Theo- „ logos minores sermonem habebat, damnans „ posteriorem 2 articuli partem, dixit, Sacra- „ mento esse necessaria pœnitentiam, timorem, „ dilectionem, contritionem, absolutionem.

„ Di-

„ Dilectionem pariter tamquam necessariam „ enumeravit Jacobus Ferrusius Hispanus, Segoviensis Episcopi Theologus, & per hoc „ eumdem articulum improbavit, causatus, „ solis terroribus minime contineri dilectionem, quæ absolute necessaria est; cum Cristus pronuntiaverit: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, & dilexit, inquit, per præteritum, quia dilectio remissionem antecesserit*, & Apostolus: *tristitia quæ est secundum Deum* (hoc est, interpretabatur Ferrusius, *secundum Deum dilectum*) *operatur pœnitentiam in salutem*: unde S. Aug. ait: *absque amore gratia non datur*.... idcirco exigebatis ante omnia, primam quamdam, ut vocant, motionem in Deum, ad quam significandam ea scripturæ verba dicerentur: *converte nos Domine ad te*; &: *ego sto ad januam, & pulso: vos semper Sp. Sancto resistitis*; &: *extendi manum meam, & non erat qui respiceret* ... postea vero actum fidei: unde scriptum erat: *accedentem ad Deum oportet credere*; &: *sine fide impossibile est placere Deo:* hinc oritur, ajebat ille, in homine peccatorum detestatio, assurgitque in spem animus, & amoris initium habetur: inde vero primam gratiam Deus infundit .... Ita Ferrusius.

„ At Melchior Avosmedianus, tunc Pacensis Episcopi Theologus, postea vero regressus ad Pii Concilium Guadicensis Episcopus, dixit, prius nos propter pœnæ metum dolere, dein propter Deum: postea vero, ajebat, peccata confitemur; & Bernardus Colloredus Dominicanus, Forli Episcopi Theologus, tamquam necessaria numeravit, timorem, detestationem, ac fidem, ex qua spes oriatur, & ab hac dilectio: ejusdem sententiæ fuit Franciscus Gontrer ex ordine Minorum Observantium, &c."

His ex historia recitatis sic argumentor:

In hanc magis sententiam propendebat Trid. Synodus, quam major numerus Episcoporum ac Theologorum concilio assidentium defendebat, atqui *opinionis negantis necessitatem amoris aliquod dumtaxat vestigium*, inquit Emineat. Historicus, *comperitur in iis quæ Granatensis disputavit*: e contra vero magna ibidem Antistitum & Theologorum pars pro amoris necessitate pugnabat: ergo &c.

Prosecutio objectionis.

Inst. 1. Probando ant. *illam vero contritionem imperfectam*, inquiunt patres, (*Sess. 14, c. 4*) *quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat (S. Synodus) non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, & Sp. Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat: & quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.*

Hinc sic eruunt argumentum:

Loquitur hic concilium de attritione servili; atqui definit hanc attritionem in Sacramento ad justificationem sufficere: ergo repugnat doctinæ Concilii Trid. opinio asserentium amorem Dei initialem in Sacramento requiri.

R. Admitto auctoritatem: ad probat. dico, hoc argumentum utraque tibia claudicare: unde

1. Nego maj. nego, inquam, patres hic agere de attritione mere servili: de ea enim attritione loquuntur, quæ voluntatem peccandi excludit; atqui servilis attritio nequit penitus voluntatem peccandi excludere, ut superius est probatum: ergo &c.

2. Nego min. quod nimirum attritionem, de qua loquuntur, definiant ad justificationem in Sacramento obtinendam sufficere: non enim ajunt, *sufficere*, sed, *disponere*, quæ duo diversissima esse, nemo est qui non videat; nam ad finem aliquem obtinendum pleraque vulgo adjumenta concurrunt, & suo quæque modo disponunt; nec tamen de singulis dici potest, quod divisim sufficiant: sic, ut ab ipsa, quæ in manu est, materia sumamus exemplum, ad reconciliationem in Sacramento obtinendam disponit actus fidei, disponit & motus spei: numquid ideo dicemus fidem, aut spem, cum Sacramento, sine altero quovis subsidio ad reconciliationem obtinendam sufficere? deinde quod hæc illatio sit a Trid. patribus aliena, ex verbis immediate sequentibus, ut prædiximus, planum est: *hoc enim timore*, inquiunt, *utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt*: quibus sane verbis non ita magni faciunt timorem Ninivitarum, ut ad justificationem sine amore suffecisse arbitrentur; vanum itaque hoc argumentum est, & omni ex parte falsum.

Inst. 2. Probando maj. de hac attritione concilium loquitur, de qua Ecclesiæ Catholicæ cum Luthero contentio erat; atqui de sola attritione servili contendebatur: ergo &c.

R. Concessa maj. dist. min. de sola attritione servili quæstio erat, *utrum bona foret & utilis, hominemque non faceret hypocritam*

tam

tam & magis peccatorem, conc. *utrum sola in Sacramento*, *sine ullo amoris metu sufficeret*, n. min. & conseq.

E. R. De timore servili, ut sæpe monuimus, duplex quæstio esse potest: 1 utrum sit ex sua substantia bonus? 2 utrum ita sit bonus, ut præter illum in pœnitente nihil amplius requiratur, ad veniam virtute clavium impetrandam? de secunda nec cogitatum quidem in decretis & canonibus Trid. quippe quæ minime foret a Luthero ejusque sequacibus excitata: itaque de sola timoris servilis utilitate ac bonitate actum est, quam vaferrimus hæresiarcha negabat: quod si quis *Pallavicino* ex authenticis concilii monumentis attestanti credere detrectaverit; aliorum testimoniis convincetur: *quod divinæ justitiæ timore utiliter concutiantur peccatores*, ait Andreas Vega concilii Theologus, (*lib.* 6 *in Conc. Trid. c.* 23) *id nobis controversum est cum Luthero: is namque adeo non credidit gehennæ metu utiliter concuti peccatores, ut & peccatum esse asseruerit, & peccatores pejores facere* ... nec minus explicate Joannes Eckius: (*lib. de pœn. cap.* 5) *vel fallitur Lutherus*, inquit, *vel vult fallere catholicos .... fatentur enim & hoc catholici cum Sancto Paulo, si quis caritatem non habuerit, nihil esse: fateatur, si quis vellet stare in timore servili duntaxat, sicut Judas, quod veram pœnitentiam numquam adipisceretur: sed per hoc non improbat Lutherus, quin timor sit initium pœnitentiæ; quin per timorem paretur & acquiratur pœnitentia: is est scopus negotii, quem Lutherus non tangit .... volumus solum impetrare, quod timor pœnæ valeat ad parandam pœnitentiam: quia timore concipitur; & ita timor sit initium pœnitentiæ: nemo catholicus vult timorem esse pœnitentiam* ... nec aliter sentit Card. Bellarminus, affirmans, (*lib.* 2 *de pœn. cap.* 17) *in hoc totam cum Luthero fuisse controversiam, quod ille damnaret timorem servilem, ut qui faceret homines hypocritas magisque peccatores*.

Quid vero aliunde quæsitis testimoniis opus est, cum ex Trid. Canonibus res illa perspicue constet? de hoc enim quæstio vertebatur, quod contra Lutherum est definitum; atqui hoc unum contra hæresim ejus sancitum, timorem gehennæ bonum esse ac utilem: *si quis dixerit*, ajunt patres (*Sess.* 6, *can.* 8) *gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere: anathema sit*... (*Sess.* 14, *can.* 5) *si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando .... æternæ damnationis incursum .... non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem ..... anathema sit*.

Inst. 3. Atqui de sola attritione eo loci agit concilium: ergo &c. prob. subs. loquitur S. Synodus de attritione, quæ concipitur ex solo gehennæ metu, vel ex sola turpitudinis peccati consideratione; atqui attritio illa servilis est: ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. n. maj. non enim ajunt patres, attritionem hanc concipi *ex solo metu*, sed communiter concipi *ex metu gehennæ*, quæ duo longe diversa sunt: "constat ex „ historia veritas responsionis: paratum erat a „ nonnullis decretum his verbis conceptum, „ ait Pallavicinus, (*lib.* 12, *cap.* 10) illam „ contritionem quam Theologi attritionem vo- „ cant, quod imperfecta sit, & solum vel ex „ turpitudinis peccati consideratione, vel ex „ gehennæ & pœnarum metu, qui servilis ti- „ mor dicitur, concipiatur; si voluntatem pec- „ candi excludat, & dolorem qualemcumque „ de commissis delictis exprimat; statuit hæc „ S. Synodus & declarat non solum non facere „ hominem hypocritam & magis peccatorem, „ ut quidam blasphemare non verentur, verum „ etiam sufficere ad Sacramenti hujus consti- „ tutionem, & donum Dei esse, & Sp. Sancti „ impulsum verissimum, non adhuc quidem „ inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœ- „ nitens adjutus, cum sine aliquo dilectionis „ in Deum motu vix esse queat, viam sibi ad „ justitiam munit, & per eum ad Dei grati- „ am facilius impetrandam disponitur".

Sed cum admonuisset sæpe laudatus *Æmilianus* Tudetanus Episcopus, qui stabat pro contritionis perfectæ necessitate, falso dici hujusmodi dolorem sine aliquo amore vix unquam concipi posse: quod autem hæc attritio satis esset Sacramento constituendo; ita ut in homine attrito deleantur peccata vi supervenientis absolutionis, variare auctorum sententias: atque adeo hæc verba esse tollenda: *decretum*, inquit idem scriptor, *sicut nunc extat, est reformatum*: cum itaque patres expungi ex decreto jusserint particulam exclusivam (solum) & nomen attritionis servilis; manifestum est ruere argumenti propositi fundamentum.

Inst. 4. Probando maj. loquitur concilium de attritione, cujus motivum diversum sit a motivo contritionis; atqui contritionis motivum est amor: ergo loquitur de attritione, quæ præter gehennæ metum, aut turpitudinis peccati considerationem, aliud incitamentum non habeat.

R. Dist.

R. Dist. maj. loquitur concilium de attritione, cujus motivum diversum sit a motivo contritionis, *motivum*, inquam, *aliquod*, conc. *motivum omne*, subdist. cujus motivum a motivo contritionis diversum sit, *gradu*, conc. *specie*, n. maj. dist. pariter min. motivum contritionis est amor, *perfectus*, & *intensive summus*, conc. *imperfectus*, n. min. & conseq.

E. R. Duobus modis differunt contritio & attritio.

1. Quia contritio caritate perfecta est, hominemque Deo reconciliat, priusquam Sacramentum actu suscipiatur, quamquam non sine ejus voto, quod in ea includitur, ut loquitur concilium: (*sess.* 14, *cap.* 4) attritio vero ex caritate inchoata, & motu dilectionis procedit.

2. Quia contritio metum gehennæ pro incentivo non habet: *perfecta namque caritas*, inquit S. Joannes (*Ep.* 1, *cap.* 4, 18) *foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in caritate*: e contra attritio sine metu gehennæ non est.

Jam itaque fatemur, 1 ex mente Concilii Trid. attritionem habere motivum quoddam a motivo contritionis omnino diversum, timorem nimirum: 2 habere pariter motivum quoddam a motivo contritionis differens gradu & perfectione, scilicet caritatem, quæ perfecta est in contritione, imperfecta in attritione: sed negamus ex patrum sententia, ita differre, ut caritatem una habeat, altera excludat: quin e contra contendimus, ex Concilio Trid. certo inferri, attritionem, ut vere ad justitiam in Sacramento obtinendam disponat, amorem aliquem necessario importare: *contritio*, inquit, (*sess.* 14, *cap.* 4) *quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero: fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius: & in homine post baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur*.

Hinc sic inferimus:

Idem, saltem quantum ad speciem contritionis, motus, ad mentem concilii, in pœnitentiæ Sacramento requiritur, qui fuit quolibet tempore ad impetrandum peccatorum veniam necessarius; atqui ad reconciliationem necessarius non fuit, nec potuit esse sine amore: ergo a pari in lege gratiæ, ut ad veniam in Sacramento obtinendam sufficiat, nequit esse omnino amoris expers: atque adeo ex Trid. Synodo, attritio & contritio non sic differunt, ut una amorem importet, altera excludat.

Inst. 5. Ex decreto quale præformatum fuerat, expungi patres jusserunt has voces: (*cum sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat*:) quæ de attritione servili a decreti editoribus dicta erant: ergo in hoc attritionem a contritione distinguebant, quod illam solus timor, istam amor solus constitueret.

℟. 1. Si ex iis, quæ a decreto, quale præformatum fuerat, expungi patres Tridentini voluerunt, de lite præsenti debeat ferri, sine discussione nova, judicium, procul dubio adversarios causa cadere: sic enim contra ipsos intorquebitur argumentum: ex decreto, quale primo formatum erat, deleri patres jusserunt has voces: (*sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem*:) quæ dictæ erant de attritione servili, ex sola turpitudinis peccati consideratione, & gehennæ ac pœnarum metu concepta: ergo attritionem hanc non sufficere, patrum sententia fuit: alioquin enim verba sensum suum tam perspicue exprimentia deleri non imperassent.

R. 2. Concesso ant. n. conseq. videndum, quis decreti, quale primo conceptum fuerat, publicationi intercesserit, quæque ei fuerit causa interveniendi, ut inde æquum feratur de sensu Synodi Trid. judicium: intercessor fuit Tudetanus Antistes *Æmilianus*, qui, uti narrat Pallavicinus, oppositum extremæ sententiæ tenens, pro perfectæ contritionis in Sacramento necessitate, tam fervide decertavit: quique semetipsum & causam cujus defensionem susceperat prodidisset, si attritionem omni destitutam amore, velut partem Sacramenti sufficientem, parum sui memor probasset: causa interveniendi fuit, quia perperam dicebatur, motum dilectionis in Deum, ab attritione ex metu concepta vix separabilem esse: *meminit*, inquit Eminent. Historicus, *falso dici hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse . . . ideoque id esse tollendum*: non igitur ideo commemoratio dilectionis sublata est, quia non putabatur necessaria Sacramento; sed quia Episcopo Tudetano assensum est, haud immerito opponenti, falso in decreto esse dictum, attritionem servilem sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse posse: quod longe distat a præsenti controversia de necessitate amoris in Sacramento: itaque præter vanitatem ac fucum hæc objectio nihil habet.

Inst. 6. Juxta Concilium Trid. attritio ex gehennæ metu concepta, vim aliquam habet in Sacramento, quam extra Sacramentum non habet; atqui extra Sacramentum, ad justificationem remote saltem disponit: ergo in Sacramento ita disponit, ut etiam sine amore sufficiat.

R. Dist. maj. attritio ex gehennæ metu concepta

cepta vim aliquam habet in Sacramento, quam extra non habet; *si voluntatem peccandi excludat*, conc. *secus*, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. R. De eadem attritione dicunt Tridentini patres, quod ad gratiam in Sacramento obtinendam disponat, de qua paulo ante dixerant, debere peccandi voluntatem excludere; atqui attritio non excludit voluntatem peccandi, nisi quatenus aliqualem Dei amorem importat: ergo nec disponit ad gratiam in Sacramento obtinendam, nisi comitem habeat & adjunctum amorem.

Inst. 7. Attritio, cui comes amor adjungitur, etiam extra Sacramentum disponit ad gratiam impetrandam: ergo de illa non dicunt Trid. patres, quod in Sacramento disponat.

R. Dist. ant. disponit *remote*, conc. *proxime*, n. ant. & conseq. communi hominum usu hæ voces *dispositionis remotæ & proximæ*, sic teruntur, ut si quis explicare proposuerit, rem inutilem aggrediatur: disponit extra Sacramentum ad gratiam obtinendam, attritio solo timore concepta, sed remotissime: disponit si habeat aliquem amorem adjunctum, sed remote, nondum scilicet per Sacramenti efficaciam fœcundata: & denique proxime disponit dolor ex amore in Sacramento, quia ut reconciliationem virtute clavium obtineat, nihil amplius requirit.

Monitum.

Jam ne quis supersit de mente Trid. Concilii scrupulus, utque facilius tricæ omnes enodentur, quibus probare adversarii contendunt, timoris servilis sufficientiam, dogma esse a S. Synodo definitum, rogamus studiosum lectorem, ut ad sequentia momenta, quæ majori jam ex parte exposita, in unum hic prospectum colligimus, animum advertat.

Primum est, a decreto quod paratum fuerat, expunxisse patres has voces, quibus dicebatur, *attritionem concipi ex solo gehennæ metu: aut ex sola turpitudinis peccati consideratione; eamque sufficere*: sic enim narrat Pallavicinus, quem suspectum adversarii non habent; vel si habent, non ejus tantum, sed actorum concilii, ipsiusque Alexandri VII, quo probante Trid. Concilii historia divulgata est, auctoritatem despiciunt: quis porro credat, S. Synodum attritionis servilis sine amore sufficientiam definire voluisse, quam ne definiret, verba sufficientiam declarantia e decreto suo erasit?

Secundum est, in ipsa Synodo plures patres ac Theologos amoris divini in Sacramento necessitatem libere propugnasse, nemine contradicente; immo nonnullos aperte dixisse, amorem hunc perfectum esse debere: vix autem aliquos repertos, qui starent pro attritionis servilis sufficientia, aut ejus injicerent mentionem, ut narrat idem Pallavicinus; atqui res nova foret & hactenus inaudita, si contra omnium vel pene omnium uni concilio assidentium mentem, paucorum opinio contraria vinceret, & nemine repugnante velut dogma definiretur.

Tertium est, soluto concilio quamplures Theologos, qui eidem interfuerant, rerumque inibi gestarum testes, & non testes solum, sed & actores fuerant, divini amoris in Sacramento necessitatem, pari ac antehac constantia tenuisse, & velut scripturæ ac traditioni apprime consonam propugnasse: ecquis vero aut istorum non culparet audaciam, œcumenicæ Synodi definitioni impudenter contraeuntium, aut aliorum socordiam non defleret, qui contradicentibus resistere non auderent.

Quartum est, servilis timoris primos post tempora Trid. Concilii assertores, opinionem hanc veluti recentem, & in praxi minime tutam, subtimide & cum pudore aliquo defendisse: quod plane facturi non erant, si, ut modo adversarii jactitant, stare pro se Synodum Trid. intellexissent: *quod attritio sufficiat*, inquit Melchior Canus, unus ex concilii assessoribus, (*relect. de pœn. p. 5*) *quamvis verum sit, non est tamen adeo certum & indubitatum* . . . & Franciscus Suarez, (*in 3 p. S. Thom. q. 90, art. 4 disp. 15, sess. 4, n. 17*) *licet sit probabilis opinio, attritionem cognitam sufficere ad justificationem; tamen non est certa, & potest esse falsa . . . . nec valde antiqua, nec multum communis est* . . . . & Paulus Comitolus: (*in responsis moralibus lib. 1, q. 32*) *plures magnique Theologi*, ait, *in pœnitente antequam absolvatur, contritionem veram caritate formatam requirunt: nec usque adeo certum est, attritionem pœnitenti esse satis* . . . . quin & paulo post vulgatos ubique, summaque omnium consensione receptos concilii canones, quo nimirum tempore a Theologis avidissime legebantur, ut ad eorum normam vel in fide ante habita firmarentur, vel pravas opiniones corrigerent; visus sibi est *Ludovicus Lopez* sentire audacius, & rem insolitam loqui, timoris servilis sufficientiam propugnando: *audio*, inquiebat, (*in instruct. conscientiæ p. 1, c. 9*) *& hanc statuere conclusionem: probabile est, & non parum veritati, & Concilio Trid. consona opinio affirmativa; scilicet, quod ad impetrandam justitiam, & remissionem peccatorum in Sacramento pœnitentiæ, satis est attritio cognita, etiam si pœnitens non existimet probabiliter eam esse contritionem*: ita ne vero loquerentur, quibus persuasum foret, attritionis sufficientiam, dogma esse ab Eccle-

sia

sia Catholica in concilio œcumenico definitum?

Quintum est, in Catechismo Romano, ipsius concilii jussu edito, & a scriptoribus qui concilio interfuerant, ad ejus mentem exarato, nusquam opinionem hanc de attritionis servilis sufficientia suggeri, immo nec ullam fieri mentionem doloris ex solo metu concepti.

Sextum est, doctrinam de necessitate amoris ad Sacramentum pœnitentiæ afferendi, a gravissimis ubique Theologis, Pastoribus, Episcopis, Cardinalibus, ut consonam Trid. Concilii definitionibus validissime propugnatam, & etiam num propugnari: quis vero inducat in animum, toleraturos Pontifices Maximos ut ab œcumenicæ Synodi decreto impune descisceretur, falsoque ei doctrina ab ejus canonibus aliena imponeretur?

Septimum est, hanc ipsam de amoris necessitate doctrinam, Romæ ad examen sæpe vocatam, intactam esse dimissam, & ab omni censura immunem: sic enim cum esset de hac re gravis in Belgio contentio excitata, hinc inde se se Theologis hæreseos accusantibus, felicis memoriæ Alexander VII Pontifex max. decretum emisit, an. 1667, die 5 Maji, quo districte prohibuit, *ne audeant Theologi taxare alterutram sententiam sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in attritione, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem; donec a Sancta sede fuerit aliquid hac in re definitum* .... cumque decennio post, eadem Lovanii querela recrudescente, ad beatæ pariter memoriæ Innocentium XI Pontificem Max. delata esset doctrina scholæ Lovaniensis, amoris necessitatem tuentis, post duplex solemne examen, illæsa, Eminent. DD. Cardinalium qui congregationi S. Officii præerant judicio, abiit.

Octavum est, auctoritas Gallicanorum Antistitum, a quibus an. 1700 sequens propositio, n. 87 damnata est: *Concilium Trid. adeo expresse definivit, attritionem quæ non vivificet animam, quæque supponatur sine amore Dei esse, sufficere ad absolutionem; ut anathemæ pronunciet adversus negantes.*

Censura.

Hæc propositio falsa est, temeraria, Concilio Trid. contraria, & in errorem inducit.

Itemque hæc altera n. 86: *attritio ex gehennæ metu sufficit, etiam sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu, quia talis honesta & supernaturalis est.*

Censura.

Hæc propositio, qua a dispositionibus necessariis ad absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa, & in hæresim inducit.

Nonum denique, ut multa alia taceamus, est, quod cum nequeant adversarii in suas partes Concilium Trid. pertrahere, quod conatu hactenus irrito vanisque subtilitatibus ac cavillationibus attentarunt; eorum maxime intersit de sufficientia servilis attritionis opinionem, auctoritate aliqua scripturæ, traditionis, patrum, aut scholasticorum saltem veterum approbare; atqui his tam necessariis præsidiis, ut ex antedictis constat, absolute destituuntur: hoc enim unum probare possunt, quod omnes contra Lutherum catholici profitentur, timorem scilicet esse bonum, & utilem: at ita esse bonum, ut se solo ad conversionem in Sacramento sufficiat, in hanc usque diem nec adstruxerunt, nec adstruent unquam, cum ex Sacris Litteris & patrum documentis, ipsaque natura conversionis certissimo eruatur, solo amore mutari voluntatem, ac Deo, cui per peccatum erat denegata, restitui.

Inst. ultimo, & contra nos modo laudatum Alexandri VII decretum inflectunt: majorem enim, inquiunt, sum. ille Pontifex, opinionis de sufficientia servilis attritionis, quam contrariæ decernit esse auctoritatem: in hanc ergo partem, quam in contrariam propensior erat.

R. Nego ant. cujus ut vanitas demonstretur, sat erit decretum quale latum est de verbo ad verbum exscribere: „ feria 5 die 5 „ Maji 1667 SS. D. N. Alexander Papa VII „ cum acceperit non sine gravi animi mœro„ re, scholasticos quosdam acrius, nec abs„ que fidelium scandalo inter se contendere, „ an illa attritio, quæ concipitur ex metu „ gehennæ, excludens voluntatem peccandi, „ cum spe veniæ, ad impetrandam gratiam in „ Sacramento pœnitentiæ, requirat insuper ali„ quem actum dilectionis Dei; asserentibus „ quibusdam, negantibus aliis; & invicem ad„ versam sententiam censurantibus: sanctitas „ sua enixe cupiens pacis vinculum inter fi„ deles servari, omnemque scissuræ fomitem „ extinguere; auditis votis Eminent. & Re„ verend. DD. Cardinalium, adversus hære„ ticam pravitatem generalium inquisitorum, „ nec non DD. Consultorum & qualificato„ rum S. Congregationis ejusdem generalis in„ quisitionis; hoc præsenti decreto in virtute

„ sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommu-
„ nicationis latæ sententiæ huic S. Sedi re-
„ servatæ, aliisque pœnis ejusdem S. Sedis ar-
„ bitrio taxandis, præcipit cunctis & singu-
„ lis fidelibus, quocumque gradu, ac digni-
„ tate, etiam Episcopali, & majori, imo &
„ Cardinalitia fulgentibus, ut si deinceps de
„ materia attritionis præfatæ scribent, vel
„ libros, aut scripturas edent, vel docebunt,
„ vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœ-
„ nitentes, aut scholares, cæterosve erudient,
„ non audeant alicujus Theologicæ censuræ,
„ alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota ta-
„ xare alteram sententiam, sive negantem ne-
„ cessitatem aliqualis dilectionis Dei in præ-
„ fata attritione ex metu gehennæ concepta,
„ quæ hodie inter scholasticos communior vi-
„ detur, sive asserentem dictæ dilectionis ne-
„ cessitatem, donec ab hac S. Sede fuerit ali-
„ quid in hac re definitum ".

Ecce tibi integrum, ut prædixi, decretum, quod quatenus aliquod adversariis patrocinium afferat, nemo, lynceos licet habeat oculos, videbit unquam: hic equidem dicitur, servilis attritionis opinio, inter scholasticos hodie videri communior: verum præter quam quod ipse phrasis contextus: (*hodie inter scholasticos communior videtur*:) novitatis opinionem hanc arguit, (quod enim hodie est, & heri non erat, est novum:) non ideo majoris auctoritatis putari debet, quia defensorum numero alteram superat: nemo namque nescit, ubi res divina tractatur, non numero protectorum sententias esse dijudicandas, sed pondere: *quo loco sane*, inquit Melchior Canus, (*de locis Theol. l. 8, c. 8*) *arguendi sunt scholastici nonnulli, qui ex opinionum quas in schola acceperunt præjudiciis, viros alias catholicos notis gravioribus inurunt, idque tanta facilitate, ut merito rideantur . . . Theologorum enim Scholasticorum*, inquit paulo sup. *etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobarit: videlicet in scholastica disputatione plurium auctoritas obruere Theologum non debet: sed si paucos viros modo graves secum habet, poterit sane adversum plurimos stare*. Ita Melchior Canus; cujus pronuntiatum tum alibi sæpe, tum nusquam magis quam in præsenti quæstione, sapiens est ac judicii plenum: si enim hodierni Theologi servilis attritionis protectores, contra sentientes numero vincunt; vincuntur sane ipsi longe graviore rationis & antiquioris auctoritatis pondere: itaque nihil habet nobis decretum Alexandri contrarium.

Erit forte qui in his insistat vocibus: *an illa attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi* &c. quibus insinuari videtur, ad mentem Pontificis Max. solo gehennæ metu excludi posse peccandi voluntatem; quod nos affirmamus facto esse impossibile: verum narratio hæc est & expositio opinionis eorum qui pro servilis attritionis sufficientia dimicant, non sententiæ Pontificis Maximi expressio: quod erit attente decretum legenti manifestissimum.

¶ Si quæ adhuc de re hac difficultas superesset, jam hæc penitus sublata censeri debet ex verbis supra laudati Benedicti XIV feliciter regnantis *lib. 7, Cap. 13, Syn. Diœc.* ubi redarguit eos Theologos, qui *ob auctum Doctorum sibi consentientium numerum animosiores facti, non solum absque ulla dubitatione, & limitatione asseruerunt* (attritionem sufficere &c.), *sed contrariam sententiam requirentem in Pœnitente aliquem charitatis amorem, saltem initialem, carpere, & censura afficere non dubitarunt, eam omnino improbabilem, periculosam, Trid. menti contrariam, atque implicite, & virtualiter ab eodem Trid. proscriptam dictitantes*. Quod etiam luculentissime colligitur ex aliis verbis, quæ ibidem subjicit sapientissimus Pontifex, & ex hac ejusdem sententia: *Cum itaque versemur in quæstione ab Ecclesia hactenus non definita, jure ac merito Alexander VII die 5 Maji 1667 sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservatæ præcepit*, cunctis, & singulis fidelibus &c. prout supra relatum est. Ex quo concludit: *Caveant proinde Episcopi, ne in suis Synodis, aut in instructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant* &c. *Adhuc quippe sub judice lis est. Adhuc impune pro una, & altera sententia dimicatur . . .*

Apposite nihilominus monet Num. 10 Pontifex idem, „ Sed non ideo prohibentur Epi-
„ scopi Confessarios monere, ut pœnitentes ad
„ veram, & perfectam contritionem horten-
„ tur, & excitent: id siquidem faciendum
„ suadent etiam præcipui Auctores, qui pro
„ sufficientia doloris ex solo metu gehennæ
„ steterunt, uti Suarez, Gamachæus, Comi-
„ tolus, quorum testimonia supra retulimus.
„ Et quod magis est, ita fieri præcipit Ri-
„ tuale Romanum jussu Pauli V editum,
„ Confessario injungens, ut audita Pœnitentis
„ Sacramentali Confessione, ejusque peccatis
„ diligenter expensis, *opportunas correptio-*
„ *nes, ac monitiones, prout opus esse viderit,*
„ *paterna charitate adhibeat, & ad dolorem,*
„ *& contritionem efficacibus verbis adducere*
„ *conetur*. Cui consonat Rituale Argentinen-
„ se, editum a Cardinali de Rohan *tit. de*
„ *Pœ-*

„ *Pœnit.* §. 1, ubi hæc habentur: *Cæterum* „ *Pœnitentes suos admonere non cessent Confessarii, ne se putent securos in Sacramenti* „ *Pœnitentiæ perceptione, si præter fidei, & spei actus, non incipiant diligere Deum, tamquam omnis justitiæ fontem, ut loquitur Sacrosancta Trid. Synodus*". Hujus Ritualis Argentinensis monitio a Sum. Pontifice laudata, & approbata valde notanda est. Ex ea namque conficitur in praxi fideles (quidquid sit de contraria sententia speculative considerata) dum ad Sacramentum pœnitentiæ accedunt, conari debere, ut actum dilectionis Dei eliciant, & propter ipsum peccata detestentur. Ideo quippe monet illud Rituale Confessarios, ut ad illum actum Pœnitentes hortentur & excitent; quia *putare* se non debent *securos* de dispositione ad rite Sacramentum suscipiendum necessario præmittenda, si eumdem omittant. Igitur & ex eo Rituali, & ex Sum. Pontificis approbatione colligitur afferendum omnino esse ad pœnitentiæ Sacramentum dolorem aliqua Dei dilectione formatum. ¶

Verum ut præsenti qu. finem ponamus sit

ARTICULUS TERTIUS.

Quis & qualis debeat esse amor, ad Sacramentum pœnitentiæ afferendus.

Constituta necessitate amoris reconciliationi præmittendi, superest ut cujus naturæ & conditionis esse debeat explicemus; qua in re videmus longe dispares multorum opiniones jactari; quorum licet communis sententia sit, non sufficere attritionem ex metu conceptam, nisi habeat aliquem, saltem initialem, Dei amorem adjunctum; qualis tamen hic amor esse debeat, & quo sensu dicatur initialis, diversissimis modis definiunt; ut nostro itaque muneri fiat satis, 1 proponendæ opiniones: 2 verior ac certior adstruenda: 3 diluendæ quæ contra occurrent difficultates. Sit igitur

§. PRIMUS.

Proponuntur opiniones.

Quod ut perspicue fiat, quæstiones aliquæ, totidemque, more nostro, præmittendæ responsiones.

Q. 1. Quotuplex sit amor?

R. Quantum ad præsens insitutum facit, duplicem vulgo distingui, amorem concupiscentię, & amorem amicitiæ sive benevolentiæ.

Amor concupiscentiæ est, quo aliquid amatur, non præcise in se, sed quatenus est bonum amanti: amor amicitiæ est, quo aliquid in se amatur, quatenus in se ipso est bonum: *motus enim amoris*, inquit Angelicus Doctor (1, 2, q. 23, art. 4, in c.), *in duo tendit, scilicet in bonum quod quis vult alicui, vel sibi nimirum, vel alii; & in illud cui vult bonum: ad illud ergo bonum quod quis vult alteri, habetur amor concupiscentiæ: ad illud autem, cui aliquis vult bonum, habetur amor amicitiæ . . . porro*, inquit ibid. *quod amatur amore amicitiæ, simpliciter & per se amatur: quod autem amatur amore concupiscentiæ, non simpliciter & secundum se amatur, sed amatur alteri . . . & per consequens amor quo amatur aliquid, ut ei insit bonum, est amor simpliciter: amor autem quo amatur aliquid, ut sit bonum alterius, est amor secundum quid.*

Q. 2. Utrum Deum inter & hominem possit esse amor amicitiæ?

R. Cum eodem affirmative, & dico caritatem esse singularem quandam amicitiam hominis cum Deo, quatenus præter benevolentiam, mutuum amorem importat: *non quilibet amor*, ait S. Doctor, (2, 2. q. 32, *art.* 1, *in c.*) *habet rationem amicitiæ, sed amor qui est cum benevolentia: quando scilicet sic amamus aliquem, ut ei bonum velimus; si autem rebus amatis non bonum velimus, sed ipsum eorum bonum nobis velimus, sicut dicimur amare equum, vel aliquid ejusmodi, non est amor amicitiæ, sed cujusdam concupiscentiæ: ridiculum enim est dicere, quod aliquis habeat amicitiam ad equum: sed nec benevolentia sufficit ad rationem amicitiæ, sed requiritur quædam mutua amatio, qua amicus est amico amicus: talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione: cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari: amor autem super hanc communicationem fundatus, est caritas, unde manifestum est, quod caritas, amicitia quædam est hominis ad Deum:* ita præceptor Angelicus, cujus doctrina sacris litteris & patribus apprime consentanea est: sic enim præter cætera quæ afferri possent, Christus in Evangelio: (*Joan.* 15, 14, & *seq.*) *vos amici mei estis*, inquit ad Apostolos, *si feceritis, quæ ego præcipio vobis: jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a patre meo, nota fecit vobis.*

Q. 3. Amor initialis quid sit?

R. Esse amoris initium: quomodo enim nascentis auroræ crepusculum, dies initialis vocari

cari potest, sic primum erga Deum amoris sensum, amorem dixere initialem: qua in re nihil est difficultatis.

Q. 4. Unde peti debeat amoris initium?

R. Ab ipso caritatis nascentis primordio esse petendum, adeo ut caritas initialis, & caritas provecta, gradu differant, non natura: quomodo enim dies nascens, ejusdem cum die plena naturæ est, & calidum primo gradu cum calido ad secundum, tertium, & sequentes gradus specie convenit; ita amor initialis, ad eamdem cum amore provectiori speciem pertinere censendus est: quo fit ut amor Dei initialis, etsi non intensive, certe esse debeat appretiative summus: quin appretiative summum esse, tam de divini amoris natura est, quam naturaliter igni esse calidum, & soli esse lucidum convenit: debet, inquam, esse summus, quia Dei summe boni, summe proinde amandi est amor: in hoc enim ordinis rectitudo consistit, ut amemus quod est amandum, & denique summe amemus quod amandum est super omnia; atqui Deus super omnia est amandus: ergo debet summus esse amor Dei initialis, quia alioquin Dei amor esse non potest: at, inquis, quomodo initialis est, si jam est in summo?

R. Hæc duo bene consistere, quod sit initialis, & quod sit summus: initialis enim est gradu, quia nondum fervoris & intensionis perfectionem attigit; spe summus natura, quia summum summeque amandum objectum habet, quod nisi summe amaret, non magis Dei amor initialis dici posset, quam tenebræ lucis possunt appellari primordia.

Quod si summum esse oporteat, sequitur appretiative talem esse debere; adeo ut nullum objectum sit, quod Deo non postponamus, summe enim Deus non amaretur, si aliquid præter illum vel tam amaretur, vel magis amaretur quam ipse: quia hæc est pessima ordinis perturbatio, non pluris facere creatorem quam creaturam, vel creaturam potiori loco habere.

Q. 5. Utrum eadem omnes ratione amorem initialem intelligant?

R. Negative: sunt enim qui nomine amoris & caritatis initialis, nihil aliud velint significari quam simplicem voluntatis in Deo complacentiam, quæ neque efficax sit, nec Deum omnibus præponat, sed initium dumtaxat aliquod sit, & inchoatio amoris super omnia, quomodo punctum est initium lineæ, & puer initium ac inchoatio viri perfecti.

Sunt & alii qui nomine caritatis initialis, quemlibet actum virtutis supernaturalis intelligi volunt, quovis tandem motivo eliciatur: quo fit, ut ex eorum sententia, actus fidei, actus spei &c. amor initialis vere sit ac dicatur: *dilectio initialis*, inquiunt, *est quicumque actus virtutis supernus, ex quovis motivo eliciatur; cum caritas sit finis omnis virtutis, ex illo 1 ad Tim. 9, v. 5*: finis autem præcepti est caritas: *unde omnes alii actus virtuosi voluntatis, sunt tamquam medium respectu caritatis: ac proinde sicut medium dicitur participare aliquid de fine; ita quicumque actus virtuosus participat aliquid de caritate, ut habet D. Thomas in 3, dist. 26, art. 2, ad 3, dicens*: omnes aliæ virtutes participant aliquid a caritate.

Hoc posito dicimus, de amore ad Sacramentum pœnitentiæ afferendo, quis & qualis esse debeat, quatuor opiniones esse diversas.

1 Eorum, est, qui volunt simplicem complacentiam sive amorem inefficacem sufficere.

2 Eorum, qui contendunt, quemlibet supernaturalis virtutis actum, pro amore initiali habendum.

3 Illaque communior, est eorum, qui caritate exclusa, contendunt amorem ad obtinendam in Sacramento reconciliationem necessarium, esse amorem concupiscentiæ sive spei, quo Deus non quatenus in se bonus, sed quatenus bonus amanti diligitur.

4 Denique eorum, qui amorem caritatis absolute necessarium esse contendunt; cum quibus sit.

§. SECUNDUS.

Ostenditur amorem ad Sacramentum afferendum, caritatis, benevolentiæ, & amicitiæ esse, quo nimirum peccator Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipit.

¶. Plerique recentiores Theologi, qui attritionem mere formidolosam propugnare jam erubescunt, vel deploratam causam sustinere se amplius posse diffidunt; caritatis tamen necessitatem admittere conatu omni detrectant. Ac quod hac in re festivum, ac lepidum est, ne quid acerbius dicam; in nos veluti in impostores irascuntur, quod eorum alios quidem, ut attritionis mere formidolosæ defensores, alios vero ut fautores doctrinæ maximo præcepto charitatis minus congruæ refellamus. Audiatur inter alios *Tournelius*, qui horum omnium causam orandam suscepisse videtur, & *in Præf. ad Tract. de Pœnit.* hæc scribit: „ nobis turpiter ad invidiam imponunt, qui clamitant „ magnum dilectionis Dei præceptum a nobis „ violari, qui solo pœnarum timore sine ullo „ amore Dei, peccatorem ad gratiam in Sacramento percipiendam disponi, assevera„ mus.

„ mus. Mera est, mihi credite, calumnia. „ Novimus primum illud esse, ac maximum „ legis mandatum: *diliges Dominum Deum tuum* „ *ex toto corde tuo*, *ex tota anima tua &c.* „ Neque porro satis intelligimus, qui fieri „ possit ut excludatur voluntas peccandi, fir- „ mumque vitæ melioris, & omnium manda- „ torum Dei observandorum propositum con- „ cipiatur sine aliquo prævio Dei amore, sal- „ tem inchoato, & incipiente „. Ita ne mera calumnia hæc est? Sed undenam in primis hæc doctrina maximum præceptum dilectionis Dei solo amore spei, vel concupiscentiæ, hoc est præceptum charitatis sine actu charitatis impleri possit? Deinde mera est calumnia, quod plures solo pœnarum timore sine ullo amore Dei peccatorem ad gratiam in Sacramento percipiendam disponi asseverent? Ita est, inquit Tournelius idem pag. 125, edit. Venet. „ Nam Theologi illi, qui post Concilium „ Trid. sententiam attritionis defendunt, vel „ impetunt, omnem Dei amorem abattritione „ non excludunt; sed eum solum, qui veræ, „ & propriæ charitatis est, ac hominem ju- „ stificat ante Sacramentum „. Sed unde hoc innotescere potest, si eorum plerique nullam prorsus amoris Dei mentionem faciunt, immo quemcumque diserte excludunt affirmantes attritionem *ex solo pœnarum timore* conceptam sufficientem esse ad hoc Sacramentum dispositionem?

Nonne particula illa *solo* amor omnis excluditur, sed ille duntaxat, qui veræ charitatis est? Ita quidem inquit Tournelius: Sed aliam vim, ac significationem in termino *solo* agnoscunt & Grammatici, & Dialectici: neque ullum suppetit fundamentum vim ipsius coarctandi ad exclusionem solius amoris charitatis. Immo fundamentum adest, & quidem maximum, reponit Tournelius. „ Quia scili- „ cet non alia ipsis mens videtur fuisse, quam „ ut exclusa hujus amoris, seu charitatis ju- „ stificantis necessitate, suam Sacramento „ vim, & efficaciam servarent, & adversus „ Magistrum, ejusque discipulos ostenderent „ absolutionem Sacramentalem non tantum de- „ clarare, sed etiam dimittere peccata. Por- „ ro etiam exclusa illa charitatis justificantis „ necessitate, nonne datur alicui vero amo- „ ri Dei locus, nempe concupiscentiæ? „ Verum si hunc illi necessarium admisere, cur a necessitatis veræ charitatis propugnatoribus impetiti, toti ferme fuerunt in vindicanda soli timori exclusione cujuscumque affectus ad peccatum, sufficiente cordis ad Deum conversione, & sincera animi dispositione ad omnia mandata Dei adimplenda? Nonne hoc signum evidens est aut hujusmodi amorem in mentem illis nequaquam venisse, vel illum insuper habuisse existimantes nihil amplius ab eo in pœnitente præstari posse, quam timor ipse præstiterit? Et si hocce tempore hujusmodi amorem omnino necessarium putant, cur illum & in catechismis non proponunt, & in concionibus non explicant, & in ascetis libris non inculcant? Et tamen benigna hac Tournelii explicatione ex adversariis nonnulli hodierno tempore adeo fidunt, ut asserere non vereantur, neminem attritionem mere formidolosam, seu omnis expertem amoris tamquam ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficientem propugnasse, ut, si eos audiamus, tot eximii viri, qui in ejusmodi attritionis insufficientia demonstranda laborarunt, contra umbras, larvasque, ut dici assolet, dimicaverint. Ita sane inter alios fidentissime loquitur Author *Historiæ litterariæ Italicæ* anni 1750, quem alii postmodum secuti sunt, & in ipsis publicis thesibus veluti rem extra dubitationis aleam positam repræsentant. Sed hac in re diutius hærere non vacat. Unde propositionem constitutam comprobemus.

Hæc porro assertio iisdem argumentis adstruitur, quibus articulo præcedente ostensum est, aliquem Dei amorem in Sacramento pœnitentiæ esse necessarium: quæcumque enim attulimus ex scripturis, patribus, scholasticis antiquis, ipsoque Trid. concilio testimonia non alium nisi caritatis amorem spirant.

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

Id quod experimento facili deprehendet, quisquis eorum partem aliquam memoria repetierit: sic enim, numquid caritatis, in conversione ad Deum, necessitatem non prædicant isthæc novi & veteris instrumenti oracula? (*Deut.* 4, 29) *cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ*... (3 *Reg.* 8, 46 *& seqq.*) *si peccaverint tibi*.... *& egerint pœnitentiam in corde suo* ... *& reversi fuerint ad te, in universo corde suo, & tota anima sua* . . . *exaudies orationes eorum* .... *& propitiaberis populo tuo qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum, quibus prævaricati sunt in te*: (*Joel.* 2, 12) *convertimini ad me in toto corde vestro* .... *& scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum*... (*Prov.* 8, 17.) *ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me invenient me*...(*Luc.* 7, 47) *remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum* .... (1 *Pet.* 4, 8.) *caritas operit*

operit multitudinem peccatorum .... (1 *Joan.* 3, 14) *qui non diligit, manet in morte* ... (*Matt.* 10, 37) *qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* .... (1 *Cor.* 13, 1 & *seqq.*) *si linguis hominum loquar & Angelorum* .... & *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest* .... (*Matt.* 22, 36) *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum & primum mandatum &c.*

PROBATIO SECUNDA.

Ex Patribus.

Jam vero Sancti Doctores vel in ista materia prorsus deserendi; vel si eorum de amoris ad conversionem necessitate judicio acquiescimus, amorem hunc caritatis esse tenebimur confiteri; cum vocibus amoris, dilectionis, caritatis, indiscriminatim utantur.

Mandatum si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, ait S. Aug. (*lib. de sp. & litt. c.* 14) *serviliter fit, non liberaliter; & ideo nec fit: non enim fructus est bonus qui de caritatis radice non surgit.*

Inaniter putat, (*Epist.* 145 *ad Anast.*) *victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat* ..... *inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccet: amicus autem erit, si ejus amore non peccet* ..... *qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere: ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit* ..... *tantum porro quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit.*

(*In exposit. ep. ad Galat.*) *Non auferuntur peccata, nisi gratia fidei, quæ per dilectionem operatur.*

(*lib.* 83 *qq. qu.* 83) *Justitiæ non serviliter, sed liberaliter serviendum est: id est caritate potius quam timore.*

(*serm.* 7 *de tempor.*) *Nunc jam ad vos loquor pœnitentes, qui pœnitentiam in Ecclesia accepistis & agitis: vos modo debetis amare Deum, & a timore jam ad dilectionem transire: quia sic legimus in Evangelio de peccatrice illa*: cui multum dimittitur, multum diligit.

(*tract.* 9 *in Joan.*) *Non prodest, si quis tradat corpus suum, utique pro nomine Christi, ita ut ardeat, & illud non faciat caritate.*

(*conc.* 21 *in Ps.* 118) *Non prodest inter quantacumque tormenta martyrii confiteri, si caritas in confitente non est*, &c.

S. Joannes Chrysost. (*hom.* 4 *in* 2 *Cor.*) *cum peccaveris, ingemisce, non quod pœnas daturus sis; nihil enim hoc est: sed quod Dominum tam benignum, tam te amantem, tam denique salutis tuæ cupidum offenderis, ut filium quoque suum tua causa tradiderit.*

S. Leo Pontifex Max. (*serm.* 7 *de jejunio* 7 *mensis*) *tanta est sub hujus geminæ caritatis edicto*, (amoris Dei & proximi) *utriusque copula testamenti; ut sine istarum connexione virtutum, nec lex quemquam inveniatur justificasse, nec gratia.*

S. Gregorius M. (*lib.* 3 *moral. c.* 27) *Sancta electorum Ecclesia simplicitatis suæ & rectitudinis vias timore inchoat, sed caritate consummat: cui tunc est funditus a malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare.*

(*lib.* 3 *past. curæ admont.* 14) *Admonendi sunt qui flagella metuunt, ut si malis veraciter carere desiderant, æterna supplicia perhorrescant, neque in hoc suppliciorum timore permaneant, sed ad amoris gratiam nutrimento caritatis excrescant.*

Sanctus Petrus Chrysolog. (*serm.* 94) *cœlestis creditor totum debitum caritate compensat, & ad incrementum totius fœnoris, amoris solius exigit & requirit usuram: plectendus debitor qui dilectione sola suam negligit redimere cautionem* .... *homo, remansit tibi, unde piissimo satisfacias creditori: absolvi vis? ama: caritas cooperiet multitudinem peccatorum.*

S. Bernardus: (*de dilig. Deo c.* 12) *sola quæ in filio est caritas, non quærit quæ sua sunt: quamobrem puto de illa dictum*: lex Domini immaculata convertens animas: *quod sola videlicet sit, quæ ab amore sui & mundi avertere possit animam & in Deum dirigere* .... *sit itaque servo sua lex, timor ipse quo constringitur: sit mercenario sua cupiditas* .... *sed nulla harum aut sine macula est, aut animas convertere potest: caritas vero convertit animas.*

PROBATIO TERTIA.

Ex Sancto Thoma.

Primum, inquit ille, (*lib.* 4 *cont. gent. c.* 72) *quod in pœnitentia requiritur, est ordinatio mentis, ut scilicet mens convertatur ad Deum, & avertatur a peccato* .... *mens nostra debite ad Deum converti non potest sine caritate.*

(*in* 4, *dist.* 30, *q.* 1, *art.* 1) *Antiochus veniam consecutus fuisset, si vere pœnituisset: sed non habuit veram pœnitentiam, quia non*

ex

ex amore justitiæ de peccatis commissis dolebat, sed timore pœnæ quam expectabat &c.

(1, 2, *qu.* 113, *art.* 10, *in corp.*) *Est iste communis & consuetus cursus justificationis, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat: quia caritas incboata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, sicut Augustinus dicit.*

(3 *p. q.* 84, *art.* 10) *Ad veram pœnitentiam caritas requiritur, sine qua non delentur peccata.*

(*ib. quæst.* 85, *art.* 2, *ad* 1) *Si in actu pœnitentiæ consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc immediate ad caritatem pertinet; sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti, requirit specialem virtutem sub caritate.*

(*ib. art.* 3, *ad* 4) *Pęnitentia est cum fide passionis Christi, per quam justificamur a peccato, & cum spe veniæ, & cum odio vitiorum, quod pertinet ad caritatem.*

(*ib. ar.* 5, *in c.*) *Horum actuum* (quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur) ...... *quartus est motus caritatis, quo alicui peccatum displicet, secundum se ipsum, & non jam propter supplicia.*

(*ib. q.* 86, *art.* 3, *in cor.*) *Non potest esse vere pœnitens, qui de uno pœnitet, & non de alio: si enim displiceret ei illud peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum, quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ, sequeretur quod de omnibus peccatis pœniteret*, &c.

PROBATIO QUARTA.

Ex Concilio Tridentino.

Testimonia Concilii Trid. itemque momenta historica ex libro Pallavicini petita, quæ art. præcedente §. 2 attulimus, iterum hic describere animus non est, nec vacat per otium. Tantum inde argumenta quædam ad id quod modo defendimus adstruendum efficacissima petimus.

S. Synodus ses. 6, cap. 6, inter dispositiones justificationi præmittendas amorem recenset, quo *Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere peccatores incipiunt*; atqui amor ille, spei sive concupiscentiæ ex mente ejus esse non potest. Motum enim spei a motu amoris Patres distinguunt: *disponuntur ad ipsam justitiam*, inquiunt, *dum .... peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*: ubi, ut vides, spes præcedit, dilectio sequitur; nec tamquam intrinseca spei conditio, aut propria ejus, ut sic dixerim, operatio, sed ut nova dispositio, a spe fiduciam generante prorsus distincta proponitur: alioquin enim in hac Concilii doctrina confusio & inutilis repetitio foret. Vim ergo textui faciunt adversarii, quando dilectionem Dei *tamquam omnis justitiæ fontis*, de amore spei sive concupiscentiæ interpretantur: unde superest, ut de amore caritatis intelligi debeat.

Deinde. Non de quovis indiscriminatim amore Patres loquuntur, sed de eo quo Deus incipit diligi *tamquam omnis justitiæ fons*; atqui Deum tamquam omnis justitiæ fontem, sive propter se ipsum diligere, non spei, sed caritatis officium est: *amor quidam est perfectus*, inquit Angelicus Doctor, (2, 2 *q.* 17, *art.* 8, *in corp.*) *quidam imperfectus: perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur; ut puta, cum aliquis secundum se vult alicui bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo quis amat aliquid non secundum ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat: sicut homo amat rem quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad caritatem, quæ inhæret Deo secundum se ipsum: sed spes pertinet ad secundum amorem, quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit.*

Præterea. Concilium in hoc 6 de justificatione cap. Doctrinæ S. Thomæ fideliter hæsit, cui, teste Dominico Soto (*in* 4, *dist.* 14, *q.* 2, *art.* 9), honorem hunc detulit, ut articulum ejus quintum quæstionis octuagesimæ quintę tertiæ partis, sibi proprium faceret, & totidem pene verbis exscriberet; atqui eo loci S. Doctor, id quod dicunt Patres Trid. *diligere Deum tamquam omnis justitiæ fontem*, appellat, *motum caritatis*. Ergo pariter de amore caritatis debet Concilium intelligi.

Insuper. Attendendum quamobrem hæc verba, (*Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*) quibusque suadentibus, decreto addita fuerint. Rem sic narrat Pallavicinus sæpe laudatus: (*hist. lib.* 8, *c.* 13) „ quod „ attinet ad id quod dicitur de dilectione Dei, „ advertendum est, per tenorem decreti prius „ delineati, nullam fieri dilectionis mentionem: sed Salvatorem Alepium Archiepiscopum Turritanum, Claudium Jajum S. J. Lipomanum Veronensis adjutorem, & Pium „ Franciscanorum Præsidem admonuisse, ut „ aliquis caritatis actus insereretur. Cumque id „ ad omnium Patrum judicium relatum foret „ cum aliis præcipuis notis, ut indicavimus, „ viginti tres ex ipsis diserte comprobasse, „ adeoque insertum decreto; sed postea aliis „ haud

„ haud probatum; verum a Theologis strenue propugnatum, & per hæc verba retentum: *non est sermo eo loco de habitu caritatis; sed cum in particula quæ loquitur de pœnitentia, nulla fiat mentio amoris, visum est, cum fide & spe jungere aliquem dilectionis actum; quia si pœnitentia tota esset ex timore sine amore justitiæ*, „ & *dolor esset propter pœnam tantum, non propter Dei offensam, infructuosa esset*. “ Ergo per hæc verba (*Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*) motum caritatis intelligebant; cum ea de causa decreto adjecta fuerint, *ut aliquis caritatis actus insereretur*: quod vel unum argumentum, ad eorum opinionem revincendam sufficeret, qui contra historiæ fidem, Patres de amore concupiscentiæ hic esse locutos pertinaciter affirmant. Numquid enim decreti sensum melius iis ipsis, a quibus conditum est, assequuntur? tantæque auctoritatis sunt, ut sibi magis credamus, dicentibus de concupiscentiæ amore hic agi, quam Patribus attestantibus, se de caritate esse locutos?

Est & aliud ejusdem rei ibidem nec minus efficax argumentum. Cum enim occasione septimi capitis ejusdem sessionis decimæ quartæ, ubi dicitur peccatorem *caritatis infusione justificari*, orta inter Theologos contentio esset; *quibusdam animadvertentibus*, ait Card. Pallavicinus, (*ib. c.* 14) *caritatem superiore capite memoratam recenseri sub illius initium inter ea quæ præparant animum ad justitiam suscipiendam; postea vero tamquam justitiæ formam poni: responderunt decreti formatores, in primo loco* (scilicet capite sexto) *sermonem esse de quodam actu caritatis; cum insit aliqua dilectio in homine, non quidem obtinente, sed exoptante justitiam: at in secundo* (cap. nimirum 7) *significari habitum caritatis*.

Denique. Accedit gravium Theologorum authoritas, affirmantium non de amore spei sive concupiscentiæ, sed de vero caritatis motu Patres Trid. esse locutos. Sic inter cæteros Franciscus Suarez: (3 *p. disp.* 4, *sect.* 8) *nec vero dicit Concilium*, inquit, *hunc amorem pertinere ad spem, sed potius supponere spem, & post conceptam spem per eum erigi hominem, & quasi sublevari ad diligendum Deum, utique propter se ipsum. Nam amor concupiscentiæ non sequitur proprie ex spe, sed ad illam potius supponitur*.

Et Tannerus: (*tom.* 4, *disp.* 6, *q.* 2, *dub.* 4, *n.* 75) „ *certum est*, ait, *sermonem ibi esse de amore caritatis*: tum quia constat S. Thomam, cujus vestigia sequi voluit Concilium, de hoc amore locutum, ut superius dictum est; tum quia amor concupiscentiæ erga Deum, natura sua prior est spe, non posterior, qui proinde ex spe non oritur, sed spem antecedit: eademque est communis mens & sententia Doctorum “.

Quæ etsi de mente, veroque sensu Trid. Concilii dubium nullum relinquant; Catechismi Romani ejusdem Concilii jussu editi, auctoritate haud mediocriter illustrantur: ibi enim graduum, quibus ad divinam pœnitentiæ virtutem & ad reconciliationem cum Deo pervenitur, recensio fit; loco vero ejus, quod dixerant Trid. Patres: (*Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*) diserte *caritas* nominatur. *Docendum est etiam*, inquit, (*part.* 2, *tit. de pœnit. n.* 9) *quibus gradibus ad hanc divinam virtutem liceat ascendere. Primum itaque Dei misericordia nos prævenit, cordaque nostra ad se convertit: quod cum precaretur Propheta*, converte, *inquit*, nos Domine ad te, & convertemur: *deinde hoc lumine illustrati, per fidem ad Deum animo tendimus*: credere enim oportet accedentem ad Deum, *ut Apostolus testatur*, quia est, & inquirentibus se remunerator sit: *præterea motus timoris consequitur, & suppliciorum acerbitate proposita, animus a peccatis revocatur; atque huc videntur spectare illa Isaiæ verba*: sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus: *huc deinde accedit spes impetrandæ a Deo misericordiæ, qua erecti vitam & mores emendare constituimus: postremo caritate corda nostra accenduntur, ex qua liberalis ille timor, probis & ingenuis filiis dignus oritur; atque ita unum illud veriti, ne qua in re Dei majestatem lædamus, peccandi consuetudinem omnino deserimus*. Ergo &c.

PROBATIO QUINTA.

Ex eo quod caritatis non secus ac spei & fidei suæ debeant in reconcillationis negotio esse partes.

Denique sic arguimus. Motum spei & fidei, dolori ad reconciliationem ope clavium obtinendam necessario, conjunctum esse debere, adversarii nobiscum confitentur & vere propugnant. Ergo idem de motu caritatis dicendum est, ut de peccatis propter Deum doleri possit: quæ enim isthæc philosophandi est ratio, ut fidei & spei actum aliquem omnino ad justificationem præmitti oportere affirmetur, interimque ab hoc tantæ molis negotio, caritas velut minime necessaria excludatur? caritas, inquam, quæ est virtutum excellentissima, dicente Apostolo: (1 *Cor.* 13, 13)

13) *nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc; major autem horum est caritas:* caritas, ita, Scriptura judice, necessaria, ut qui eâ caruerit, in morte manere necesse sit: caritas, sine qua ne martyrium quidem, eodem Apostolo confirmante, (*ib. v.* 3) prodesse potest: caritas, cui soli Christus peccatricis mulieris justificationem attribuit: caritas, quæ cæterarum est forma virtutum, & sine qua non potest ulla esse vera virtus, ut S. Thomas consentanee SS. Doctoribus, præsertim vero Aug. diserte docet: (2, 2, *q.* 23, *art.* 7, *&* 8, *& alibi sæpe*) caritas quæ sola operit multitudinem peccatorum, quæ sola contra peccatum, & ejus perpetrandi voluntatem directe pugnat: sine qua denique mens nostra debite ad Deum converti nequit, ut multis locis id Angelicus Doctor luculente adstruit.

Nec est quod dicatur cum amoris concupiscentiæ defensoribus, non ideo caritatem ab opere procurandæ in Sacramento reconciliationis arceri, quod operatrix non sit; sed quia e contra illi timetur, ne sit nimium actuosa. Nam, inquiunt, tanta caritatis dignitas & excellentia est, ut qui eam quantumvis parvam habere videatur, summam habeat: tantaque vis & efficacia, ut quamlibet remisso gradu ad justificationem sufficiat; adeoque actualem Sacramenti susceptionem inutilem reddat, quippe quod hominem jam justificatum reperiat.

Hoc inquam effugium multis modis præcluditur.

1. Enim numquid absurda res est, ubi de placando Deo, & amicitia cum eo reconcilianda tractatur, susceptam ideo habere caritatem, quia metus est ne opus adeo desideratum acceleret? quis unquam putavit, operarium aliquem ideo non debere admitti, quia cæteris promptius certiusque laborat? quæ isthæc erga Sacramentum nova species reverentiæ est, ut integra ejus actio maneat, caritati locum non dare? quod si cum aliqua veri similitudine diceretur, nedum hortandi forent pœnitentes ad Deum amandum, a quo peccando aversi sunt; monendi magis essent ut quam strenue possent, ab eo propter se ipsum diligendo caverent, ne videlicet dum suæ saluti nimirum consulunt, Sacramento Christi nocerent.

2. Falsum est quod affirmant, caritatem ita nobilem esse ac præcellentem, ut hoc ipso quod haberi incipit, ad summum gradum pertingat: habet enim caritas, non secus ac cæteræ naturalis & supernaturalis ordinis virtutes, primordia sua, incrementa, progressus, quibus veluti mediis ad perfectionem perducitur: nec quidquid potest cum ad perfectionem pertigerit: consequens est quod ab exordio possit: quo sensu a S. Aug. dictum: (*lib. de nat. & grat. c. ult.*) *caritas inchoata, inchoata justitia est: caritas provecta, provecta justitia est: caritas magna, magna justitia est: caritas perfecta, perfecta justitia est.*

3. Ideo caritas statim atque haberi incipit, perfecto modo haberetur, quia cum habitu ipso caritas foret immediate & necessario conjuncta; atqui potest homo actum caritatis elicere, absque eo quod S. Thomas multis locis præclare docet: *nihil prohibet*, inquit, (2, 2, *q.* 117, *art.* 1, *ad* 3) *aliquos multa in bonos usus expendere, & habitum liberalitatis non habere: sicut & aliarum virtutum opera faciunt homines, antequam habitum virtutis habeant.* Ubi cum generaliter de omni virtute loquatur, caritatem ipsam universalitate hac comprehendit.

Multoque expressius alibi de ipsa nominatim caritate: *actus caritatis*, ait, (*in* 2 *sent. dist.* 3, *q.* 3, *art.* 1, *ad* 1) *potest dici dupliciter: vel qui est ex caritate* (habituali) *& hoc non est, nisi in habente caritatem; vel qui est ad caritatem, non sicut meritorius vel generativus, sed sicut præparatorius: & sic actus caritatis, ante caritatem habitam haberi potest; sicut facere justa, est ante habitum justitiæ....* (*ib. dist.* 28, *qu.* 1, *art.* 3, *ad* 1) *sicut aliarum virtutum actus dupliciter considerari possunt, vel secundum quod sunt a virtute, vel secundum quod antecedunt virtutem. Ita etiam est de caritate: potest enim aliquis etiam caritatem non habens,* (habitu nimirum) *diligere proximum & Deum, etiam super omnia.... & hoc diligere intelligitur actus caritatis sub præcepto directe cadere, & non solum secundum quod a caritate procedit*: est itaque S. Thoma judice, aliquis caritatis actus habitum ejus præcedens, *non sicut meritorius vel generativus, sed sicut præparatorius*: adeoque falso affirmatur actum omnem caritatis cum habitu ipso, necessario & immediate esse conjunctum.

4 Nec minus S. Doctori contrarium est quod dicunt, quemlibet caritatis actum sine Sacramento in re suscepto, ad justificationem sufficere: hoc enim expressissime Præceptor Angelicus negat: *ex quo aliquis peccatum incurrit*, inquit ille, (3 *p. q.* 84, *art.* 5, *ad* 2) *caritas, fides, & misericordia non liberant hominem a peccato, sine pœnitentia*: unde sic argumentor: de pœnitentia ut est Sacramentum hic agere Sanctum Thomam, titulus ipse articuli aperte declarat: (*utrum hoc Sacramentum sit de necessitate salutis.*) Atqui ex ejus sententia, caritas aliqua est, sicut fides, & misericordia, quæ non liberat hominem a peccato sine Sacramento. Ergo ex ejus mente

perperam dicitur, quemlibet caritatis actum sine Sacramento in re suscepto ad justificationem sufficere.

Occurrit ejusdem rei alterum, nec minus præclarum testimonium, jam sæpe citatum: *est iste communis*, inquit, (1, 2, *quæst.* 113, *art.* 10, *in c.*) *& consuetus cursus justificationis, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum: primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat; quia caritas incboata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, sicut Aug. dicit;* (*in Epist. Joan. tract.* 5) *quandoque vero Deus tam vehementer animam movet; ut statim quandam perfectionem justitiæ assequatur, sicut fuit in conversione Pauli*. Viden, ut ex Angelici Doctoris sententia, aliqua caritas imperfecte tantum, secundum consuetum cursum convertat, adeoque non justificet? si enim justificaret, perfecte converteret.

Ideo vero uni in præsenti insistimus Sancto Thomæ, non quod aliorum testimonium aut ratio desit, sed ut obiter quosdam de ejus schola perstringamus, qui cum nihil magis vereantur, quam pro veris ejus Discipulis non haberi, ab illius tamen vestigiis, in hac tam necessaria quæstione, immensum exorbitant.

Corollarium primum.

Ex dictis sequitur primo, in Sacramento, spei aut concupiscentiæ amorem non sufficere.

Amor enim illi pœnitenti ad Sacramentum accedenti nonsufficit, qui magis est amor sui, quam Dei; atqui amor concupiscentiæ magis est in homine amor sui quam Dei, & est tantummodo amor Dei, secundum quid, ut S. Thomas supra laudatus affirmat: (1, 2, *q.* 26, *art.* 4, *in c.*) nam hic amor in homine magis est amor sui quam Dei, quo homo magis suum commodum quærit, quam Deum ipsum; atqui per amorem concupiscentiæ homo magis commodum suum, & quietem propriam quærit, quam Deum ipsum: ergo &c.

Hinc S. Aug. *quod non propter se amatur*, inquit, (*in Soliloq. lib.* 1, *cap.* 13) *non amatur*: & S. Prosper (in sentent. propos. 20) *qui Deum ideo colit, ut aliud magis quam Deum promereatur, non Deum colit, sed illud quod assequi concupiscit*.

Et S. Bernardus: (*Serm.* 3 *de divers.*) *qui timet ire ad portas inferi, & qui Deum cupit videre, propter quietem sui: uterque profecto quærit quæ sua sunt*.

Idemque Ep. 11, sive tractatu de diligendo Deo, cap. 8, *est*, inquit, *qui confitetur Domino, quoniam potens est: & est qui confitetur Domino, quoniam sibi bonus est: & item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, & timet sibi. Secundus mercenarius est, & cupit sibi: tertius filius est, & defert. . . . . . sit servo sua lex, timor ipse quo constringitur: sit mercenario sua cupiditas, qua & ipse arctatur. . . . . . . sed harum nulla aut sine macula est, aut animas convertere potest: caritas vero convertit animas*.

Eodemque sensu S. Franciscus Salesius: (*in tract. de amore Dei*) *anima*, ait, *quæ Deum non amaret, nisi propter amorem sui ipsius, ponens in proprio commodo finem amoris quem Deo impendit, eheu! maximum sacrilegium admitteret*.

Concinunt plerique celeberrimi Theologi, quos inter Joannes Nider: *si homo*, ait, (*in expos. Decalogi, ad* 3 *præcept. cap.* 8) *sua peccata detestatur solum . . . . . . propter timorem pœnæ, & amissionem vitæ æternæ, in quantum illa esset sibi ad incommodum, ibi sistendo sine ulla ulteriori relatione ad Deum, tunc homo solum quæreret suum commodum, & fugeret suum incommodum; & nullo modo quæreret Deum. . . . nec talis detestatio esset actus virtutis, quia non circumstantionata debito fine: & per consequens non formaretur gratia; nec fieret contritio*.

Objectio.

At, inquies, non potest Deus amari ab homine, quin simul ametur tamquam finis ejus ultimus, & summum bonum; atqui hoc modo amare Deum, ad amorem concupiscentiæ pertinet. Ergo aliter Deus amari non potest: atque adeo non est pœnitenti necessarius amor caritatis.

R. concessa maj. n. min. Gratuitus namque amor, quem caritatis & amicitiæ appellamus, attingit Deum non solum quatenus est ultimus hominis finis, qui non refertur ad aliquid aliud, & ad quem cætera sine exceptione referri necesse est: adeoque sub hoc etiam respectu gratuitus ejus est amor: quicumque ergo Deum ut bonum suum in quo consistit æterna felicitas, diligit, amore amicitiæ, non concupiscentiæ amat: non enim illum ad commodum suum deprimit (qui amoris concupiscentiæ est defectus,) sed e contra diligit, ut se illi omnino summittat, illi obtemperet, & in illo tamquam in fine ultimo requiescat.

Neque obstat, quod Deus in ratione ultimi finis, præmiatoris ac mercedis rationem respectu hominis habeat: in hoc enim vera dignoscitur caritas, nedum noceat caritati. " Sed „ forte mercenarius eris, inquit Hugo a S. Vi„ ctore, (*de Sacram. lib.* 2, *cap.* 8) si dili„ gis

„ gis Deum, & servis ei, ut præmium ab il-
„ lo accipias: dicunt hoc stulti quidam, & tam
„ stulti ut se ipsos non intelligant: *diligimus*
„ *Deum & servimus illi: sed non quærimus*
„ *præmium, ne mercenarii simus: etiam ip-*
„ *sum non quærimus: dabit si voluerit, sed*
„ *nos non quærimus: in tantum enim excuti-*
„ *mus manus ab omni munere; ut etiam ip-*
„ *sum non quæramus quem diligimus. Pura*
„ *enim, & gratuita, & finali dilectione dili-*
„ *gimus: nihil requirimus: diligimus ipsum,*
„ *sed non quærimus aliquid: etiam ipsum non*
„ *quærimus, quem diligimus*: audite homines
„ sapientes: *diligimus*, inquiunt, *ipsum, sed*
„ *non quærimus ipsum*: hoc est dicere: *diligi-*
„ *mus ipsum, sed non curamus de ipso*: ego
„ homo sic diligi nollem a vobis: si me sic
„ diligeretis, ut de me non curaretis, ego de
„ vestra dilectione non curarem; vos videritis,
„ si dignum est ut Deo offeratis, quod homo
„ digne respueret; *quomodo*, inquiunt, *mer-*
„ *cenarii non sumus, si Deum propter hoc di-*
„ *ligimus, ut premium ab ipso accipiamus?*
„ *non est gratis hoc amare, neque amor iste*
„ *filialis, sed mercenarii, & servi, qui pre-*
„ *tium quærit pro servitute sua*. Qui hoc di-
„ cunt, virtutem dilectionis non intelligunt:
„ quid est enim diligere, nisi ipsum velle ha-
„ bere? non aliud ab ipso, sed ipsum, hoc est
„ gratis: si aliud quæreres ab ipso, gratis non
„ amares: nunc autem non aliud quæris pro
„ eo quod amas; & tamen aliquid quæris &
„ desiderans in eo ipso quod amas; alioquin
„ non amares, si non desiderares: sed aliud
„ est, pro ipso, aliud in ipso. Si pro ipso ali-
„ quid amas: mercenarius; si in ipso amas:
„ filius es".

Dices iterum: qui ergo caritas a concupi-scentiæ amore distat, si illa non secus ac i-sta in Deo bonum suum quærit?

℟. In hoc immensum differre, quod amore concupiscentiæ homo Deum non quia in se bonum, sed quia sibi bonum quærit: quo fit ut præpostero ordine, semetipsum pro fine ultimo habeat, & Deo tamquam medio uti velit: amore autem caritatis, Deo, ut loquitur S. Bernardus, *confiteatur, quoniam in se simpliciter bonus est*, & ad illum tamquam ad ultimum finem, se suaque omnia referat: quod nedum redoleat aliquam imperfectionem: summa caritatis perfectio & essentia est; sine qua caritas ne intelligi quidem potest: hinc in cantico canticorum, ubi incomprehensibilis amoris Christi sponsi erga sponsam, & vicissim sponsæ erga sponsum plenissima & absolutissima, quippe a Sp. Sancto dictata descriptio est: *in lectulo meo*, inquit sive Ecclesia, sive anima quælibet vere fidelis, (*Cant. Cantic.* 3, 1 *& seq.*) *per noctes quæsivi quem diligit anima mea . . . surgam & circuibo civitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea . . .* & Regius Propheta: (*Ps.* 72, 25 *& seq.*) *quid enim mihi est in cœlo? & a te quid volui super terram? defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum . . . .* (*Ps.* 118, 112) *inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.*

Quem in sensum S. Bernardus (*serm.* 8 *de divers.*) " numquid, inquit, mercenarium eum
„ quis æstimet, qui paternæ inhiat hæredita-
„ ti, eamque toto affectu expetit, & expectat,
„ quam nimirum filii mercedem esse, non mer-
„ cenarii propheta testatur? *cum dederit*, in-
„ quit, (*Ps.* 126, 2 *& seq.*) *dilectis suis so-*
„ *mnum, ecce hæreditas Domini filii merces,*
„ *fructus ventris*: invenitur tamen alter gra-
„ dus sublimior, & affectus dignior isto, cum
„ penitus castificato corde nihil aliud deside-
„ rat anima, nihil aliud a Deo quærit, quam
„ Deum ipsum: crebro siquidem didicit expe-
„ rimento, quoniam bonus Dominus speranti-
„ bus in se, animæ quærenti ipsum, ita ut
„ jam ex affectu cordis atque ex sententia cla-
„ met illud in psalmo: *quid enim mihi est in*
„ *cœlo, & a te quid volui super terram? de-*
„ *fecit caro mea & cor meum, Deus cordis*
„ *mei, & pars mea Deus in æternum*: neque
„ enim suum aliquid, non felicitatem, non glo-
„ riam, non aliquid quidquam tamquam priva-
„ to sui ipsius amore desiderat anima quæ e-
„ jusmodi est: sed tota pergit in Deum, uni-
„ cumque ei ac perfectum desiderium est, ut
„ introducat eam Rex in cubiculum suum, ut
„ ipsi adhæreat, ipso fruatur".

Hinc præter cæteros *Quietistarum* errores, hæ propositiones damnatæ sunt: *non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate . . . . datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse . . . . neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem: non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam*. Qua de re legantur Sum. Pontificum Innocentii XI, & Innocentii XII, constitutiones an. 1688 die 19 Februarii, & an. 1699 die 13 mensis Martii, plaudente Ecclesia promulgatæ.

Corollarium secundum.

Sequitur 2, multo minus in Sacramento sufficere simplicem complacentiam, sive amorem inef-

inefficacem, quo necdum Deus ametur super omnia & omnibus præponatur: quæ opinio semetipsam sua absurditate evertit. Dei enim amor, qui in Sacramento requiritur, vere hujus nominis esse debet. Porro simplex complacentia, inefficaxque dilectio, Dei amor dici non potest: quia hoc ipso, quo Deus amari incipit, debet rebus omnibus anteponi, & super omnia appretiative, ut sæpe diximus, diligi: *propria ratio caritatis*, inquit S. Thomas (1, 2, q. 24, art. 12, in c.) *consistit in hoc quod Deus diligatur supra omnia, & quod homo totaliter se illi subjiciat, omnia sua referendo in ipsum* . . . & alibi: (*ib. qu. 184, art. 3, ad 3*) *dicendum*, ait, *quod sicut homo habet quandam perfectionem suæ naturæ, statim cum nascitur, quæ pertinet ad rationem speciei; est autem alia perfectio, ad quam per augmentum adducitur: ita etiam est quædam perfectio caritatis, pertinens ad ipsam speciem caritatis, ut scilicet Deus super omnia diligatur, & nihil contra eum ametur*.

Deinde. Talis debet esse in Sacramento pœnitentiæ Dei amor, qualis peccati detestatio est, & propositum de cætero non peccandi; atqui non sufficit simplex peccati displicentia, aut inefficax ejus in posterum fugiendi voluntas; sed omnino requiritur plena detestatio, & efficax ab eo abstinendi decretum. Ergo &c. (1)

Corollarium tertium.

Sequitur 3, eorum sententiam, qui volunt amorem initialem in Sacramento pœnitentiæ requisitum, non caritatis, sed cujusvis alterius a caritate virtutis actum, sine discrimine dici posse, merum esse putidumque figmentum, ad exterminium caritatis inventum, & auctoritati pariter ac rationi contrarium. Scriptura namque & Patres, quando necessitatem amoris ad veram pœnitentiam prædicant, de hoc amore loquuntur, cujus speciale Dei præceptum est, quique specialis virtutis naturam habet; quod facile agnoscet, qui prolata superius testimonia animo revocaverit. Præterea amor ille in pœnitente requiritur, qui affectum peccandi efficaciter excludat ac destruat; atqui solius caritatis specialiter dictæ proprium hoc officium esse, vel inde patet, quod peccandi voluntas soli caritati, & sola vicissim caritas voluntati peccandi directe contraria sit: cum ad eam solam proprie pertineat, immutare cor, & a creaturis ad Creatorem transferre; quod autem ajunt, ideo cujusvis virtutis actum, caritatis initium dici posse, quia, ut S. Thomas observat, *omnes aliæ virtutes participant aliquid a caritate*, prorsus ridiculum est, & a mente Angelici Præceptoris alienissimum: non enim hoc ab ipso dictum, quasi voluerit a cæteris virtutibus caritatis primordia, & velut incunabula repetenda; sed quia e contrario caritas cæterarum, sine exceptione, est forma virtutum: *dicendum*, inquit, (2, 2, q. 23, art. 8, in corp.) *quod in moralibus forma actus attenditur principaliter ex parte finis: cujus ratio est, quia principium moralium actuum est voluntas, cujus objectum, & quasi forma est finis*.... *manifestum est autem secundum prædicta, quod per caritatem ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem: & secundum hoc ipsa dat formam actibus omnium aliarum virtutum, & pro tanto dicitur esse forma virtutum: nam & ipsæ virtutes dicuntur in ordine ad actus formatos*.

§. TERTIUS.

Eliduntur Objectiones.

Restat ut adversariorum oppositiones diluamus, quarum pene omnium hoc vitium est, quod æquivocatione laborent, & caritatem perfectam cum imperfecta confundant; tantumque virtutis uni, quantum alteri tribuant: quo fit ut sublato æquivoco penitus evanescant. Itaque

Opponunt. Caritas de se tollit omne peccatum. Ergo ne cogamur dicere, pœnitentiæ Sacramentum, ante se justificationem necessario præsupponere, omnino fatendum est, non caritatis, sed spei aut concupiscentiæ esse amorem, qui ad Sacramentum afferri debet.

R. Dist. ant. caritas *habitualis*, *vel actualis perfecta*, de se tollit omne peccatum, conc. caritas *actualis & imperfecta*, subdist. tollit omne peccatum, *quantum ad actum & affectum*, conc. *quantum ad maculam & reatum*, n. ant. & conseq.

E. R.

(1) *Ex hoc Corollario sequitur repudiandam esse opinionem P. Edmundi Simonet S. J. Theologi, qui Tom. 3. Edit. Ven. tract.* 15, *qui est de pœnit.* disput. 5, art. 11, pag. 355, *docet*, ad remissionem mortalium peccatorum in Sacramento pœnitentiæ sufficere attritionem, qua peccator de peccatis suis dolet, eaque detestatur cum proposito non peccandi de cætero simul propter Deum dilectum propter se, quamvis nondum super omnia & propter gehennam, quam timore appretiative maximo & ordinato timet. *Quam etiam sententiam defendisse perhibetur Card. Pallavicinus* lib. 1 de virtut. & Sacram. Pœn. cap. 12.

E. R. Fatemur 1, caritatem habitualem, vel actualem perfectam de se tollere omne peccatum: estque Concilii Trid. doctrina est, affirmantis, (*Sess.* 14, *cap.* 4) *aliquando contingere, contritionem caritate esse perfectam, hominemque Deo reconciliare, priusquam Sacramentum actu suscipiatur.*

Fatemur 2, caritatem actualem & imperfectam tollere actum peccati: non enim possunt stare simul duo actus insociabiles; atqui actus peccati, & actus amoris Dei, insociabiles sunt, & secum ipsis pugnantiam haberent. Ergo cum actu caritatis stare nequit actus peccati.

Fatemur 3, caritatem actualem & imperfectam, affectum peccati tollere; affectus enim peccati est, amor malus creaturæ in peccatore prædominans; atqui affectus Dei est genuinus caritatis character, & malum creaturæ amorem eliminat. Ergo &c.

Sed negamus, per caritatem actualem & imperfectam tolli maculam & reatum peccati: ut enim hæc duo deleantur, præter quam quod necessarium est, ut homo actum, affectumque peccati deposuerit; requiritur insuper Dei indulgentia, quam non tenetur homini pœnitenti statim largiri. " Ad remissionem peccati, „ inquit Estius, (*in* 5 *sent. dist.* 17, §. 1) „ non sufficit pœnitentia, sed præterea opus „ est, ut meritum passionis Christi homini ap„ plicetur, ad consequendam remissionem pec„ cati, cujus jam accepit pœnitentiam. Sunt „ enim diversa & distincta beneficia passionis „ Christi, conversio seu pœnitentia peccato„ ris, & peccati ejus condonatio; ita ut ho„ mini vere converso & pœnitenti, adhuc o„ pus sit peculiari quodam ex Christi passio„ ne beneficio, ut peccatum ei remittatur. „ Quod quidem fit, applicando ei satisfactio„ nem in cruce factam pro pœna peccato e„ jus debita: neque enim exigit lex naturæ, ut „ pœnitenti remittatur peccatum, quemadmo„ dum facile probari potest ex judiciis huma„ nis, juxta normam & exemplar divini judi„ cii institutis . . . . sed pertinet hoc ad gra„ tiosam Dei ordinationem, qua Christum nobis dedit propitiatorem per fidem in Sangui„ ne ipsius, ut ait Apostolus. Unde Patres „ Trid. Sess. 22, cap. 2, docent, Sacrificium „ Missæ vere propitiatorium esse, quod per „ ipsum fiat, ut si cum vero corde contriti „ & pœnitentes ad Deum accedamus, miseri„ cordiam consequamur, & gratiam inveniamus, „ in auxilio opportuno: id ipsum clare docet „ S. Aug. cum alibi, tum l. 2 de serm. Dom. „ in monte, c. 14, *cujus*, inquit, *tanta misericordia commemorari potest quam eius qui omnia donat peccata conversis?* non dicit, „ peccatoribus, aut lapsis, aut aversis; sed *con*„ *versis*. Nam aversis donare peccata, non „ misericordiæ est, sed perversi ordinis. Sen„ tit ergo magnæ esse misericordiæ Dei, (quæ „ utique non præstatur nisi per Christum) quod „ peccatoribus jam conversis Deus peccata con„ donet ".

Ita, & quidem solidissime Estius. Falso itaque affirmatur, per caritatem actualem & imperfectam, maculam ac reatum abstergi, ipsumque habitum peccati deleri: habitus enim, per actus contrarios, maxime si debiles ac transitorii fuerint, non tolluntur: *nihil prohibet*, ait S. Thomas supra laudatus, (2, 2, *q.* 117, *art.* 1, *ad* 3) *aliquos multa in bonos usus expendere, & habitum liberalitatis non habere, sicut & aliorum virtutum opera faciunt homines, antequam habitum virtutis habeant*: potest ergo pariter homo, etiamsi actualem habeat caritatem, habitu, reatu, & macula peccati teneri. Id quod de se ipso S. Aug. quam humiliter, tam vere testatur: ille enim longe antequam baptizaretur, conversus ad Deum erat, & adhuc catechumenus, caritate erga Deum, etsi nondum robusta flagrabat: *flebam*, inquit, (*Lib.* 8 *Conf. cap.* 12) *amarissima contritione cordis mei* . . . . (*ib. lib.* 9, *cap.* 2) *sagittaveras tu* (o Deus) *cor nostrum caritate tua* . . . . (*ib. c.* 4) *gaudens in fide laudavi nomen tuum*; atqui tamen adhuc peccati reatus vinculis tenebatur, antequam baptismo ablueretur: *& ea fides*, ait ibidem, *me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per baptismum tuum remissa nondum erant*. Idipsum confirmat S. Doctor exemplo S. Pauli, quem negare non possumus Dei caritatem aliquam habuisse, quando verbis Christi prostratus dixit: *Domine quid me vis facere?* nec tamen prius a peccatis ablutus est, quam ministerio Ananiæ baptismum susciperet, prout ejusdem ad illum Ananiæ verba significant: (*Actor.* 22, 16) *exurge & baptizare, & ablue peccata tua*: ad quem locum respiciens Aug. *Ananias*, inquit serm. 1 de Sanctis, *baptizavit Saulum, & fecit ex lupo agnum*: & serm. 25 *venit ergo Ananias, baptizavit Saulum, & fecit Paulum: baptizavit lupum, & fecit agnum*.

Inst. 1. Atqui caritas etiam actualis & quantumlibet imperfecta, reatum & maculam peccati penitus tollit. Ergo &c.

Prob. subs. Ex Scriptura, unde pleraque testimonia proferunt: *ego*, ait æterna sapientia (*Prov.* 8, 17) *diligentes me diligo* . . . (*Joan.* 14, 23.) *si quis diligit me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus* . . . . (1 *Joan.* 4, 7, & 16) *omnis qui diligit, ex Deo natus est* . . . *qui manet*

net in caritate, in Deo manet, & Deus in eo . . . . (1 *Pet.* 4, 8) *caritas operit multitudinem peccatorum*. Inde sic inferunt argumentum.

In illo reatus & macula peccati esse non possunt, quem diligit Deus, qui ex Deo natus est, in quo mansionem Deus facit, cujus denique peccata operta sunt, hoc est, deleta; atqui hæc omnia de habente caritatem Scriptura prædicat. Ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. admitto auctoritates, & concessa maj. dist. min. Hæc omnia prædicat Scriptura de habente caritatem, *habitualem, vel actualem perfectam*, conc. de habente caritatem *actualem imperfectam, etiam sine Sacramento*, n. min. & conseq. de caritate habituali, aut actuali perfecta hæc debere intelligi, præter quam quod ex prædictis consequitur, testimonia ipsa allegata insinuant: hic enim agitur de homine qui sic diligit, ut Christi sermonem servet, hoc est legem ejus adimpleat, de homine manente in caritate. Porro in caritate, nisi per ejus habitum, non manetur; nec sermo Christi, nisi ab eo qui habet caritatem perfectam impletur.

Inst. 2. Temerarium est, generales Scripturæ auctoritates restringere: porro generales sententiæ sunt, quibus affirmatur, caritate peccata deleri, & omnem qui diligit Deum, reciproce a Deo amari: nec enim ulla in iis locis caritatis perfectæ, & imperfectæ, actualis & habitualis discretio fit. Ergo &c.

℟. Dist. maj. Temerarium est, generales Scripturæ auctoritates, *ad arbitrium, Scriptura ipsa aut traditione non prælucente*, restringere, conc. *secus*, nego maj. dist. pariter min. In locis citatis caritatis perfectæ & imperfectæ nulla distinctio fit, *debet tamen ad mentem Scripturæ & Patrum subintelligi*, conc. *nec subintelligi debet*, n. min. & conseq.

E. R. Si quis hanc sibi præstitueret regulam, generales Scripturæ sententias, prout sonant, absolute & sine modificatione intelligendi, in magnos plerumque errores, non Scripturæ, sed vitio suo incideret. Sic enim e. c. fides in Scripturis sic commendatur, ut ei soli (si sequamur nudam litteram) justificatio hominis & salutis consecutio adscribatur: *qui crediderit & baptizatus fuerit*, ait Christus, (*Marc.* 16, 16) *salvus erit* ... (*Joan.* 6, 47) *qui credit in me, habet vitam æternam* . . . . (*Act.* 15, 9) & Apostolus: *fide purificans corda eorum* . . . (Rom. 3, 28) *arbitramur justificari hominem per fidem* . . . . (*Rom.* 10, 11) *omnis qui credit in illum non confundetur* . . . pariaque spei in iisdem sacris litteris elogia sunt: (*Rom.* 5, 5) *spes non confundit*: *spe salvi facti sumus*. Quibus in locis similibus nulla fidei actualis & habitualis, informis aut caritate formatæ distinctio fit: spes pariter sine actus aut habitus discrimine nominatur: numquid ideo dicturi sunt adversarii fidem aut spem, informem, actualem, & imperfectam ad justificationem peccatoris, etiam sine Sacramento sufficere? minime gentium: quorsum vero nisi quia ex aliis Scripturæ & traditionis testimoniis non minus certum est, præter fidem, ac spem, ad justificationem multa requiri; nec omnem fidei speique gradum ad illam obtinendam sufficere? Pari & nos jure utimur, quæ de caritate in locis allegatis dicuntur, de caritate habituali, aut de actuali perfecta, vel saltem, si imperfecta fuerit, cum Sacramento conjuncta interpretantes: nec posse aliter explicari, multis convincimur, nec minus generalibus Scripturarum oraculis, quibus denuntiatur peccatorem cum Deo reconciliari non posse, nisi viam suam malam dereliquerit, nisi cor novum induerit, nisi a prava peccandi voluntate destiterit, nisi conversus ad Deum fuerit toto corde suo; nisi denique peccatum quo Dei incurrerat inimicitiam vere detestatus fuerit: quæ sine aliquo saltem initiali caritatis impulsu obtinere nequaquam potest, ut ex probationibus tanto numero adductis certissimum est.

Inst. 3. Atqui reatum, & maculam peccati habere non potest, qui caritatem actualem, quantumlibet imperfectam habet. Ergo &c.

Prob. subs. Qui vivit vita spirituali reatum & maculam peccati non habet; sed quisquis caritatis actualis sensum habet, spiritualiter vivit: vita namque animæ caritas est. Ergo &c.

R. Nego subseq. ad probat. dist. maj. Qui vivit vita spirituali *plena & integra*, reatum & maculam peccati non habet, conc. qui vivit *vita inchoata*, n. maj. dist. pariter min. Qui caritatis actualis sensum habet, spiritualiter, *vita inchoata*, conc. *vita plena & integra*, n. min. & conseq.

E. R. Habet vita spiritualis diversos gradus: habet exordium, progressum, perfectionem. Porro ut bene in argumento notatum est, animæ vita est caritas. Unde sequitur, caritatem inchoatam, esse initium vitæ spiritualis, caritatem provectam, ejusdem esse progressum, & denique caritatem perfectam, vitæ esse perfectionem, juxta hanc toties decantatam S. Aug. sententiam: *inchoata caritas, inchoata justitia est: provecta caritas, provecta justitia est: caritas magna, magna justitia est: caritas perfecta, perfecta justitia est*: jam fateor vitam spiritualem perfectam, cum macula & reatu peccati non posse consistere; sed de vita inchoata hoc nego. Immo nec ipsi ne-

gare

gare adversarii possunt; fatentur enim actum fidei, & motum timoris servilis reconciliationis, quæ obtinetur per pœnitentiam, prævios, stare cum macula & reatu peccati; atqui fidei & timoris servilis actus, aliqua spiritualis vitæ primordia sunt: nec enim a peccatore elici possent, si absolute ac desperate mortuus esset: nedum itaque ista pugnent, quod pœnitens vitæ spiritualis initium habeat antequam a reatu peccati solvatur; e contrario nisi vitæ aliquem sensum ante haberet, expiari a macula, & absolvi a reatu peccati non posset.

Eaque Sanctorum Patrum indubitata doctrina est, pœnitentes antequam a peccati vinculis absolvantur, non absolute mortuos, sed semivivos dicentium.

Opem nostram, inquit S. Cyprianus, (*Ep.* 52) *medelam nostram vulneratis exhibere debemus*: " nec putemus mortuos esse, sed magis semianimes jacere eos, quos persecutione funesta sauciatos videmus: qui si in totum mortui essent, numquam de eisdem postmodum & confessores & martyres fierent ".

Et S. Ambrosius: " (*de pœn. lib.* 1, *cap.* 10) *si mortuus est*, ait, *cur ei dicitis agendam pœnitentiam, qui jam curari non potest?* si semivivus est, infundite vinum & oleum &c. "

S. Aug. " (*serm.* 2 *in Ps.* 101) remissio peccatorum, solutio est: quid enim prodesset Lazaro, quia processit de monumento, nisi diceretur: *solvite eum & sinite abire?* ipse quidem voce de sepulchro suscitavit, ipse clamando animam reddidit, ipse terrenam molem sepulto impositam vicit, & processit ille vinctus: non ergo pedibus propriis, sed virtute producentis fit hoc in corde pœnitentis. Cum audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit; cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulchro eductus est: sed nondum solutus est. Quando solvitur? a quibus solvitur? *quæ solveritis*, inquit, *in terra, erunt soluta & in cœlo:* merito per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest: suscitari autem ipse mortuus, nonnisi intus clamante Domino potest: hæc enim Deus interius agit ".

Nec minus perspicue S. Gregorius M. (*hom.* 26 *in Evang.*) " illos, ait, debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos Authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare ".

Inst. 4. Atqui vivit vita plena & integra, qui gradum habet quantumvis tenuem caritatis: Ergo &c.

Prob. subs. Et afferunt varias ex S. Doctoribus, præsertim ex S. Aug. auctoritates.

" Nullum est, inquit, (*de Trin. lib.* 15, *cap.* 18) isto (caritatis) dono excellentius: solum est, quod dividit inter filios regni æterni, & filios damnationi æternæ.

" Dilectio sola (*in Ep. Joan. tract.* 5) discernit inter filios Dei, & filios diaboli ... nemo interroget hominem: redeat quisque ad cor suum: si ibi invenerit caritatem fraternam, securus sit, quia transit de morte ad vitam: jam in dextera est.

" Fides ergo (*Serm.* 16 *de verb. Apost. cap.* 7) quæ per dilectionem operatur, si est in vobis, jam pertinetis ad prædestinatos, vocatos, justificatos.

" Ipsa vero dilectio, (*de Trinit. lib.* 15, *cap.* 18) sive caritas, (nam unius rei est utrumque nomen) si habeat eam quæ non loquitur linguis, nec habet prophetiam, nec omnia scit Sacramenta . . . . . perducit ad Regnum, ut ipsam fidem non faciat utilem, nisi caritas ".

Formatur (*in Expos. Ep. ad Gal.*) *Christus in eo, qui formam accepit Christi: formam autem accipit Christi, qui adhæret Christo dilectione spirituali: ex hoc enim fit, ut hujus imitatione sit, quod ille, quantum gradu suo sinitur.*

S. Joannes Chrysost. *caritatis fervor*, inquit, (*hom.* 7 *in* 2 *ad Timoth.*) *quocumque inciderit, omnia perimit: ubi caritas est, omnia sublata sunt mala.*

S. Gregorius M. (*comment. in cap.* 3 *l.* 1 *Reg.*) " quacumque hora peccator convertitur, vivit . . . ex vi conversionis magnitudo deletur criminis: vis autem conversionis est, affectio caritatis cordi infusæ, visitatione Sancti Sp. &c.

Ex his & similibus sic deducunt argumentum:

Ille vivit vita plena & integra, qui filiis Dei & regni æterni annumeratur, & jam in dextera est, qui pertinet ad prædestinatos, vocatos, justificatos, qui ad Regnum perducitur, qui formam accepit Christi, a quo omnia mala sublata sunt, cujus denique crimen omne deletum est; atqui hæc omnia Patres caritati attribuunt. Ergo vivit vita plena & integra, qui vel unum habet quantumvis exiguum gradum caritatis.

℟. Nego subs. ad probat. admitto auctoritates, & ad argumentum concessa maj. dist. min. hæc omnia Patres attribuunt caritati *habituali*, *vel actuali*, *perfectæ*, conc. *caritati actuali*, *perfectæ*, subdist. *si Sacramento conjuncta sit*, conc. *extra Sacramentum*, n. min. & conseq.

E. R. Hæc & sexcenta alia ejusdem sensus testimonia, eo minus contra nos faciunt, quod ex iis ipsis proferantur, quos in præsenti potissimum Duces ac Patronos habemus. Dicimus itaque iis locis SS. Doctores loqui vel de caritate habituali, vel de actuali perfecta, vel de imperfecta, sed Sacramento conjuncta, non vero de caritate initiali, quæ a Sacramento avulsa sit: agunt enim de ea caritate, per quam dividuntur filii Dei & regni a filiis diaboli & damnationis æternæ; atqui discretionem hanc sola habitualis caritas facit, aut actualis ita intenta, ut ad illam statim ejusdem habitus consequatur: agunt de caritate, per quam homo pertinet ad vocatos, prædestinatos, justificatos. Porro ad justificatos homo non pertinet nisi per caritatem habitualem, licet caritate actuali ad justitiam disponatur: *in ipsa justificatione*, ait Concilium Trid. (*Sess. 6, cap. 7*) *cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo, per Jesum Christum cui inseritur, fidem, spem, & caritatem*: agunt de caritate immanente, per quam fides operatur, per quam homo Christo adhæret, & formam accipit Christi: quæ sane nisi de habituali caritate dici non possunt: agunt denique de caritate fervida, quæque vim magnam habeat, ad opus conversionis complendum. Frustra igitur contra nos hæc testimonia congeruntur, quippe quæ ne leviter quidem conclusionem attingunt, qua dicimus initialem Dei caritatem ad Sacramentum pœnitentiæ necessario afferendam: quamquam etsi de hujusmodi imperfecta dilectione, aliqua eorum testimonia intelligi possent, nihil inde adversarii obtinerent, nisi ostenderent imperfecto motui caritatis justificationem a Patribus cum exclusione Sacramenti attribui.

Inst. 5. Et S. Thomæ judicio, ut possunt, se se tuentur: *per dolorem ex amore caritatis ordinato causatum*, inquit, (*suppl. quæst. 5, art. 1, in arg. sed contra*) *solvitur* (peccatum) *& sic contritio peccatum delet*: ad hunc autem producendum effectum, caritatem quantumvis tenuem sufficere, paulo post, sine ambiguitate affirmat: *dicendum*, ait, (*ibid. art. 3, in corp.*) *quod quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet*. Ergo ex ejus mente caritas actualis quantumlibet imperfecta, ad justificationem sufficit sine Sacramento.

R. admitto auctoritatem, & n. conseq. Falso namque supponitur, 1 S. Doctorem hic loqui de motu caritatis extra Sacramentum: quod a mente ejus ac scopo alienissimum est: 2 parvæ caritatis nomine intelligere actum quemlibet caritatis initialis, quod ejus pariter doctrinæ, in hoc ipso art. traditæ manifesto repugnat: de hac enim caritate sive contritione loquitur, quæ gratia gratum faciente est informata: *quælibet gratia gratum faciens*, inquit, (*ibid. art. 3, in arg. sed contra*) *delet omnem culpam mortalem, quia simul cum ea stare non potest*; *sed quælibet contritio est gratia gratum faciente informata*: *ergo quantumcumque sit parva delet omnem culpam*; agit itaque Angelicus Doctor de contritione perfecta, prout ab attritione distinguitur, *secundum gratiæ informationem*, ut alibi ait, (*quæs. 28 de verit. art. 8, ad 3*) eamque parvam hic appellat, ratione intentionis, quæ uti major & major, sic potest minor & minor in eadem specie esse.

Inst. 6. Atqui ex S. Thoma, caritas actualis quantumvis imperfecta sine Sacramento justificat, & vitam spiritualem plene restituit. Ergo &c.

Prob. subs. Et afferunt verba ejus ex a. 6, qu. 85, deprompta: *actus & habitus caritatis*, inquit, (*in cor.*) *simul sunt tempore, cum actu & habitu pœnitentiæ, & cum habitibus aliarum virtutum*. Unde sic disputant:

Actus ille hominem plene justificat, & ex integro vitam spiritualem restituit, qui cum caritatis & aliarum virtutum habitibus simul tempore reperitur; prius enim est hominem esse formaliter justificatum, quam habitum caritatis, fidei, spei, ac pœnitentiæ habere; atqui juxta S. Thomam actus caritatis, cum ejusdem habitu, & cæterarum virtutum habitibus simul tempore junctus est. Ergo &c.

℟. nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & concessa maj. dist. min. Actus caritatis cum ejusdem habitu, & cæterarum virtutum habitibus simul tempore junctus est, *in Sacramento, eo videlicet instanti quo justificatio fit*, conc. extra Sacramentum, subdist. *quando actus caritatis est intensus ac vehemens*, conc. *secus*, n. min. & conseq.

E. ℟. mentem suam in hoc ipso articulo tam perspicue aperit S. D. mirum ut sit ab adversariis, quasi nobis esset contrarius, intorqueri: statim enim post verba in objectione adducta subjungit: „ in justificatione impii simul est motus liberi arbitrii in Deum, qui „ est actus fidei per caritatem formatus, & „ motus liberi arbitrii in peccatum, qui est „ actus pœnitentiæ: horum tamen duorum „ actuum primus naturaliter præcedit secundum. Nam actus virtutis pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei; sic igitur pœnitentia (*quoad habitum*) non est simpliciter prima virtutum, nec ordine temporis, „ nec ordine naturæ: quia secundum ordinem „ naturæ simpliciter præcedunt ipsam virtu- „ tes

„ tes Theologicæ; sed quantum ad aliquid, „ est prima inter cæteras virtutes ordine tem- „ poris, quantum ad ejus actum, qui primus „ occurrit in justificatione impii " .... Ergo ex Angelico præceptore actus virtutis pœnitentiæ, quatenus motus est liberi arbitrii contra peccatum ex amore Dei conceptus, præcedit ordine temporis cæteras virtutes, quæ in justificatione cum gratia sanctificante infunduntur, simulque in anima esse incipiunt, ut docet multis locis, & post illum a Concilio Trid. est confirmatum: atque adeo quod superius dixerat, *actum & habitum caritatis, simul esse tempore cum actu & habitu pœnitentiæ, & cum habitibus aliarum virtutum*, de eo istanti debet intelligi, in quo justificatio fit, quo sane temporis puncto actum & habitum caritatis simul esse non diffitemur.

Cæterum si de actu intenso ac vehementi caritatis mentio foret, ultro concederemus, etiam extra Sacramentum, cum habitu caritatis, cæterarumque virtutum (modo habeat Sacramenti votum conjunctum) eodem simul tempore in pœnitentis anima reperiri. Expressa enim hæc Angelici Præceptoris loco sæpe citato sententia est: „ iste communis, inquit, „ (*in 2, quæst. 113, art. 10, in corp.*) & con- „ suetus cursus justificationis, ut Deo moven- „ te interius animam, homo convertantur ad „ Deum: primo quidem conversione imperfe- „ cta, ut postmodum ad perfectam deveniat: „ *quia caritas inchoata meretur augeri, ut* „ *aucta mereatur perfici* ", sicut Aug. dicit. (*in Ep. Joan. Tract. 5*) Quandoque vero Deus vehementer animam movet, ut statim quamdam perfectionem justitiæ assequatur, sicut fuit in conversione Pauli.

Inst. 7. Non debet ea admitti doctrina, quæ nova est, & bonis Scriptoribus inaudita; atqui sententia asserens posse motum caritatis cum macula & reatu peccati consistere, sive (quod idem est) posse amorem Dei super omnia dilecti, reperiri in homine adhuc peccatore & gratia sanctificante destituto, nova est, & bonis Scriptoribus inaudita. Ergo &c.

R. concessa maj. n. min. & dico vitium novitatis, quo maxime laborant attritionis servilis Patroni, necessitatis divini amoris defensoribus inique impingi: non quolibet motu caritatis, sive catechumenum ante actualem baptismi susceptionem, sive peccatorem baptizatum, antequam clavium se subjiciat potestati, justitiam consequi, sed eo solum, qui sit vehemens & intensus, sententia nostra est; atqui nedum de novitate suspecta sit, diuturna antiquitate merito gloriatur; hanc sane esse catechismi Romani doctrinam non negabit, qui verba ejus attente ac sine præjudicio legerit.

Ut hoc concedamus, inquit, (*part. 2, tit. de pœn. n. 37, & seq.*) *contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit? at quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret: quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves Regni cœlestis Ecclesiæ tradidit: etenim ex fidei Catholicæ doctrina omnibus credendum, & constanter affirmandum est: si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare instituat: etsi ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit; ei tamen cum peccata sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti ac condonari.*

Itaque juxta catechismum, dolor aliquis est de peccatis, ad eorum veniam impetrandam, extra Sacramentum, insufficiens; atqui dolor ille ex Dei amore concipitur: pertinet enim ad dolorem contritionis, & ab illo non differt nisi gradu & intensione. Porro ad contritionem, ex eodem catechismo, caritas necessario pertinet: " cum perfecta contritio, inquit, (*ib.* „ *n. 28.*) sit caritatis actio, quæ ab eo ti- „ more qui filiorum est, proficiscitur; patet „ eumdem contritionis ac caritatis modum sta- „ tuendum esse; at quoniam caritas qua Deum „ diligimus, perfectissimus est amor, hinc fit „ ut contritio vehementissimum animi dolo- „ rem conjunctum habeat: ut enim maxime „ diligendus est Deus; ita quæ nos a Deo a- „ lienant, maxime detestari debemus: in quo „ etiam illud observandum est, eodem loquen- „ di genere, caritatis & contritionis magni- „ tudinem in sacris litteris significari: de ca- „ ritate enim dictum est: *diliges Dominum* „ *Deum tuum ex toto corde tuo*: rursus, quod „ ad contritionem attinet, clamat Dominus „ per prophetam: *convertimini ad me in toto* „ *corde vestro* ".

Itaque dolorem esse aliquem ex amore conceptum, qui ad reconciliationem & plenam vitam extra Sacramentum satis non sit, sententia est auctorum Trid. Catechismi, quos si aliquis pro bonis Scriptoribus habendos non putet, tum Pontificibus Max. a quibus hic liber probatus est, tum SS. Patribus, unde hæc ipsa doctrina accepta est, videtur facturus injuriam: hanc enim ipsam amoris vehementis ab

amore remisso differentiam, longum tempus est, quod Doctores Ecclesiæ prænotarunt.

Quam magna deliquimus, inquit S. Cyprianus (*tract. de lapsis*) *tam granditer defleamus*: & S. Ambrosius: (*lib. ad Virg. lapsam. c. 8*) *quanta putas, & qualis necessaria pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certe excedat?*

Et S. Aug. (*Ench. cap. 65*) *neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis, in Ecclesia Dei desperanda est misericordia, agentibus pœnitentiam secundum modum sui cujusque peccati: in actione autem pœnitentiæ, ubi tale crimen commissum est, ut is qui commisit a Christi etiam corpore separetur: non tam consideranda es mensura temporis, quam doloris: cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit.*

Consentit S. Joannes Chrysost. hom. 27 in Gen. ubi latronis exemplo probat, non longo tempore opus esse, ut peccata quantumvis gravissima expientur: *nam ubi* (Deus) *viderit*, inquit, *voluntatis nostræ firmum propositum, & ferventi nos desiderio ad se accedere, non tardat, neque differt, sed accelerat.*

Et S. Gregorius M. de peccatrice muliere agens: (*hom. 33 in Evang.*) *quid esse dilectionem credimus*, inquit, *nisi ignem? & quid culpam, nisi rubiginem? unde nunc dicitur*: dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: *ac si aperte diceretur: incendit pleni peccati rubiginem, quia ardet valide per ignem amoris.*

Attende lector ad has Patrum voces: *granditer deflere: pœnitentiam peccatorum gravitatem æquare, aut certe excedere: pœnitentiam agere secundum modum peccati sui: gravitati peccatorum doloris attemperare mensuram: ferventi desiderio ad Deum accedere: ardere valide per ignem amoris*: quibus, quid aliud significatur, nisi imparem aliquem peccatis delendis esse dolorem, etiamsi ex Dei amore conceptus sit?

Accedat ad Patrum judicium Theologorum pene omnium ante Concilium Trid. auctoritas, quos constat attritionem a contritione non secundum speciem, sed sola graduum differentia discrevisse: quæ sententia ita invaluerat, ut omnium sermone celebraretur: *quasi commune est dictum*, inquiebat Cardinalis Gajetanus (*tom. 1 Opuscul. tract. 4, qu. 1*) *quod contritio, & attritio differunt secundum magis & minus.*

Accedant denique argumenta omnia, quibus hactenus probatum est, Dei amorem ad peccata expianda absolute in Sacramento requiri: quæ si, ut revera sunt, ad hoc quod probandum proposueramus efficacissima sint, novitatis accusatio conticescat.

Inst. 8. probando min. Nova doctrina, & non nova tantum, sed & erronea est dicenda, quam Sum. Pontifices decretis solemnibus proscripserunt; atqui sententiam asserentem, posse motum caritatis cum macula & reatu peccati consistere, solemniter Pontifices maximi condemnarunt.

Nam inter Bajanas propositiones a S. Pio V an. 1567, a Gregorio XIII an. 1579, & ab Urbano VIII an. 1641 censura inustas, istæ leguntur:

„ *Propos.* 31. Caritas perfecta & sincera, „ quæ est ex corde puro, & conscientia bo„ na, & fide non ficta, tam in catechume„ nis, quam in pœnitentibus, potest esse si„ ne remissione peccatorum.

„ *Prop.* 32. Caritas illa, quæ est plenitudo „ legis, non est semper conjuncta cum remis„ sione peccatorum.

„ *Prop.* 33. Catechumenus juste, recte, & „ sancte vivit, & mandata Dei observat, ac „ legem implet per caritatem, ante obtentam „ remissionem peccatorum, quæ in baptismi „ lavacro demum percipitur.

„ *Prop.* 70. Homo existens in peccato mor„ tali, sive in reatu æternæ damnationis, „ potest habere veram caritatem, & caritas „ etiam perfecta potest consistere cum reatu „ æternæ damnationis.

„ *Prop.* 71. Per contritionem, etiam cum „ caritate perfecta, & cum voto suscipiendi „ Sacramentum conjunctam, non remittitur „ crimen extra casum necessitatis, aut mar„ tyrii, sine actuali Sacramenti susceptione."

Atqui, inquiunt, hoc ipsum est quod defendimus, nec quidquam aliud his propositionibus affirmatur. Ergo &c.

℟. concessa maj. neg. min. ad probat. concessa pariter maj. minorem inficior, & dico toto cælo nostram a Bajanis propositionibus differre sententiam. Id quod multis argumentis ostendo.

Primo enim, Doctrinam a S. & Apostolica Sede, etiam ex quo decreta memorata emissa sunt, sæpe probatam, dicere non possumus a Sum. Pontificibus Pio V, Gregorio XIII, & Urbano VIII damnatam; atqui Doctrinam affirmantem posse motum aliquem imperfectæ caritatis cum macula & reatu peccati consistere, S. & Apostolica Sedes sæpe probavit: exempla plurima sunt, quæ quoad fieri poterit in angustum contrahentur.

1. Catechismum Romanum jussu suo editum approbavit haud dubie S. Pontifex Pius V. Porro in hoc Catechismo, contritione ex amore Dei concepta, nisi acris, incensa, ac vehemens fuerit, peccata extra Sacramentum non deleri, diserte docetur.

3. An-

3. Anno 1677 cum gravissimæ contra Academiam Lovaniensem essent excitatæ querelæ, conquerentibus ejus adversariis plerasque in Schola Lovaniensi tradi opiniones, Apostolicis decretis contrarias: collegit illa suæ doctrinæ articulos, eosdemque, per suos deputatos, Innocentii XI clavum Ecclesiæ tunc regentis judicio reverenter uti par erat summisit. Porro tres erant de contritione propositiones his verbis expressæ.

„ 1. Servilis gehennarum metus nequaquam „ in sua substantia malus est, sed bonus & „ utilis: attamen ipsi soli insistens attritio, „ etiam cum Sacramento, non sufficit ad ju„ stificationem: quia ad accipiendum hanc „ gratiam oportet credere, sperare, ac Deum „ propter se diligere.

„ 2. Vera attritio debet esse dolor animi, „ ac detestatio de peccato commisso, cum pro„ posito non peccandi de cætero, excludens „ voluntatem peccandi: attamen non debet „ includere perfectam caritatem, quæ homi„ nem Deo reconciliet, priusquam hoc Sacra„ mentum actu suscipiatur.

„ 3. Nihilominus esse debet, licet imperfe„ cta, tamen vera Dei caritas, qua pœnitens „ Dominum Deum tamquam omnis justitiæ „ fontem diligat, ideoque peccata sua dete„ stetur & oderit: eam aliqui appellant cari„ tatem affectu super omnia. “

Atqui hæ propositiones ad examem sæpe vocatæ, & coram Eminent. Sacræ Congregationis Cardinalibus, a Theologis diligentissime discussæ, intactæ, ab omnique censura immunes dimissæ sunt: recognitum ergo, Pontificiis sanctionibus nihil habere contrarium.

3. Eodem anno 1677 Emin. Cardinalis *Capisuccus*, hoc tempore sacri Palatii Apost. magister, Theologiam moralem ab Illustrissimo Vasionensi Episcopo Francisco Genetto exaratam approbavit, nec probavit solum, sed præclaro encomio commendavit: *hæc Theologia moralis*, inquiebat, *sanam*, *solidam*, *ac tutam doctrinam continet &c.* Atqui in hoc opere, tom. 4, cap. 5, posse sine justificatione aliquem Dei imperfectum amorem haberi propugnatur.

4. Eodem circiter tempore Emin. Cardinalis *de Lauræa* commentarium in Theologiam Scoti, Romæ publicavit, & SS. D. N. Innocentio XI nuncupavit; atqui hujus commentarii tom. 4 eadem sententia velut Scoti, & Scotistarum genuina defenditur; nec immerito, *doctrina enim Scotistarum est*, ut longe ante Andreas Vega prædixerat, (*lib. 9 in Concil. Trid. cap. 17.*) *ad justificationem peccatoris non quemvis dolorem de peccatis, etiam propter Deum sufficere; sed necessariam esse aliquantam intensionem & fervorem in ipso dolore, aliquantique temporis, & quidem ignoti nobis continuationem*. Idemque a Scoto traditum in 4 sent. dist. 14, q. 2, a. 2, Franciscus de Victoria observavit (*in summa de Sacram. tit. de cont. q. 117*).

5. Anno 1696 Fridericus *Nicolaus Gavardi* Ordinis S. Aug. Sacræ Scripturæ publicus in Sapientia Romana interpres, Theologiam cui Titulus, *Schola Ægidiana*, Romæ evulgavit, & SS. D. N. Innocentio XII inscripsit: ejusdem vero ille sententiæ est, eamque omni conatu propugnat.

6. Anno 1707 ejusdem ordinis, illustrissimus *Lambertus le Drou*, sacrarii Apostolici præfectus, & Porphyriensis Episcopus, ad doctrinam hanc asserendam, opus absolutissimum, quadripartita dissertatione contentum, Romæ edidit, & SS. D. N. Clementi XI consecravit.

7. Non ita pridem Sanctæ memoriæ Benedicti XIII jussu Summa Alexandrina, ex morali Theologia Natalis Alexandri Ordinis Prædicatorum digesta, vulgata est, ubi hæc pariter Doctrina defenditur.

8. Neminem latet, Romæ quotidie tum in *Sapientiæ* Archigymnasio, tum in aliis Scholis, sub oculis Summorum Pontificum propugnari.

9. Denique, ut alia multa prætercam, quis crediderit patienter laturos Pontifices Maximos, sententiam hanc in orbis Catholici Academiis, ut in dies fit, libere propugnari, si haberet aliquid cum doctrina damnata affinitatis?

Restat igitur explicandum quo sensu præfatæ Bajanæ propositiones proscriptæ sint. Unde,

Secundo, assero ideo censura inustas, quia iis significabatur, cum caritate actuali perfecta, immo & habituali reatum ac maculam peccati manere.

De caritate actuali perfecta in propositionibus 31, 70 & 71, aperta mentio est: ad quas respiciens Cardinalis Bellarminus: (*lib. 2 de pœnit. c. 13*) „ fuit, inquit, Doctor quidam „ ante paucos annos, qui in libro, quem de „ caritate conscripsit, adversus communem „ sententiam docuit Catechumenis pœnitenti„ bus, quamvis perfecte conversis, & caritate „ flagrantibus, non remitti peccata, sive rea„ tum mortis æternæ, nisi cum vel baptizan„ tur, vel reconcilientur ministerio Sacerdo„ tum, nisi forte in mortis articulo ... Scri„ ptori illi Catholico, qui veram perfectam„ que contritionem cum reatu lethalis peccati, „ usque ad Sacramenti perceptionem manere „ contendit, opponimus primum &c. “

Caritatem vero habitualem haud obscure eadem

dem propositiones (juxta consuetum ea ætate Scholarum loquendi morem) significabant, affirmando, caritatem, *quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, quæ est plenitudo legis, per quam homo juste, & recte, & sancte vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet, non esse semper conjunctam cum remissione peccatorum*.

Id quod Bajus ipse in Scholis Lovaniensibus recognovit, quando doctrinæ suæ articulos publice explicans: (*anno* 1570, *die* 17 *Aprilis*) ,, quod in Catechumenis, inquiebat, ,, sit bona voluntas, dilectio, amor, apud ,, omnes est extra controversiam; sed difficultas ,, ex eo nascitur, quod non distinxerim inter ,, bonam voluntatem & caritatem, secundum ,, consuetum modum loquendi Scholæ: caritas ,, enim a Schola non aliter accipitur, quam ,, quomodo Paulus accipit 1 ad Timot. 1: *caritas de corde puro* &c. hoc est, de caritate perfecta, quæ est actus vel habi- ,, tus, quem operatur spiritus inhabitans & ,, propitius: habent *quidem* (Catechumeni) ,, dilectionem, qua incipinnt Deum amare, ,, ut loquitur Concilium Trid. habent bonam ,, voluntatem, amorem, & inchoatam caritatem, licet non perfectam. August. quodam ,, loco ista non distinguit, sed dicit, *bonam* ,, *voluntatem, dilectionem, amorem, & caritatem in Scripturis indifferenter accipi:* ,, Peccatum est igitur in eo, quod secutus ,, Augustinum, non servaverim consuetum ,, usum loquendi Scholæ. ,,

Idemque *Cunerus* quem Bajus infensissimum adversarium habuit, in eo libro testatur quem contra ejus articulos scripsit: in ipsa namque præfatione sic loquitur: ,, Caritas, quia omnes in ea divinam concipiunt amicitiam, ,, non sustinent communes fidelium aures, ,, quod sine culpæ remissione in aliquo inveniatur; ubi si proposueris, an dilectio seu ,, amor Dei a culpæ remissione ad tempus separari possit, omnes toto corde confitebuntur. Immo si progrediaris an dilectio, quæ ,, Dei est ex toto corde, eum in homine statum patiatur, ut ei, quamvis peccata, certo ,, suo loco & tempore remittantur, nondum tamen, quia Sacramenta differt, remissa sint, ,, & adhuc imputari possint? invenies Catholicos Doctores, qui tecum consentient, ,, modo etiam extra articulum necessitatis, ,, per eum peccata aliquando remitti confitearis ".

Est & alterum ejusdem rei clarissimum monumentum, in *forma Doctrinæ*, quam Gregorii XIII Pontificis Max. temporibus, Facultas Theologica Lovaniensis, jubente *Francisco Bonhomo*, per utramque Germaniam Apostolico Nuncio, eo fine edidit, *ut Sedis Apostolicæ judicio congrueret, damnatisque sententiis ex adverso consisteret*: in hac enim *Doctrinæ forma* de caritatis articulis sic habetur: " falsum est hominem in peccato mortali, sive ,, reatu æternæ damnationis existentem, posse veram habere caritatem: etsi enim ante ,, suam justificationem insit in pœnitente amor ,, aliquis justitiæ, eaque dilectio, qua Deum ,, diligere incipit, tamquam totius justitiæ ,, fontem; is tamen amor qui caritatis præstantiam assequitur, seu perfecta illa & sincera caritas, quæ est ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, cum æternæ damnationis reatu non consistit ".

Addam ad coronidem testimonium Francisci Suarezii, qui Bajanas de caritate propositiones, haud aliter quam de ipso habitu caritatis intelligi debere putavit. *Hinc referri potest, inquit,* (*in* 3 *part. S. Th. ad art.* 1, *q.* 85, *disput.* 4, *sect.* 7, *n.* 1) *nova quædam opinio Michaelis Baii, qui fatebatur quidem gratiam & caritatem in eodem momento infundi, in quo homo habet actum contritionis vel dilectionis; peccata vero non statim remitti, etiam quoad culpam, donec Sacramentum baptismi, vel pœnitentiæ reipsa recipiatur: ex quo plane sequitur, talem actum non statim esse plene formatum: illa tamen sententia supponit falsos errores, scilicet, quod peccatum numquam remittatur, usque ad realem susceptionem Sacramenti: & consequenter sine hac susceptione non posse hominem salvari: item, posse hominem esse in statu peccati, immo & condemnari cum habitibus gratiæ & caritatis*.

Non alia igitur in Bajanis propositionibus offensionis ac scandali causa fuit, quam quod caritatis nomen ad solum habitum, seu actum perfectum significandum, Scholarum consuetudine consecratum, ipsius caritatis primordiis & actui imperfecto tribueret. Nam quod aliunde bona voluntas, dilectio, amor ex toto corde, a culpæ remissione ad tempus separarentur: *omnes*, inquit Cunerus, *toto corde confitebantur*, ipseque Bajus, *res*, inquiebat, *extra controversiam est*: idemque Schola Lovaniensium sentiebat, in forma Doctrinæ profitens, *pœnitenti, ante justificationem inesse eam dilectionem qua Deum diligere incipit, tamquam omnis justitiæ fontem*. Unde consequens est, Pontificiis constitutionibus adversarios manifesto abuti, ut sententiam de amoris ac caritatis initialis in Sacramento, necessitate, velut neotericum Baji commentum, a Sede Apost. profligatum traducant: quod sane non facerent, si quam in cæteris minoris momenti rebus servare quisque tenetur, in hoc tam

gravi

gravi (ubi agitur de divinis Sacramentis) negotio, æquitatem sinceritatemque profiterentur.

Inst. 9. In hypothesi quod caritas inchoata ad justificationem extra Sacramentum obtinendam non sufficiat, sequitur pœnitentem imperfecta Dei caritate succensum, si morte præcipiti abripiatur antequam possit Sacramentum recipere, in æternum esse damnandum; atqui consequens est tum absurdum, tum impium. Quomodo enim fieri potest, ut in æternum pereat, qui cum amore Dei, hoc est in osculo pacis mortuus est, iisque immisericorditer bonis privetur, quæ, Scriptura teste, præparavit Deus diligentibus se? Deinde, cum in eo statu anima æternum mansura sit, in quo ab hoc mortali corpore emigrando reperietur; sequitur perpetuo amaturam Deum, quem in ultima vitæ præsentis periodo, vera caritate dilexerit. Porro absurdissima res est cum hac vera dilectione a summo bono in æternum avelli, in æternum clamare: *ne projicias me a facie tua*; *ne avertas faciem tuam a me*: *ostende faciem tuam*, *& salvi erimus*: nec unquam voti compotem fieri. Numquid præterea absurdissimum dictu est, posse in inferno, ubi nihil nisi desperatio, horror, & stridor dentium erit, reperiri Dei amorem? Ergo &c.

℟. Nego sequelam majoris: In hoc enim casu non dubitamus pœnitentem, qui Sacramento sine sua culpa careret, Deumque tamquam omnis justitiæ fontem caritate initiali diligeret divinitus absolvendum, & ad statum justitiæ transferendum: vel enim Deus, qui id omne quod hominum ministerio potest, potest a fortiori sine cujusquam subsidio exequi, visibile Sacerdotis officium in hoc tanto discrimine ipse suppleret; vel certe nascentem pœnitentis amorem ad eum gradum proveheret, qui obtinendæ justificationi, & plenæ emundationi sufficeret: neque hoc gratis dictum, & ad effugiendam difficultatem inventum putari debet, cum longe ante a Sanctis Doctoribus dictum sit.

„ Si forte peccator pœniteat, *ait Hugo a S. Victore*, (*de Sacram. art.* 14, *c.* 18) „ sed intercurrente articulo necessitatis, ad „ confessionem pervenire non possit; confidenter „ credere debemus, quod summus Sacerdos „ complet in eo, quod mortalis non potuit... „ quia confessionem non contemptus exclusit „ sed impedivit necessitas.

Et S. Bernardus: (*Ep.* 77) „ si quis voluerit, & petierit baptizari: (*de pœnitenti vero, ut sæpe monuimus, idem ac de baptismo judicium est* :) sed mortis præoccupatus articulo forte obtinere nequiverit; „ dum non desit fides recta, spes pia, sincera caritas, huic ego ob solam aquam, si „ defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, „ nec confundere spem, nec excidere caritatem: tantum si aquam, non contemptus, sed sola, ut dixi, prohibeat impossibilitas.

Et S. Augustin. (*lib.* 4 *cont. Donat. cap.* 22) „ invenio non tantum passionem pro nomine Christi, id quod ex baptismo deerat „ posse supplere; sed etiam fidem, conversionemque cordis, si forte ad celebrandum „ mysterium baptismi, in angustiis temporum „ succurri potest.... quantum itaque valeat, „ etiam sine visibili Sacramento baptismi, „ quod ait Apostolus: *corde creditur ad justitiam*, *ore autem confessio fit ad salutem*: „ in illo latrone declaratum est; sed tunc impletur invisibiliter, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. „

Poteram S. Ambrosium, (*in orat. de obitu Valentiniani*) Innocentium III in Ep. Decretali ad Episcopum Cremonensem, (*Extra de Presbytero non baptizato*, *c. Apostolicam*) & plerosque alios addere, quorum eadem sententia fuit: tanta enim de hac re, majorum persuasio erat, ut in Conciliis *Carthag.* IV. Can. 79, *Vasensi*, can. 2, *Arelatensi* 2, can. 12, Toletano 11, Can. 12, statutum fuerit, pœnitentium, qui satisfactiones impositas sedulo implebant, si casu aliquo morte improvisa abriperentur, memoriam in orationibus, & sacrificiis faciendam; quod sane non præcepissent, nisi eos a summo Sacerdote Christo absolutos invisibiliter credidissent.

Hoc posito, nihil necesse est ad ea quidquam reponere, quæ ad probationem minoris adducebantur. Quamquam nec omnia pro veris admittimus, quæ argumentatio continebat: quale sane est, quod innuebatur necessarium esse a Deo absolvi, qui motum aliquem caritatis habere repertus fuerit: quasi nimirum quidquam eorum, quæ justificationem præcedunt, possit jutsificationis gratiam promereri, & justificatio, non misericordiæ, sed justitiæ opus sit: quod est Concilio Trid. (*Sess.* 6, *cap.* 8) & Catholicæ doctrinæ contrarium: quale item alterum est, quod ibidem dicebatur, motum transitorium caritatis initialis pro vero animæ statu esse habendum, in quo per totam æternitatem necessario permansura sit, si eum immediate ante transitum ex hac vita elicuerit: quod sane Theologiæ, ipsique Philosophiæ adversatur. Status enim, prout in præsenti accipitur, conditio est fixa & permanens, non in actu transeunte: sed in habitu

ut necessario consistens: itaque homo peccator, qui ad extremum vitæ adductus, actum imperfectæ caritatis eliceret, non in statu amoris, sed magis in statu reatus, maculæ, & habitus peccati esse dicendus foret; nec quidquam illi ad felicitatem æternitatis, primordia caritatis prodessent, sed protinus evanescerent, nisi a summo Sacerdote complente quod mortalis non potuit, misericorditer acceptarentur. (1)

Verum de hac quæstione sat dictum. Sit igitur

QUÆSTIO QUINTA.

De Confessione.

QUam Latine confessionem dicimus, Græci ἐξομολόγησιν appellant, *peccatorum videlicet accusationem, ad Sacramenti genus pertinentem, eoque fine susceptam, ut veniam virtute clavium impetremus*: quæ definitio explicatione non eget. Agendum hic

1 De ejus necessitate: 2 de conditionibus: 3 de secreto, sive sigillo confessionis. Unde sit

CAPUT PRIMUM.

De Confessionis Sacramentalis necessitate.

§. PRIMUS.

Errores notantur.

QUi confessionis necessitatem negaverint, vel nulli, vel certe pauci admodum in veteri ætate occurrunt. Nam

1. Quod ad Montanistas & Novatianos spectat, licet quædam peccata irremissibilia esse contenderent; non omnem tamen potestatem clavium Ecclesiæ denegabant: unde nec confessionis usum absolute abrogaverant: quin & hæc ipsa peccata, ut refert S. Ambrosius, (*lib. 1 de pœnit. cap. 5*) confitebantur, quæ dimitti ab Ecclesia non posse volebant, & pro iisdem, operibus pœnitentiæ subjacebant, non quidem ad pacem ac reconciliationem ab Ecclesia obtinendam; sed ut per illa, inquit Tertullianus, (*lib. de pudic. c. 3*) *apud Deum seminaretur, & præpararetur fructus indulgentiæ a solo Deo, non ab Ecclesia concedendæ*; itaque Montanistarum judicio necessaria erat, etiam irremissibilium peccatorum confessio: non enim Ecclesia scelus sibi incognitum impositis pœnis ulcisci-tur.

2. *Waldenses* in multis quidem contra pœnitentiæ Sacramentum errarunt: in hoc præcipue quod dudum sopitam Donatistarum hæresim excitantes, contenderent potestatem peccata solvendi, nec penes Sum. Pontificem, nec in Episcopis, nec in Romanæ Ecclesiæ Sacerdotibus esse; eo quod, inquiebant, mores suos ad exemplum Apostolorum non conformarent. Confessionis tamen nec necessitatem negabant, nec usum penitus sustulerant, ut ex *Reynero*, aliisque antiquis Scriptoribus certo constat; in eaque sententia perstiterunt, donec sæculo decimo sexto Calvinianos errores amplexi, veterem impietatem nova perfidia cumularunt.

3. *Wicleffus* sæculo 15 contra confessionis veritatem erravit, 1 quod ejus institutionem negaverit a Scripturis repeti posse: 2 quod inventum Pontificium dixerit: 3 quod inutilem affirmaverit; unde inter ejus articulos in Concilio Constantiensi damnatos, iste numero 7 legitur: *Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.*

4. Decimo sexto sæculo Lutherus ab antiqua de confessione fide defecit, 1 quia nec in re, nec in voto, esse salutis medium necessarium affirmavit: 2 quia præceptam a Christo esse inficiatus: 3 quia docuit nullam ejus esse virtutem ad peccatoris justificationem, quam in sola fide ponebat. Confessionis tamen usum nec omnino sustulit, nec absolute malum dicere ausus est: quin e contra homo instabilis, idemque modo affirmans, modo negans, in brevi quodam a se scripto Catechismo propugnavit, teneri unumquemque peccata etiam occulta confiteri, non solum Deo, sed etiam ejus ministro, qui audita confessione, pœnitentem his debeat verbis absolvere: *ego ex Christi mandato remitto tibi peccata tua, in nomine Patris &c.* Idemque ex Augustana confessione est manifestum, ubi usum confessionis & absolutionem a peccatis debere retineri decernitur. Joanni Brentio, Chemnitio, & aliis non paucis Lutheri sectatoribus hæc constitutio non arrisit; qui non specialem omnium peccatorum, sed generalem tantum admittendam esse censebant.

5. Calvinus eodem sæculo, antiquissimum quidem confessionis usum cogente veritate agnovit; sed, 1 divini juris esse negavit: 2 fidelium arbitrio prisca ætate relictum mentitus est, 3 perniciosam esse auricularem confessionem, Ecclesiæ noxiam, atque adeo tollendam e medio affirmare non erubuit: *hinc sequitur,* inquit,

(1) Qui de re hac plura scire desiderat, adeat inter alios *Theologiam Christianam* P. Danielis Concinæ, qui T. 9 Dissert. 2, difficultatem egregie discutit, ac pertractat.

inquit, (*lib.* 3 *instit. c.* 4) *ejusmodi confessionem liberam esse oportere, ut non ab omnibus exigatur, sed iis tantum commendetur, qui ea se opus habere intelligent. Deinde ne ii ipsi qui illa utuntur pro sua necessitate, ad enumeranda omnia peccata, vel præcepto aliquo cogantur, vel arte inducantur; sed quoad interesse sua putabunt, ut solidum consolationis fructum referant.* Contra illos sit

§. SECUNDUS.

Ostenditur, Confessionem Sacramentalem, ab iis qui post baptismum, in peccatum aliquod mortale lapsi fuerint, ex institutione Christi, Sacerdotibus necessario faciendam.

Fidei doctrina hæc est a Concilio Trid. (*sess.* 14, *can.* 4) his verbis expressa: *si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem: anathema sit ....* (*ib. can.* 6) *si quis negaverit, confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam, esse jure divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit & observat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & inventum esse humanum: anathema sit ....* (*ib. can.* 7) *si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium non esse jure divino, confiteri & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias quæ peccati speciem mutant: sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantum, ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum: aut demum non licere confiteri peccata venialia: anathema sit.*

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

Veritatem hanc primo probant testimonia Scripturarum, ex Matthæi 16, & 18, & Joannis 20 adducta superius ad veritatem Sacramenti pœnitentiæ adstruendam: inde enim palmare est, Christum contulisse Apostolis singularem quandam ferendi erga peccatores judicii potestatem; atqui judicium hoc non posset, causa incognita, æquum esse ac sapiens. Ut quid enim vero dixit Christus: *quæ ligaveritis, erunt ligata: quæ solveritis, erunt soluta*: nisi quia voluit pro diversa criminum conditione ac qualitate clavium dispensationem diversam esse debere? atqui consistere regula illa non posset, nisi teneretur quisque confessione spontanea, peccata sua sigillatim exponere Sacerdoti: id quod fori civilis exemplum plane demonstrat, ubi nisi judices pro tribunali sedentes, reorum causas vel ex propria confessione, vel accersitis testibus, diligentissime discuterent, inquirerent, ponderarent, eorum judicia pro iniquissimis prævaricationibus haberentur. Cum itaque Christus tribunal spirituale Ecclesiæ ad instar fori civilis erexerit, necessario confitendum ex auctoritate Scripturæ, nisi prævia confessio fuerit, remitti aut retineri peccata non posse: adeoque etiamsi alia argumenta deessent, ad fidem Ecclesiæ vindicandam, Evangelii auctoritas, ad quam, traditione contempta, perpetuo hæretici provocant, sola sufficeret.

Hinc merito Concilium Trident. (*Sess.* 14, *cap.* 5) " ex institutione Sacramenti pœnitentiæ, inquit, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis, jure divino necessariam existere, quia Dominus noster Jesus Christus, e terris adscensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderunt; quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dantaxat, & non potius in specie ac sigillatim, sua ipsi peccara declarassent, &c."

PROBATIO SECUNDA.

Ex præscriptione.

Sapienter monet Tertullianus (*de præscript. cap.* 17) inutiles, nulliusque proventus esse disputationes fere omnes, quæ contra hæreticos ex Scripturæ auctoritate suscipiuntur. " Nihil proficit, inquit, congressio Scripturarum nisi plane ut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri. Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas: &, si quas recipit, adjectionibus & detractionibus ad dispositionem

" insti-

„ instituti sui intervertit: &, si recipit, non „ recipit integras; &, si aliquatenus integras „ præstat, nihilominus diversas expositiones „ commentata convertit“.

Id quod in præsenti materia non secus ac alias moleste & infeliciter experimur: quamquam enim simplicem fidem habentibus, verba Matthæi & Joannis ad confessionis Sacramentalis necessitatem comprobandam abunde sufficiant; cum iis tamen hominibus rem habemus, qui sensum Scripturæ fœde adulterant, & volunt ejus verba, non de potestate judiciaria quæ in peculiari aliquo Sacramento exerceatur, sed vel de prædicandi Evangelii facultate, vel de baptizandi ministerio debere intelligi. Quæ sane interpretationes licet vim Scripturæ faciant, in alienos sensus verba apertissima detorquendo; non facile tamen vincuntur, qui eas commenti sunt, quia dum adulteratæ Scripturæ a Catholicis accusantur, idem ipsi in Catholicos crimen refundunt, male ac malitiose ab iis Scripturas intelligi reponendo: quo fit, ut a rudi ac simplici plebe, & ab iis ipsis, qui ingeniosi peritique haberi volunt, cum in rerum divinarum studio aut parum aut nihil omnino versati sint, vulgo existimetur Catholicos inter & hæreticos mera problemata controverti, incertumque esse qui pugnent pro veritate, vel qui ab illa recedant.

„ Ergo, ait idem Tertullianus, (*ib. cap.* „ 19) non ad Scripturas provocandum est, „ nec in his constituendum certamen, in qui„ bus aut nulla, aut incerta victoria est, aut „ parum certa: & non alia cum hæreticis ine„ unda disputatio, nisi an Christiani sint? ubi „ enim (*ib. cap.* 19) apparuerit esse verita„ tem disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit „ veritas Scripturarum, & expositionum; & „ omnium traditionum Christianarum“.

Ita, & judicio quidem nostro, excellentissime Tertullianus, argumento ex præscriptione petito, ubi de revincendis hæreticis agitur, palmam defert.

Hoc igitur argumentum, ut sæpe alias in præsenti contra pertinacem hæresim urgentes: Quærimus 1 a Lutheranis & Calvinistis, utrum pro veris Christianis haberi velint?

Quærimus 2 Quis verus debeat dici in propugnando aliquo dogmate Christianus? an qui novas obtrudit opiniones? num e contrario qui dimicat pro antiquitate?

Respondebunt dubio procul, vere se esse Christianos, & æmulari antiquitatem in omnibus, a qua si quis proterve desciscit, Christiani nomen quam immerito, tam inutiliter gerit.

Hoc posito sic prosequitur argumentum:

Atqui docet Religio Christiana, confessionem Sacramentalem, homini post baptismum in peccatum mortale lapso, esse ex institutione Christi absolute necessariam: eaque a promulgatione Evangelii fuit omnium retro temporum fides. Nam

1. Si nova illa doctrina est, proferant Lutherani & Calvinistæ, a quo primum vulgata sit: locum nobis & tempus demonstrent, quo jugum tam asperum, quod portare nesciverant Patres nostri, fidelibus impositum fuerit: edant libere nomen legislatoris & Patriam, qui adeo immane edictum commentus sit. Quod si præstare non possunt, uti neque hactenus tam sæpe a Catholicis lacessiti attentarunt; non indigne ferant, si eos mendacii, & profligatæ fidei redarguimus.

2. Doctrina hæc fuit omnium temporum, quæ in omnibus tum Latinorum ritualibus libris, tum Græcorum & Orientalium euchologiis unanimiter & sine differentia continetur; atqui talis est de Confessionis Sacramentalis necessitate doctrina. Eam, inquam, aperte præscribunt Ritualia vetustissima Latinorum: consentiunt in euchologiis Græci omnes & Orientales, Constantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni, Copti, Arabes, Æthiopes, Maronitæ, Jacobitæ, Eutychiani, Nestoriani, omnes denique sine exceptione harum gentium Hæretici, Schismatici, Catholici: quorum sane adeo uniformis consensio, argumentum est, dogma de necessitate confessionis, cum apud omnes unum sit, hæresi qualibet & schismate antiquius esse.

Ergo vel in hac doctrina consentiant Lutherani & Calvinistæ, si velint pro veris Christianis haberi: vel si obstinate in sua discordia perseverent, fateantur ingenue, se Christianam Ecclesiam facta rebellione deseruisse. Duo enim hic occurrunt, quorum alterutrum necessario dici oportet: vel negandum antiquam esse de confessionis necessitate doctrinam: vel si (ut revera est) antiqua recognoscitur, dicendum restat, errasse ab antiquo Ecclesiam; atqui primum contra tam numerosam testium multitudinem sine summa imperitia parique impudentia dici nequit: ad alterum vero qui confugeret, in Christum ipsum esset contumeliosus: a quo infallibilitas in fide, Ecclesiæ promissa, reveraque concessa est.

Superest igitur, ut inviti licet, fateantur Lutherani & Calvinistæ, se Christianos non esse. Hunc enim titulum immerito usurpat, qui Doctrinam a Christo datam Apostolis, & ab Apostolis in fundatas a se Ecclesias derivatam audacter respuit ac proculcat; atqui recentiores hæretici Doctrinam a Christo datam Apostolis, & ab Apostolis in fundatas a se Ecclesias Matrices transmissam contemnunt, respuunt, labefactant, in ejusque locum novitiam Do-

Doctrinam obtrudunt, majoribus inauditam. Doctrina & institutio Christi est: (*Joan.* 20, 22, & *seq.*) *accipite Sp. Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Doctrina Apostolica est, his verbis Apostolos, eorumque in Sacerdotio successores, clavium cœlestium ministerium accepisse, & post baptisma lapsorum judices esse constitutos, ut eos vel absolverent vel ligarent; adeoque peccatorum confessionem ex institutione divina esse necessariam ad salutem. Judicare enim, nisi causa cognita nequeunt; cognoscere vero non possunt, nisi confessio reorum præcesserit: in hac verborum Christi explicatione Ecclesia tota consentit: nemo reperitur aut Latinus, aut Arabs, aut Syriacus, aut Græcus interpres, qui in hac Salvatoris sententia pœnitentiæ Sacramentum, & confessionis necessitatem non recognoscat: ergo &c.

Certum itaque maneat, & sine dubitatione teneatur, dogma de confessionis necessitate ad fidem catholicam pertinere: quia ut docet S. Aug. sæpe laudatus: (*Contr. Donat. lib.* 4, *c.* 24) *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolicæ traditum rectissime creditur*.

PROBATIO TERTIA.

Ex traditione Patrum.

3 Argumentum sic est: illa doctrina pro vera & catholica est habenda, quam diserte a primis sæculis sine interruptione patres Ecclesiæ docuerunt; atqui talis est de confessionis necessitate doctrina.

¶ Auctor Ep. ad Jacobum, quæ licet Clementi abjudicetur, tantæ nihilominus antiquitatis est, ut e græco in latinum idioma versa sit a Ruffino Sæculo IV, ita loquitur juxta ejusdem Ruffini versionem Num. 11. *Si forte in alicujus cor vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc ei, qui præest .... quo possit fide integra, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere*. ¶

„ S. Irenæus Apostolici temporis & spiritus „ doctor, (*lib.* 1 *contr. hær. c.* 5) narrat „ Marcum hæresiarcham mulieres quasdam su„ perstitiosas ac simplices, sua hæresi & libi„ dine corrupisse, quæ deinde conversæ ad „ Ecclesiam Dei, sæpissime turpes amores con„ fessæ sunt..... *idemque testatur de cujus„ dam Diaconi uxore, in eamdem calamitatem „ prolapsa*, quæ deinde magno fratrum labo„ re conversa, omne tempus in exomologesi „ consummavit, plangens & lamentans, pro„ pter hanc quam passa fuerat ab hoc mago „ corruptelam .... idemque libro 3 de Cer„ done Hæretico narrat".

Tertullianus 2 sæculi scriptor, eamdem veritatem quamdiu stetit in castris Ecclesiæ, strenue propugnavit: "plerosque, inquit, (*lib.* „ 4 *pœn. c.* 10) hoc opus, ut publicationem „ sui, aut suffugere, aut de die in diem dif„ ferre præsumo, pudoris magis memores quam „ salutis; velut illi qui in partibus verecundio„ ribus corporis contracta vexatione conscien„ tiam medentium vitant, & ita cum erube„ scentia sua pereunt: intolerandum scilicet „ pudori, Domino offenso satisfacere, saluti „ prodactæ reformari: næ tu verecundia bo„ nus, ad delinquendum expandens frontem, „ ad deprecandum vero subducens; ego rubori „ locum non facio, cum plus de detrimento „ ejus acquiro .... grande plane emolumen„ tum verecundiæ, occultatio delicti pollice„ tur: videlicet, si quid humanæ notitiæ sub„ duxerimus, proinde & Deum celabimus? adeo „ ne existimatio hominum & Dei conscientia „ comparantur? an melius est, damnatum la„ tere, quam palam absolvi?

¶ Et Cap. 12: "Si de exomologesi retractas „ (hoc est, si durum tibi videatur confiteri „ peccata) gehennam in corde considera, quam „ tibi exomologesis extinguet ... Igitur cum „ scias adversus gehennam post prima illa in„ tinctionis Dominicæ munimenta, esse adhuc „ in exomologesi secunda subsidia, cur salutem „ tuam deseris?" Quibus confessionem peccatorum necessariam perspicue supponit.

Veritas eadem ex exorta tunc temporis Montanistarum hæresi luculenter colligitur. Hæc quidem hæresis ab Ecclesia rejecta est, ut jam alibi ostensum fuit, quod certis criminibus veniam per claves negarent. Sic enim Montanistæ leviora delicta solvebant, ut non iis tantum, sed & gravioribus pœnitentiam indicerent, quamquam horum absolutionem clavibus Ecclesiæ subtraherent, & absolutionem a solo Deo obtineri posse prætenderent. Porro nec levia solvere, nec gravibus congruam pœnitentiam decernere poterant, nisi utraque per confessionem cognoscerent. ¶

Sæculo 3 S. Cyprianus, confessionis necessitatem multis adstruit argumentis: varia distinguit genera criminum: quædam gravissima, minora alia dicit, alia levia, alia occulta, alia publica: singulis diversas pœnas & satisfactiones decernit; pro singulis manus ab Episcopo & clero pœnitentibus imponendas pronuntiat: sic in libro de lapsis, contra eos invectus, qui Christi nomine ejurato, & nefandis contaminati sacrificiis jugum pœnitentiæ ferre recusabant:

bant: " quaoto, inquit, & fide majores, & „ timore meliores sunt, qui quamvis nullo sa- „ crificii facinore constricti, quoniam tamen „ de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud „ sacerdotes Dei dolenter & simpliciter con- „ fitentes, exomologesin conscientiæ faciunt, „ animi sui pondus exponunt, salutarem me- „ delam parvis licet & modicis vulneribus ex- „ quirunt? scientes scriptum esse: *Deus non* „ *deridetur*; derideri & circumveniri Deus non „ potest, nec astutia aliqua fallente deludi..... „ confiteantur singuli, quæso vos fratres dile- „ ctissimi, delictum suum, dum adhuc qui de- „ liquit, in sæculo est, dum admitti confes- „ sio ejus potest; dum satisfactio, & remissio „ facta per Sacerdotes apud Dominum grata „ est".

Eodem sæculo Origenes, exponens hæc verba: *iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo*: " pronuntiationem iniquita- „ tis, inquit, (*hom.* 2 *in Psal.* 37) confessio- „ nem peccati frequentius diximus: vide ergo „ quid edocet nos scriptura divina, quia non „ oportet peccatum celare intrinsecus: for- „ tassis enim sicut ii qui habent intus inclu- „ sam indigestam escam, aut humoris, vel „ phlegmatis stomacho graviter & moleste im- „ minentis, si vomuerint, relevantur; etiam „ hi qui peccaverint, si quidem occultant & „ retinent intra se peccatum, intrinsecus ur- „ gentur, & propemodum suffocantur a phleg- „ mate vel humore peccati; si autem ipse sui „ accusator fiat, dum accusat semetipsum & „ confitetur, simul evomit & delictum, atque „ omnem morbi digerit causam: tantummodo „ circumspice diligentius cui debeas confiteri „ peccatum tuum: proba prius medicum, cui „ debeas causam languoris exponere, qui sciat „ infirmari cum infirmante, flere cum flente, „ qui condolendi & compatiendi noverit di- „ sciplinam: ut ita demum si quid ille dixe- „ rit qui se prius & eruditum medicum osten- „ derit, & misericordem, si quid consilii dede- „ rit, facias & sequaris: si intellexerit talem „ esse languorem tuum, qui in conventu to- „ tius Ecclesiæ exponi debeat & curari . . . „ multa hoc deliberatione, & perito medici „ illius consilio procurandum est".

¶ Idem Hom. 2 in Levit. „ est adhuc se- „ ptima, licet dura & laboriosa, per pœni- „ tentiam remissio peccatorum, cum pecca- „ tor non erubescit Sacerdoti Domini indica- „ re peccatum suum . . . in quo impletur & „ illud, quod Apost. dicit: *Si quis infirmatur*, „ *vocet Presbyteros &c.*". Et Hom. 3 „ om- „ ni genere pronuncianda sunt, & in publi- „ cum proferenda, si quod in occulto geri- „ mus, si quod in sermone solo, vel etiam „ intra cogitationem secreta commisimus; „ cuncta necesse est publicari, cuncta pro- „ ferri: proferri autem ab illo, qui & accu- „ sator est peccati, & incentor: ipse enim „ nos ut peccemus instigat: ipse etiam, cum „ peccaverimus, accusat. Si ergo in vita præ- „ veniamus eum, & ipsi nostri accusatores „ simus; nequitiam diaboli inimici nostri ef- „ fugimus".

4 Sæculo primus omnium occurrit Lactantius Firmianus, qui l. 4 Instit. Cap. 17 hæc habet: „ ob hanc causam Deus (circumci- „ sionem Judæis præcipiendo) nudari puden- „ dam corporis partem jussit, ut hoc argu- „ mento nos admoneret, ne involutum pectus „ haberemus, idest, ne quod pudendum fa- „ cinus intra conscientiæ secreta velemus. „ Hæc est cordis circumcisio, de qua Pro- „ phetæ loquuntur, quam Deus a carne mor- „ tali ad animam transtulit, quæ sola man- „ sura est. Volens enim vitæ ac saluti nostræ „ pro æterna sua pietate consulere, Pœniten- „ tiam nobis in illa circumcisione proposuit, „ ut si cor nudaverimus, idest si peccata con- „ fessi satis Deo fecerimus, veniam conse- „ quamur, quæ contumacibus, & admissa sua „ celantibus denegatur ab eo, qui non faciem, „ sicut homo, sed intima, & arcana pectoris „ intuetur". Et Cap. 30 lib. ejusdem notas assignans, quibus vera Christi Ecclesia a falsis sectis distinguatur, hanc inter alias memorat, dicens: " sola igitur catholica Ecclesia „ est, quæ verum cultum retinet . . . . sed „ quia singuli quique cœtus hæreticorum se „ potissimum esse Christianos, & suam esse „ catholicam Ecclesiam putant, sciendum est „ illam esse veram, in qua est Confessio, & „ Pœnitentia, quæ peccata, & vulnera, qui- „ bus subjecta est imbecillitas carnis, salubri- „ ter curat". Quibus in locis Sacri Oratoris, ut nemo non perspicit, agitur de confessione occultiorum criminum, quæ nempe præ pudore *intra conscientiæ secreta velari possint*. Agitur de confessione salutari, quæ scilicet salutis effectum efficaciter producit, sive per quam satisfactioni conjunctam *veniam consequimur*. Agitur demum de Confessione prorsus necessaria, tum quia per eam non minus anima nudari debet ad salutem, quam apud Judæos pudenda ad circumcisionem: tum quia res indifferens, qualem esse Confessionem arbitrantur Novatores, veræ Ecclesiæ nota esse non possit.

Sæculo eodem plures alii Ecclesiæ Patres catholico dogmati suffragantur. S. Hilarius *Comm. in Cap.* 18 *Matth. Num.* 8 *ait*: „ ad „ terrorem metus maximi, quo in præsens omnes „ continerentur, immobile severitatis Apo-

„ sto-

„ stolicæ judicium præmisit: ut quos in terris ligaverint, idest peccatorum nodis innexos reliquerint: & quos solverint, Confessione videlicet " (ita quippe legendus est locus iste, non *concessione*, ut vult Dallæus contra fidem omnium codicum) „ veniæ receperint in salutem; hi Apostolicæ conditione sententiæ in cælis quoque aut soluti sint, aut ligati. " ¶

S. Basilius, „ (*in regulis breviorib. interrog.* 229) omnino, ait, in peccatorum confessione eadem ratio est, quæ in apertione vitiorum corporis: ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis hominees temere aperiunt, sed iis tantummodo qui rationem, qua ea curanda sint, teneant: eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare, sicut scriptum est: *vos qui firmiores estis, imbecillitates infirmorum portate*: hoc est, tollite diligentia & cura vestra . . . & alibi: (*ib. ad interrog.* 288) necessaria iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei " .

Legantur ejusdem tres ad Amphilochium epistolæ canonicæ, varios de imponendis satisfactionibus sive pœnitentiis, pro criminum qualitate canones complectentes.

S. Gregorius Nyssenus Magni Basilii frater: „ major sin eo, inquit, (*in serm. adversus eos qui alios acerbius judicant*) tibi fiducia sit, qui te in Deo genuit, quam in illis, a quibus corpore procreatus es: audacter ostende illi quæ sunt recondita: animi arcana tamquam occulta vulnera medico detege: ipse & honoris & valetudinis tuæ rationem habebit . . . . tu vero cujus animus æger est, cur non ad medicum properas? cur non ei confitendo morbum ostendis tuum "?

S. Pacianus Barcinonensis Episcopus, cujus hæc sunt verba perpetuæ memoriæ commendanda: (*in exhort. ad pœnit.*) „ rogo ergo vos, fratres, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam: prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporis partibus secaturos, etiam perusturos .... & peccator erubescet perpetuam vitam præteriti pudore mercari . . . . an sic illi melius est perire "?

Sæculo 5 S. Joannes Chrysost. (*hom. 9 in epist. ad Hebr.*) „ cujusmodi, *inquit*, est medicamentum pœnitentiæ, & quomodo conficitur? primum ex suorum peccatorum condemnatione & confessione: *delictum*, inquit, *meum cognitum tibi feci*, *& peccatum meum non abscondi*: *pronuntiabo contra me iniquitatem meam Domino*, *& tu remisisti impietatem cordis mei*; & iterum: *dic peccata tua prior*, *ut justificeris*; &: *justus est sui accusator in primo sermone*: secundo, ex multa humilitate: est enim veluti quædam catena aurea, & si initium acceperit, sequuntur omnia: nam si peccatum fueris confessus, ut oportet confiteri, fit humilis anima ... sin autem dicit (*pœnitens:*) sum peccator; ea autem per species non cogitat ac supputat, & non dicit: hoc & illud peccatum admisi; numquam cessabit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis ".

Vide eumdem l. 2 de sacerdotio c. 3, & l. 3, c. 5.

¶ S. Ambrosius non modo scriptis, sed & ipso facto confessionis usum, ac necessitatem adstruxit. Refert quippe Paulinus Diaconus in ejus vita n. 39: „ erat gaudens cum gaudentibus, flens cum flentibus. Siquidem quotiescumque illi aliquis ad percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compelleret . . . . Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli, nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur. " Usum hæc secretæ confessionis tunc temporis obtinentem apertissime ostendunt. Sed ejus necessitatem ad consequendam salutem satis declarant, quæ ib. referre pergit Paulinus de ejusmodi pœnitente loquens: *ipse sui accusator est*, *nec exspectat accusatorem*, *sed prævenit*, *ut accusando suum allevet delictum*, *ne habeat*, *quod adversarius criminetur . . . . dans honorem Deo*, *qui vult vitam magis peccatoris*, *quam mortem*. Si ergo per confessionem allevatur delictum, prævenitur alioqui futura Diaboli accusatio, & mors in vitam commutatur, quis neget Paulinum, atque adeo S. Ambrosium, & Ecclesiam Mediolanensem, juxta cujus sensum loquebatur ille, Confessionem judicasse necessariam ad peccatorum remissionem? ¶

S. Hieronymus: (*in caput* 10 *Ecclesiastis*) „ si quem serpens diabolus occulte momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit; si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri; magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit: si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat ".

Et alio in loco: (*in Ep. 1 ad Heliod. de laude vitæ solit.*) „ absit, ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt:

„ ciunt : per quos & nos Christiani sumus : „ qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant ".

S. Aug. (*enarr. in ps. 66*) „ conscientia „ tua, ait, saniem collegerat, apostema tu- „ mue1at, cruciabat te, requiescere non si- „ nebat; adhibet medicus fomenta verborum, „ & aliquando secat; adhibet medicinale fer- „ rum in correptione tribulationis : tu agno- „ sce medici manum: confitere: exeat in con- „ fessione & defluat omnis sanies: jam læta- „ re, quod reliquum est facile sanabitur ".

Et alibi: (*serm. 392, alias 49, inter hom. 50*) „ qui post uxores vestras, (inito scili- „ cet matrimonio,) vos illicito concubitu „ maculastis, si præter uxores vestras cum „ aliqua concubuistis; agite pœnitentiam qua- „ lis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis „ Ecclesia; nemo sibi dicat : occulte ago, „ apud Deum ago: novit Deus qui mihi igno- „ scat, quia in corde meo ago : ergo sine „ causa dictum est : *quæ solveritis in terra*, „ *soluta erunt & in cœlo*? ergo sine causa sunt „ claves datæ Ecclesiæ Dei? frustramus Evan- „ gelium, frustramus verba Christi? promit- „ timus vobis quod ille negat "?

¶ Concinunt eodem sæculo S. Innocentius I & S. Leo M. Prior in Ep. *ad Decentium* an. 416 conscripta inquit: *de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem*. Alter vero Ep. 82: *Mediator Dei, & hominum Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & Confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri confessione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*. ¶

Concinit eodem sæculo S. Leo M. Sum. Pontifex, Ep. 80, c. 3, & aliis multis locis.

Sæculo 6 S. Joannes Climacus *scalæ spiritualis* gradu 4, Joannes Jejunator Patriarcha Constantin. *in libro pœnitentiali*, quem ad usum Ecclesiæ Orientalis descripsit : Anastasius Sinaita, *in hom. de Sacra Synaxi*.

Sæculo 7 S. Gregorius M. *Hom. 26 in Evang. l. 22 moral.* c. 9, S. Eligius, Noviomensis in Gallia Episcopus, *hom.* 4, & 11, Theodorus Cantuariensis Archipræsul, *in pœnitentiali c.* 60.

Sæculo 7 Ven. Beda, *comm. in c. 5 Ep. S. Jacobi*: Alcuinus Caroli Magni præceptor.

Nono denique, 10, 11, 12, 13, & sequ. idem tum in multis conciliis expresse declaratum, tum a scriptoribus Ecclesiasticis sæpe confirmatum, quorum hic verba attexere prolixioris operæ esset : adeat qui voluerit Cardinalem Bellarminum, & alios controversiæ tractatores.

Jam ex his paucis quæ attulimus testimoniis proclive est judicare, confessionem a SS. Doctoribus absolute necessariam existimatam, atque adeo sanctionibus divinis annumeratam; quid enim aliud quam necessitatem omnimodam confitendi, hæc Tertulliani verba sonant: *plerosque hoc opus, ut publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo pudoris magis memores quam salutis . . . ego rubori locum non facio, cum plus de detrimento ejus acquiro; an melius est damnatum latere, quam palam absolvi? . . . .* quid item hæc alia Cypriani, inde confessionis necessitatem adstruentis, *quia Deus derideri non potest, nec astutia aliqua fallente deludi . . .* quid ista Origenis : *si peccator sui accusator fiat, simul evomit & delictum*?

Deinde, Si quis corporali aliquo, quantumvis pudendo & occulto morbo laborans sanari velit, (& paucos sane reperire est adeo stultos, ut nolint) plane necesse est, ut medico detegat; quia quod ignorat medicina, non curat; atqui nihil in SS. Doctoribus frequentius occurrit, quam spirituales animi morbos, pari ratione esse Sacerdotibus, ex institutione divina detegendos; ut constat ex adductis Tertulliani, Basilii, Gregorii Nysseni, Paciani, Hieronymi, & Augustini sententiis.

Præterea: nisi patres confessionem absolute necessariam æstimarent; contra verecundiam, peccata sua occultantium, & opus illud tamquam publicationem sui suffugientium, aut de die in diem differentium inutiliter inveherentur: posito namque quod necessaria non foret confessio, malo pudori nihil esset timendum, numquid enim comparate ad Deum verecundia locum habet, cui nihil occultum est? ergo de confessione hominis homini necessario facienda loquuntur.

Insuper: si confessio res esset consilii, non præcepti, nihil, aut parum interesset, sive homini laico, sive inferiori ministro fieret, sive Sacerdoti; atqui ex adductis patrum auctoritatibus, & inferius, ubi de pœnitentiæ ministro tractabitur, afferendis, certissimo constat solis Sacerdotibus, quibus dispensatio mysteriorum divinorum credita est, esse faciendam: ergo &c.

§. TERTIUS.

Eliduntur hæreticorum objectiones.

Opponunt: quod juris divini est, nec institui, nec ad nutum abrogari ab Ecclesia potuit:

tuit; atqui confessionem constat ab Ecclesia institutam, nec multo post abrogatam: ergo &c.

R. Concessa maj. neg. min. quod enim ab ipsis Evangelii primordiis ubique & semper retentum est, ab Ecclesia institutum & abrogatum dici non potest; atqui confessionis usus semper & ubique, ab ipsa prima Evangelii prædicatione, in Ecclesia viguit: ergo non humanam, sed divinam institutionem habere credenda est.

Inst. 1. **Prob. min.** quantum ad utramque partem.

1. Quidem confessionem ab Ecclesia institutam, Socrates his verbis affirmat: (*hist. lib.* 5, *c.* 19) „ ab illo tempore, inquit, quo Novatiani se ab Ecclesia sejunxerant, & recusaverant cum iis communicare, qui tempore persecutionis lapsi erant; Ecclesiarum Episcopi canoni adjunxerunt, ut in singulis Ecclesis presbyter esset pœnitentiarius, qui pœnitentiæ præesset, cui videlicet lapsi post baptismum peccata sua confiteri tenerentur ".

2. Usum hunc deinceps auctoritate Ecclesiæ abrogatum, ib. narrat: „ Episcopi, ait, qui nunc Ecclesias regunt, cum hoc institutum diu retinuissent, tandem Nectarii Episcopi temporibus abrogarunt, propter facinus quoddam quod in Ecclesia commissum fuerat: mulier quædam nobilis ad pœnitentiarium presbyterum accedens, delicta post baptismum a se perpetrata sigillatim confessa erat: presbyter vero præcepit mulieri, ut jejuniis & orationibus continuis vacaret .... progressu temporis mulier aliud facinus confessa est: declaravit scilicet, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconum stupri consuetudinem secum habuisse: id cum dixisset, Diaconus quidem ab Ecclesia ejectus est; populus vero graviter commoveri cœpit: neque enim solum propter scelus quod patratum fuerat, indignabatur; verum etiam eo quod infamia non mediocris aspersa hoc facto videretur Ecclesiæ: cum igitur eam ob causam Ecclesiastici homines dicteriis appeterentur, Eudæmon quidam Ecclesiæ presbyter Episcopo Nectario persuasit, ut pœnitentiarum presbyterum aboleret, unumquemque vero pro arbitrio, & pro animi sui conscientia, ad Sacramentorum communionem accedere permitteret ".

Idem Sozomenus refert, historiarum lib. 7, cap. 16.

Igitur usus pœnitentiæ & confessionis sæculo 3 Novatianorum occasione inductus, sæculo 4 sequente, quo Nectarius Constantinopolitanæ Ecclesiæ præsidebat, est abrogatus.

R. Admitto factum quod Socrates, & Sozomenus attestantur: nec enim assentiri iis possumus, qui narrationem hanc velut falsum putidumque commentum rejiciunt, eamque ob causam Socrati & Sozomeno quasi fabellarum venditoribus succensendum putant: quod si ratione aliqua niteretur, eamdem accusatio in Cassiodorum, Nicephorum, & alios veteres historicos, qui hoc ipsum memoriæ prodiderunt, recideret: itaque concesso ant. dist. conseq. usus confessionis sæculo 3 institutus, sequenti sæculo 4 abolitus est, *quantum ad aliquid confessioni accidentarium*, conc. *quantum ad ipsam confessionis substantiam*, n. conseq.

E. R. Quod secreti peccati, & eorum, quæ palam sunt perpetrata, publica debeat esse confessio, ad substantiam confessionis non pertinet; quæ sive publica fuerit, sive secreta, nisi quid aliud defuerit, naturam integram habet: jam vero fateor, publicam arcanorum peccatorum confessionem a Nectario abrogatam, simulque abolitum pœnitentiarium presbyterum, qui excipiendis hujusmodi confessionibus præficiebatur: sed nego abrogatam absolute Sacramentalem confessionem: Nam

1. Hoc abscidit Nectarius, quod scandali occasio fuerat; atqui sola mulieris hujus publica confessio, fuerat causa scandali: Ecclesiam enim exomologesi secreta, solique Sacerdoti nota non conturbasset: ergo solam confessionem publicam abolevit.

2. Hoc abrogavit Constantinopolitanus Antistes, quod 3 præcedente sæculo fuerat introductum; atqui sola confessio publica fuerat Novatianorum occasione instituta: alteram enim, quam secretam dicimus, longe ante viguisse constat ex S. Irenæo, & Tertulliano supra laudatis: ergo &c.

3. Confessionem hanc dicere a Nectario sublatam non possumus, quæ post illum ubique in Oriente & in Occidente, & in ipsa nominatim Constantinopolitana Ecclesia viguit; atqui confessio secreta, vita functo Nectario, in omnibus Ecclesiæ partibus inviolabiliter est retenta, ut certum est ex antiquissimis Græcorum ac Latinorum ritualibus libris: eumdemque morem in Constantin. Ecclesia intactum perseverasse, fidem faciunt *S. Joannes Chrysostomus*, qui Nectario in Patriarchatu Constantinopolitano immediate successit, & *Joannes Jejunator*, ejusdem Ecclesiæ sexto sæculo Patriarcha: idemque demonstrat ejusdem Ecclesiæ Euchologium vetustissimum, confessionem Sacerdotibus faciendam præscribens: ergo &c.

Inst. 2. Atqui confessio a Nectario penitus & absolute rescissa est: ergo &c. probat. subs. confessionem penitus ille sustulit, qui presbyterum ipsum abrogavit excipiendis confessionibus

bus destinatum; atqui Nectarius Eudæmonis consilio persuasus, presbyterum ipsum loco amovit, quem confessionibus audiendis sanctio nova præfecerat: ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. dist. maj. confessionem ille penitus sustulit, qui presbyterum ipsum abrogavit, excipiendis confessionibus *quibuslibet* destinatum, conc. destinatum audiendis confessionibus *publicis*, n. maj. similiter dist. min. Nectarius abrogavit presbyterum præfectum confessionibus *publicis*, conc. *quibuslibet*, *etiam privatis*, n. min. & conseq.

E. R. Falso argumentum supponit, in unaquaque Ecclesia fuisse unum tantum presbyterum, ad quem omnes qui confiteri peccata vellent, accedere tenerentur: unus enim huic officio obeundo sat esse non poterat, præsertim in amplissima & numerosissima civitate, qualis ætate Nectarii erat Constantinopolis imperii caput, & nova Roma: ecquis enim nisi rerum incredibilium amator, inducat in animum, tot hominum millibus ministrum confessionis unum suffecturum, qui vel minimo oppido vix sufficeret?

Deinde si uni tantum presbytero hoc munus commissum foret, frustra Origeoes, cujus verba supra descripsimus, fidelibus dedisset consilium caute ac sedulo Sacerdotem eligeodi, cui deberet unusquisque peccata confiteri, & causam languoris exponere: nec enim eligendi medici locus est, ubi unus tantum qui possit opitulari occurrit, quia delectus non adhibetur, nisi quando unus potest alteri, aut pluribus anteponi: itaque dubium non est, ætate Nectarii plures fuisse Constant. Sacerdotes excipiendis confessionibus destinatos: sed neque minus, Socratis ac Sozomeni testimonio certum est, unum inter illos fuisse, cui anctoritate Episcopi, munus publicas confessiones excipiendi incumberet: eo fere modo, quo apud nos, etsi multi sint ad exercendum pœnitentiæ ministerium, vel ex officio, vel Episcoporum delegatione assumpti; unus tamen est, quem magnum pœnitentiarium appellamus: dicimus ergo non omnes a Nectario esse sublatos, sed eum tantum, quem publicis confessionibus constitutio nova præfecerat.

Inst. 3 Atqui ita pœnitentiarium abrogavit Nectarius, ut nullum penitus Sacerdotem voluerit audiendis secretis confessionibus superesse: ergo &c. prob. subs. ille nullum prorsus voluit superesse presbyterum, audiendis etiam secretis confessionibus, qui permisit ut unusquisque pro arbitrio & conscientia ad Sacramentorum participationem accederet; atqui ita permisit Nectarius, ut constat ex historia Socratis jam citata: ergo &c.

R. Nego subseq. ad prob. n. maj. verbis namque Socratis hoc unum significatur, ibgo publicæ confessionis solutos fuisse in Ecclesia Constantin. fideles, rebus nimirum in eumdem statum restitutis, in quo ante institutionem pœnitentiarii fuerant: ut scilicet unusquisque præmissa confessione secreta, ad Eucharistiæ communionem, & alia Sacramenta percipienda, pro conscientia sua accederet, quod antehac, nisi consciis pluribus, fieri libere non poterat, vigente disciplina publicæ confessionis: uno verbo, hoc ipsum Nectarius Eudæmoni obsequens sancitum voluit, quod modo in Ecclesia fit, ex quo usus confessionis publicæ exolevit; atqui licet vero aliquo sensu unicuique nunc permittatur ad Sacramentorum communionem pro conscientia & arbitrio accedere; non ideo tamen est privata confessio extirpata: ergo a pari &c.

Inst. 4. Observant Socrates & Sozomenus, Nectarii nimia indulgentia veterem disciplinam labefactatam, nullamque de cætero viguisse scelerum reprehensionem, unoquoque videlicet suæ libertati relicto; atqui non ita acriter Nectarium accusarent, nisi confessionem etiam privatam penitus sustulisset: ergo &c.

R. Concessa maj. n. min. ut enim hæc accusatio legitima sit, & ab asperioris censuræ nota immunis, satis est quod ex abrogatione pænitentiarii publici secuta antiqui rigoris enervatio fuerit: revera porro hoc contigit: hoc enim tribunali sublato, cessavit majori ex parte pænitentia publica in usu esse; confessionis solemnis, quæ magnum sane contra pruritum peccandi frænum fuerat, consuetudo collapsa est; fratrum inordinate ambulantium accusationibus vix locus relictus; nemo fuit qui pœnitentiam sollicite ut antehac, procuraret, nemo qui in pravos fidelium mores inquireret: unde magnum Ecclesiæ detrimentum illatum esse, tum res ipsa admonet, tum merito observant Socrates & Sozomenus.

Inst. 5. Eo sensu intelligenda est a Nectario sublata confessio, quo S. Chrysostomus successor ejus abolitam intellexit; atqui S. Chrysostomus absolute abolitam intellexit, nullaque ratione necessariam prædicavit: ergo &c.

Probant min. hom. 21 ad populum Antioch. sic loquitur S. D. " neque hoc tantum est admirabile, quod nobis peccata dimittit (Deus); verum, & quod ipsa non revelat, nec manifesta facit aut conspicua; nec cogit in medium procedentes, quæ peccavimus enuntiare: sed sibi soli rationem reddere nos jubet, & sibi confiteri . . . . . nec cogit præsentibus quibusdam peccata enuntiari . . . . solo nostro testimonio contentus est".

Inde sic disputant: ille existimat, penitus sublatam esse confessionem, nec ulla esse ratione

tione necessariam, qui dicit soli Deo esse confitendum, illi soli reddendam vitæ male actæ rationem, solumque nostrum testimonium Deo datum sufficere; atqui sic sentit & loquitur S. Joannes Chrysostomus: ergo &c.

R. 1. Illud S. Chrysostomi testimonium afferri in præsenti Nectarii causa non posse, nec ad abrogationem confessionis ab illo factam ulla ratione alludere: hanc enim homiliam cum adhuc presbyter esset, forteque antequam Nectarius pœnitentiarium Constantinopoli sustulisset, Antiochiæ habuit, de iis quæ Constantinopoli agerentur nil cogitans: ineptum itaque est, hanc S. Doctoris sententiam cum Nectarii facto conjungere, qua nimirum decessoris sui judicium antequam ei in sede Constantin. succederet, confirmaverit: quo nihil absurdum magis: itaque ad verba S. Chrysostomi, absque ullo respectu ad Nectarium attendendo:

R. 2. Data maj. n. min. ad probat. admitto auctoritatem, & dist. maj. ille existimat confessionem nullatenus esse necessariam, qui soli Deo reddendam vitæ rationem affirmat; *si id dicat de iis qui lapsi sunt post baptismum*, conc. *si loquitur de solis catechumenis*, n. maj. dist. pariter min. sic loquitur S. Doctor, *de catechumenis*, conc. *de baptizatis*, n. min. & conseq.

E. R. Ex scopo S. Chrysostomi verus ejus sensus est colligendus: porro in hac quæ opponitur homilia, ad solos catechumenos verba facit, quibus non alia confessio necessaria est, quam quæ soli Deo fit: perspicua responsio est, tum ex homiliæ titulo; inscribitur enim: *catechesis ad illuminandos*: tum ex verbis quæ in contextu leguntur: " propterea, *inquit*, & „ prius dixi, & nunc dico, & dicere non desistam: si quis morum vitia non correxit, „ nec paravit sibi virtutem, ne baptizetur..." Itaque Lutherani & Calvinistæ nullum inde præsidium obtinent; præsertim cum nemo S. Doctore disertius pro confessionis veritate ac necessitate pugnaverit: sic enim præter testimonium superius allegatum: " multa, inquit, „ (*lib. 2 de Sacerd. c. 3*) arte opus est, ut „ ultro se ac volentes Sacerdotum curationibus subjiciant: neque id solum, sed etiam ut „ curationis ac medicinæ nomine gratiam illis „ habeant ".

Et alio in loco: (*Hom. de muliere Samarit.*) " imitemur & nos hanc mulierem Samaritanam, & ob propria peccata non erubescamus, sed Deum timeamus: jam vero contrarium fieri video: nam eum qui nos judicaturus est, non reformidamus; eos vero qui „ nullatenus nos lædunt, perhorrescimus, & „ ignominiam ab ipsis inurendam reformidamus: quapropter eo ipso quod timemus, pœnam sustinemus: qui enim homini detegere „ peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, neque pœnitentiam agere; in die illa non coram uno vel duobus, sed universo terrarum „ orbe spectante traducetur ".

Quorum similia sæpe alibi repetit: itaque dubium non est, quin Sacramentalis confessionis necessitatem admiserit.

Inst. 6. Atqui S. Joannes Chrys. iis etiam qui lapsi fuerint post baptismum, negat necessariam esse confessionem: ergo &c.

Prob. subs. multiplici ejus testimonio: " peccata tua, inquit, (*hom. 2 in Psal. 50*) „ ipse commemora, ut deleas: at pudet te „ peccata confiteri: dic ea quotidie in oratione: non dico ut conservo exponas, qui te „ probris impetat: dic Deo qui iis medetur.... „ (*hom. 31 in Ep. ad Heb.*) non dico tibi, „ ut peccata tua tamquam pompam in publicum proferas, neque ut apud alios te accuses: sed suadeo ut pareas prophetæ dicenti: „ *revela Domino viam tuam*: apud Deum ea „ confitere, apud judicem confitere peccata „ tua, orans, si non lingua, saltem memoria: „ & ita roga ut tui misereatur ".

Hinc infertur quod sequitur argumentum: Ille negat lapsis post baptismum necessariam esse Sacramentalem confessionem, qui modum confitendi præstituens, peccata soli Deo declaranda esse affirmat: atqui hæc S. Joannis Chrysost. sententia est: ergo &c.

R. Nego subseq. ad prob. admitto auctoritatem, & dist. maj. ille negat lapsis post baptismum necessariam esse Sacramentalem confessionem, qui peccata dicit soli Deo aperienda, *si ita cum exclusione cujusvis alterius confessionis decernat*, concedo: *si hoc dicat tantum de quotidiana pœnitentia, de examine conscientiæ diebus singulis faciendo, & de contritione ac lacrymis quæ debent hujus discussionis comites esse*, n. maj. dist. pariter min. S. Chrysostomus ita statuit, *de examine quotidiano, in conspectu Domini faciendo*, conc. *cum exclusione confessionis Sacramentalis, suo tempore emittenda*, n. min. & conseq.

E. R. Nihil erit in his testimoniis difficile, si attenderimus in his & similibus locis S. Doctorem fideles hortari, ut peccata quorum sibi conscii sunt, præ oculis semper habeant, & mente sæpe revolvant, eadem Deo supremo medico cum vera cordis contritione exponendo: idque omnino persuadent alia ejus verba, quæ leguntur in hac ipsa hom. 2 super Psal. 50: „ cum autem, inquit, in lectum, hoc est, in „ tranquillum portum te conjecisti, nec ullus „ est qui tibi molestiam exhibet, dic cordi „ tuo atque animæ tuæ: exegimus hodiernam „ diem,

„ diem, o anima: quid boni fecimus, aut quid „ mali admisimus?"

Nam quod confessionis Sacramentalis necessitatem admiserit, præter ejus testimonia ante adducta, invicte probatur ex hom. ejusdem 30 in Gen. ubi non modo meminit confessionis, sed & temporis quo potissimum ex præscripto Ecclesiæ fieri debet: " quia, inquit, in ma-„ gnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gra-„ tia, nunc maxime & jejunii cursus intenden-„ dus, & magis continuandæ sunt preces, fa-„ ciendaque diligens & pura peccatorum con-„ fessio .... scit inimicus noster (diabolus) „ quod per tempus illud possumus de iis quæ „ ad salutem nostram pertinent loqui, & pec-„ cata declarare seu aperire, & detegere vul-„ nera medico, & salutem consequi".

Inst. 7. Debent hæc verba intelligi de confessione soli Deo facienda: ergo pro necessitate Sacramentalis confessionis nihil faciunt.

℟. Nego ant. ad mentem enim S. Doctoris debent de confessione accipi, iis facienda quibus data est potestas peccati vincula resolvendi; atqui sacerdotibus datam esse divinitus potestatem peccati vincula resolvendi, S. Joannes Chrysost. omnium magnificentissime prædicat, tum aliis multis locis, tum præcipue l. 3 de sacerd. c. 5 sic loquens: " iis qui terram in-„ colunt, commissum est, ut ea quæ in cœ-„ lis sunt dispensent: his datum est, ut pote-„ statem habeant, quam Deus optimus neque „ Angelis, neque Archangelis datam esse vo-„ luit: neque enim ad illos dictum est: *quæ-„ cumque alligaveritis super terram, ligata „ erunt & in cælo; & quæcumque solveritis „ super terram, soluta erunt & in cælo* ... „ habent quidem & terrestres principes vincu-„ li potestatem, sed in corpora solum: id au-„ tem quod dico sacerdotum vinculum, ipsam „ etiam animam contingit".

Inst. 8. Negat S. Chrysostomus in suis passim operibus, coram hominibus faciendam esse confessionem: ergo negat confessionis Sacramentalis necessitatem, quippe quæ homini, ut catholici volunt, Dei ministro, fieri debet.

R. Dist. ant. negat coram hominibus faciendam confessionem, *quæ publica sit, & instar causarum forensium, advocatis testibus discutiatur*, conc. *privatim ac clanculum*, n. ant.

E. R. Nihil aliud his in locis S. Antistes intendit, quam ostendere tantam Dei esse erga peccatores clementiam, ut ab iis publicam accusationem ac confessionem non exigat, quæ probro ac dedecori confitenti futura sit: non vero negat confessionem Sacramentalem, per quam sacerdoti ut patri, ut medico, ut amico, vulnera conscientiæ quantumlibet horrida ac mortifera deteguntur: quin e contra data occasione confessionem hanc omnino necessariam esse verbis gravissimis contestatur: sic enim hom. 9 in Ep. ad Hebræos supra laudata. Docet 1 medicamentum pœnitentiæ esse confessionem & declarationem peccatorum, quorum sibi peccator conscius est: docet 2 confessionem hanc sacerdotibus esse faciendam, atque adeo summo eos afficiendos esse honore: docet 3 omnia peccata distincte ac sigillatim sacerdoti aperienda: „ sin autem, „ inquit, dicit pœnitens: sum peccator: pec-„ cata autem sua per species non cogitat, & „ supputat, & non dicit: hoc & illud pecca-„ tum admisi: numquam cessabit, semper qui-„ dem confitens, curam autem nullam gerens „ correctionis."

Inst. 9. Si confessio, ut nos catholici volumus, ex institutione Christi foret omnibus post baptismum lapsis absolute necessaria, frequentem illius usum vetus historia proderet; fideliumque in edendis confessionibus, & sacerdotum in iisdem excipiendis diligentiam pro merito commendaret; atqui in antiquis monumentis nil tale occurrit; cum enim in Sanctorum & virorum illustrium gestis enarrandis multi scriptores a primis usque sæculis operam posuerint; nec unum reperias, qui confessionis Sacramentalis vel ab illis factæ, vel a sacerdotibus exceptæ meminerit: hinc Calvini & aliorum haud injusta videtur esse querela, obtendentium legem confitendi non ante sæculum 3 in Concilio Lateranensi IV sub Innocentio III obtrusam: ergo &c.

R. 1. Concessa maj. n. min. & dico putidem hanc hæreticorum esse calumniam: nam scriptores veteres confessionis Sacramentalis data occasione meminisse, solus ille negaverit qui antiquam historiam nec a limine salutaverit: ejus enim honorabilem mentionem faciunt S. Irenæus, Tertullianus, S. Cyprianus, Origenes primæ ætatis scriptores, ut ex prædictis constat: ejusdem meminit 4 sæculo, præter cæter Paulinus Diaconus in S. Ambrosii vita: *erat gaudens*, ait, *cum gaudentibus, flens cum flentibus: si quidem quotiescumque illi aliquis ad percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset; ita flebat, ut & illum flere compelleret: videbatur enim sibi cum jacente jacere: causas autem criminum quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur*.

Ejusdem 5 Sæculo præclarissime meminit Victor Uticensis, in historia persecutionis VVandalicæ l. 2, ubi fideles pastorum absentiam deplorantes ejus ore sic loquuntur: „ quibus nos miseros relinquetis dum pergitis „ ad coronas? qui hos baptizaturi sunt parvulos „ fontibus aquæ perennis? qui nobis pœniten-

„ tiæ

„ tiæ munus collaturi sunt, & reconciliatio-
„ nis indulgentia, obstrictos peccatorum vin-
„ culis soluturi? quia vobis dictum est: *quod-*
„ *cumque solveritis super terram, erit solu-*
„ *tum & in cælis.* "

Jam vero a sæculo 6 ad 13 frequentem confessionis usum fuisse, ex Græcorum & Orientalium Euchologiis, ac ritualibus Latinorum, res ita comparta est, nihil ut certius ex Ecclesiasticis monumentis afferri possit: in his enim libris confessionis necessitas, modus, conditio, & sacerdotum in danda absolutione ac imponendis satisfactionibus, officia diligentissime describuntur: mentiuntur itaque, & more suo calumniantur hæretici, quando cum Calvino suo affirmare audent, sæculo 13 in Concilio Lateranensi, confessionis, ut loquuntur, Tyrannidem, sine præcedente exemplo inve-ctam.

℞. 2. Neg. absolute maj. quamquam enim prioribus sæculis rarior fuerit usus confessionis, (quod non negamus;) minime tamen hinc sequitur, divina institutione carere: nam ut sæpe diximus, & res ipsa clamat, ideo instituta pœnitentia est, ut post baptismum lapsis, secunda ad emergendum & subsidiaria tabula foret, utque spiritualiter ægrotantibus opportuni remedii loco esset: quid ergo mirum si prisca ætate, rarior propter ægrotantium paucitatem, medicinæ, & alterius post naufragium tabulæ mentio fiat? tanta quippe horum temporum felicitas fuit, & ita fervida caritas, ut acceptam in fonte baptismatis sanctitatem, plerique ad exitum usque integram illibatamque servarent: deinde multi eorum qui Christi fidem amplectebantur, ad finem usque baptismi susceptionem procrastinabant: quo fiebat ut alio præter lavacrum Sacramento ad reconciliationem non indigerent: præterea, nec deerant, quibus confessionis usus ideo rarior erat, quia quotidiana veniallaque peccata, oratione dominica, misericordiæ operibus, fervore caritatis, & aliis remediis expiabant, nec ea Ecclesiæ clavibus summittebant: postquam vero labente ætate cœperunt mores fidelium in deterius ruere, & aliunde, baptismus non adultis & ætate provectis, sed infantibus a partu recentibus prudenti decreto Ecclesiæ jussus est ministrari; nihil mirum si confessionis Sacramentalis communior usus fuerit, eoque frequentior, quod pia paulatim consuetudo inducta sit peccata venialia clavibus Ecclesiæ subjiciendi.

Cæterum etsi minus frequentem fateamur priscis sæculis fuisse confessionem, ejus tamen usum vignisse tum ex prædictis certissimum est, tum duo quæ subjicimus summæ auctoritatis testimonia demonstrabunt.

1 Est, Innocentii I Pontificis Max. *de pœnitentibus*, inquit, (*Epist. ad Decent. c. 7*) *qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha erit remittendum, Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat: cæterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis: ac tunc jubeat dimitti, cum viderit congruam satisfactionem: sane si quis in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de hoc sæculo absque communione discedat.*

2. Est, S. Leonis M. summi pariter antistitis: „ illam etiam contra Apostolicam re-
„ gulam præsumptionem, inquit ille, (*Ep. 80,*
„ *c. 3*) quam nuper agnovi a quibusdam illicita
„ usurpatione committi, modis omnibus con-
„ stituo submoveri: ne videlicet de singulorum
„ peccatorum genere, libello scripta professio
„ publicetur; cum reatus conscientiarum suffi-
„ ciat solis sacerdotibus indicari confessione
„ secreta: quamvis enim plenitudo fidei videa-
„ tur esse laudabilis, quæ propter Dei timo-
„ rem apud homines erubescere non veretur;
„ tamen quia non omnium ejusmodi sunt pec-
„ cata, ut ea qui pœnitentiam poscunt, non
„ timeant publicare; removeatur tam improba-
„ bilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ
„ remediis arceantur, dum aut erubescunt,
„ aut metuunt inimicis suis sua facta resera-
„ ri, a quibus possint legum constitutione pe-
„ celli: sufficit enim illa confessio, quæ pri-
„ mum Deo offertur, tum etiam sacerdoti,
„ qui pro delictis pœnitentium peccator acce-
„ dit: tunc enim demum plures ad pœniten-
„ tiam poterunt provocari, si populi auribus
„ non publicetur conscientia confitentis. "

Et alio in loco: (*Epist. 82*) *mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri confessione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Inst. 10. Novoque impetu facto argumentum præscriptionis diruere moliuntur: Græci & Orientales, inquiunt, confessionem vel omnino non admittunt, vel in rebus indifferentibus ponunt: ergo eam juris esse divini, præscriptione, quam tantopere catholici venditant, non probatur.

Probant antecedens sigillatim.

Et 1 quod Græcos spectat, plerique fide digni scriptores, non Lutherani tantum & Calvinistæ, sed & alii apprime catholici attestan-

Aa. 2 tur

tur apud eos, presbyteros fere numquam, nobiles ter quaterve in anno ad summum peccata confiteri, plebejos vero & pauperes ab hoc onere immunes vulgo existimari, adeoque ad Sacerdotes numquam confessionis ergo accedere.

2. Quod ad Orientales pertinet, Coptitis & Jacobitis Alexandrinis, confessionem, nedum usu eorum aliquo celebretur, ne cognitam quidem esse, *Jacobus a Vitriaco*, (*in hist. Hierusal. c. 75*) *Joannes Mondevilleus*: (*in itinerario*) *Gabriel Sionita*:] (*de morib. Oriental.*) *Thomas a Jesu*: (*de conversione omnium gent. l. 7, c. 5, & 33*) & plerique alii, sancte ac graviter dejerant: quid quod ex historia 12 sæculi notorium est, Alexandriæ a duobus Patriarchis Jacobitis, *Joanne* scilicet Patriarcha 72, & *Marco* ejus immediato successore, confessionem, quæ quorumdam aut avaritia aut superstitione de novo fuerat introducta, penitus decretorio judicio esse sublatam, & ab iis declaratum, satis unicuique esse peccata Deo clanculum confiteri? ergo &c.

R. Nego ant. cujus falsitatem, etsi ex antedictis comperta sit, novis tamen argumentis, ut Lutheranorum & Calvinistarum impudentia reprimatur, juvat data opportunitate magis ac magis ostendere.

Ac 1 quidem illud generatim observo, quod in cæteris sæpe controversiis locum habet, de Grecorum & Orientalium fide, non ex moribus, sed ex disciplina; non ex vagis incertisque rumoribus, sed ex ritualibus, pœnitentialibus libris, homiliis, Theologicisque tractatibus ferendum esse judicium: quod si quis proterve inficias iverit, næ ille stolidum se ac iniquum prodet esse censorem; atqui confessionem a Christo institutam, jurisque divini esse, & omnibus qui post baptismum moraliter peccaverint, absolute necessitate medii necessariam, Græcorum & Orientalium fides est, in Euchologiis, & pœnitentialibus libris publica auctoritate receptis, in Theologicis tractatibus, & homiliis, quas manu quotidie versant, præclarissime attestata.

Atque ut de Græcis primum dicam, quanta eorum hactenus fuerit cum Latinis in admittenda confessionis necessitate consensio, vel inde evincitur, quod nulla unquam de hac re iis fuerit a Latinis lis intentata: evolvantur conciliorum Lugdunensis, Lateranensis & Florentini acta: in tanto numero quæstionum, quibus Græci, dum de eorum reconciliatione tractaretur, pulsati sunt, nec verbum occurret, unde colligatur, in minimam violatæ circa confessionem antiquæ fidei, incidisse suspicionem: numquid porro gravem adeo controversiam Latinos prætermissuros credemus, qui in minimi momenti concertationibus sæpe cum importunitate hærebant?

Deinde, hujus Græcorum persuasionis extant monumenta certissima, omnique exceptione majora, in Ep. canonicis SS. Gregorii Thaumaturgi, Basilii, & Gregorii Nysseni, in canonibus veterum conciliorum, modum ac tempus pœnitentiæ præscribentium, in libris pœnitentialibus, unumquodque peccatum pœna propria castigantibus, in formulis interrogandi pœnitentes, quas *Joannes Jejunator* Patriarcha Constant. S. Gregorii M. coætaneus longa serie minore diligentia scripsit, in Euchologiis, in libro de Sacramentis a Simeone Thessalonicensi ante tempus Florentini concilii exarato.

Præterea, si Græci confessionem juris divini esse negarent, Lutheranis & Calvinistis sibi consentientibus procul dubio non denegassent ferre suppetias, & eorum probare doctrinam non distulissent; atqui contra, vix illis cognita fuit Occidentalium hæreticorum opinio, contra illam & scriptis & canonibus synodorum invecti sunt; unumque suorum (Cyrillum Lucarim) quem hæresis nova seduxerat consensione unanimi refutarunt: legantur eorum dogmatici & catechistici libri a sæculo 16 ad nostram ætatem, sive contra Lutheranos & Calvinistas, sive absque ullo respectu ad hæresim scripti, ubique reperietur confitendi necessitas stabilita. *Pœnitentem*, ait Jeremias Patriarcha Constantin. (*in 1 ad Lutheranos Resp.*) *oportet omnia singulatim peccata quantum meminisse potest, cum corde contrito & humiliato confiteri .... confessio*, ait Alexius Rhartorus, (*hom. in 4 dom. Quadragesimæ*) *quam Deus hominibus dedit, velut remedium ad abluenda peccata post baptismum commissa, interius primo, deinde exterius facienda ... oportet pœnitentem qui sanari a Christo vult, subjicere se judicio ministrorum ejus, quibus judicandi, & ab omni morbo ac infirmitate sanandi, cœlitus data potestas est ... ideoque Christi minister; & dispensator mysteriorum ejus, in Throno Christi sedere debet, & claves duas tenere, quas Christus S. Petro tradidit, quæque virtute passionis ejus ligandi atque solvendi habent potestatem*, &c. ... idemque alibi repetens, (*hom. de resurr. Lazari*) ad hæc Evangelii verba: *Solvite eum, & sinite abire*: „ O maximum, inquit, fratres, miraculum hoc mysterio comprehensum! Christus hoc prodigium operatus est, idemque discipulis solvendi & in libertatem restituendi contulit potestatem, ut nimirum populum ejus a peccatorum vinculis liberarent".

Consentit ejusdem temporis Scriptor, *Damascenus*

scenus Studita subdiaconus Thessalonica oriundus, cujus opera an. 1568 ipso qui scripserat procurante, vulgata sunt: *homines*; ait, (*in instruct. familiaribus*) *qui salvare animas volunt, & æternæ hæreditatis compotes fieri, debent ad patres spirituales cum fletu accurrere, peccata sua diebus singulis, si potest fieri, confiteri, aut saltem quater in anno, in Quadragesima, in Natali, in festo SS. Apostolorum, & in Assumptione beatissimæ Virginis: quando confitentur debent candide omnique dissimulatione deposita, peccata omnia quorum sibi conscii sunt, declarare: quamquam enim homini tui simili confiteare, Deo tamen ipsi confiteris, & ab illo peccatorum indulgentiam recipis; quia absolutionis quam tibi impartitur homo potestatem a Deo accepit: audi Christum Apostolos alloquentem*: accipite Sp. Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. *Ergo potestatem hanc divinitus datam habent: quo fit, ut peccata ab iis retineri aut remitti, idem sit quod a Deo ligari aut condonari &c.*

Quorum similia, nec minus apertis verbis, in Nicephoro Pascalio, (*in Enchirid.*) in Gregorio Proto-Syncello, (*in Epitome myster.*) in Meletio Syrigo, (*in refut. Cyrilli Lucaris*) in confessione Orthodoxa, & in aliis denique eorum Scriptoribus, velut ad communem Ecclesiæ fidem pertinentia proponuntur.

In luce ergo meridiana cæcutiunt, qui a Græcis confessionem rejici mentiuntur: at, inquis, hoc illis Guido Carmelitanus, Caucus, & nostrorum alii plerique crimen affingunt; atqui ego in contrarium oppono libros rituales ac publicos, & longam ejusdem Ecclesiæ testium seriem, quibus Caucum, Guidonem, & alios nullius auctoritatis Scriptores præponere, insulsum ac temerarium est.

At, reponis, *Græci raro confitentur*. Bona verba quæso: raro confitentur. Confitentur ergo. Quod enim raro fit; etsi non fit sæpe, fit tamen: admittunt ergo Græci confessionem, quam Lutherani, & præsertim Calvinistæ, velut exitiosam rejiciunt.

At, regeris, Sacerdotes Græcos fere nunquam confiteri testatur Arcudius haud ignobilis latinæ Ecclesiæ scriptor. Esto sane hoc dicat Arcudius: nihil ejus habeo ego auctoritatem, quando alii contradicunt. Deinde non mores Græcorum, sed disciplinam inquiro, quæ etiam in moribus corruptissimis eadem viget auctoritate. Porro in eorum Euchologio, Sacerdoti celebraturo præcipitur, ut non ante ad Altare accedat, quam peccatorum, quorum sibi conscius fuerit, confessionem emiserit. Quod ergo plerique eorum hanc regulam non observent, non magis hinc sequitur, jure divino necessariam non putari, quam si quis inde inferret, usuram non credi a nobis jure naturali ac positivo prohibitam, quia inter nos multi usurarii sunt.

At, opponis denique, Græcorum opinio est, ad solos divites pertinere confessionem, & ab ejus jugo absolute egenos tenuisque fortunæ homines esse liberos.

℟. Si ita res habet, quis non videat divitum quam egenorum deteriorem esse conditionem? *Deinde*, falso hoc immeritoque opponi, inde demonstratur, quod in iis quæ attulimus tum antiquis tum recentioribus testimoniis nulla divitum & pauperum distinctio fiat, sed a solo peccato, cujus unusquisque habuerit conscientiam, confitendi necessitas repetatur. *Præterea* quis hoc sibi persuadeat, Christum Sacramentum aliquod pro solis divitibus instituere voluisse, ejusdemque aditum pauperibus denegasse? Puderet ineptias hujusmodi refutare, nisi ab hæreticis serio velut decretoria argumenta proponerentur.

Venio nunc ad Orientales (quo nomine Alexandrini, Æthiopes, Armeni, Arabes, & alii multi significantur) & dico pariter certum esse quod confessionem pro necessaria & instituta divinitus Sacramenti parte habeant.

1. Enim verba Christi, *Quæcumque ligaveris super terram &c.* de Sacramento pœnitentiæ, non secus ac Græci & Latini, unanimi consensu intelligunt. Porro, ut sæpe observatum est, ligandi solvendique potestas, nisi confessio spontanea præiverit, exerceri nequaquam potest. Hæc autem Orientalium cum Græcis Latinisque consensio, ne gratis conficta putetur, exempla aliqua profero. In antiqua Patriarchatus Alexandrini Liturgia, quæ etiam num Coptis in usu est, quamque S. Basilio tribuunt, oratio est, his verbis, concepta: „ Domine Jesu Christe, filii Dei Patris, qui Salutari & vivifica tua passione, „ omnia peccatorum nostrorum vincula confregisti, qui in faciem Sanctorum tuorum „ Apostolorum ac discipulorum insufflans dixisti: *Accipite Sp. Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum „ retinueritis, retenta sunt*: tu Domine, qui „ per sanctos Apostolos tuos, eos elegisti, qui „ in S. Ecclesia tua Sacerdotio in perpetuum „ fungerentur, peccata remitterent, omnia „ iniquitatis vincula ligarent ac solverent &c."

Itemque altera ante communionem recitanda: " Domine Deus omnipotens, qui animas „ nostras, & corpora, & spiritus sanas: qui „ Beato Petro patri nostro, ore unigeniti filii tui Domini nostri, Dei & Salvatoris Jesu Christi dixisti: *tu es Petrus, & super „ hanc*

„ *hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & „ *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: „ *tibi dabo claves regni cœlorum*, & *quod*- „ *cumque ligaveris super terram*, *erit ligatum* „ & *in cœlis*; & *quodcumque solveris super* „ *terram*, *erit solutum* & *in cœlis*: tu Do- „ mine præsta, ut patres ac fratres mei, ore „ meo, per tuum Sanctum Sp. absolvantur".

Severus magnæ existimationis Scriptor, qui nono sæculo floruit, ejusdem sententiæ est. *Sacerdos*, inquit, (*de officiis Christ.*) *Deum in promissis suis veracem precatur*, *ut potestate ligandi atque solvendi peccata*, *discipulis tradita*, *eadem illis indulgeat*, *in quos absolutio ista profertur*.

Consentiunt Dionysius Barsalibi, Echmimi, Ebnassalus uterque, Abulfaragius, cæteri communiter Canonistæ, & tractatus Anonymi de præparatione ad Sacram Communionem. Confessionis ergo necessitatem admittunt.

2. Ejusdem rei argumentum convincens inde petitur, quod in tractatibus Arabicis ac Syriacis, *de præparatione ad Sacram communionem inscriptis*, confessionis auricularis necessitas omnimoda adstruatur.

„ Confessio, *inquiunt*, debet Eucharistiæ „ participationi præmitti . . . qui aliter ac- „ cedere ad Sacramentum præsumit, ægroto „ similis est, qui contra sententiam medici „ remedium arriperet, non solum ad recupe- „ randam sanitatem nihil profuturum, sed e „ contra mali augmentum, mortemque ipsam „ illaturum ".

„ Nemo potest peccatorum remissionem con- „ sequi, nisi ea cum suis circumstantiis de- „ claraverit: nec aliter absolvendus ".

„ Nulla, fratres, homini, sine confessione „ speranda salus. Confitemini igitur, . . . & „ nolite coram homine vobis similí erubesce- „ re: ita enim fiet, ut extremi judicii con- „ fusionem, & pœnas æternas effugiatis. „ Deus qui dives est in misericordia, non „ bis propter eadem peccata hominem plectit, „ sed semel, vel in hac vita per confessio- „ nem & pœnitentiæ canonicæ subjectionem, „ vel in altera per publicam coram Angelis „ & hominibus diffamationem; quam supplicia „ inferni sequentur ".

„ A SS. Patribus traditum, & canonibus „ disciplinæ sancitum, neminem posse Cor- „ pus Domini & Dei nostri recipere, nisi „ prius peccata sua Sacerdoti Christi ministro „ confessus fuerit. Sacerdotibus enim Evan- „ gelium præcipit: *Nolite dare Sanctum ca*- „ *nibus*, peccatoribus videlicet, per canes „ significatis . . . . confessio, nova stola est, „ & ornamentum spirituale, quo anima a Sp. „ Sancto donatur. Baptismus alter est: si ve- „ ra sinceraque sit, peccatorum remissionem „ operatur, inimicum procul pellit, ejusque „ coercet potentiam: ab inferno liberat, & „ hominem communione corporis Christi di- „ gnum efficit ".

Concinunt Orientalium Canonum collectores, quorum summa in Oriente auctoritas est. „ Primum quod in pœnitentia requiritur, *ait* „ *Echmimi*, (*in collectione canonum*) est pec- „ catorum confessio: hanc nisi præmiserit pœ- „ nitens, quomodo qualis sit cognosci a Sa- „ cerdote poterit? Quæ vero erit utilitas ca- „ nonum, si scripti in libris serventur, nec „ unquam ad praxim vocentur"?

Ebnassalus, in libro cui titulus: *Collectio principiorum fidei*, c. 55 „ confessio est, *in*- „ *quit*, declaratio peccatorum contra Deum „ & proximum commissorum, quam pœnitens „ Sacerdoti potestatem habenti facit: peccata „ omnia accurate & diligenter enumeranda, „ sive cogitatione, sive verbo, sive opere per- „ petrata: nec quidquam eorum Sacerdoti oc- „ cultare fas est: qui contra faciunt, in ani- „ mi & corporis certissimam perniciem ruunt, „ &c. "

Author *quæstionum & Responsionum canonicarum juxta SS. Patrum doctrinam*: proposita quæstione, *cui debeat confessio fieri? Sacerdoti? an alteri cuilibet*, *etiam Laico?* „ Res- „ pondeo, *inquit*, non alteri quam Sacerdoti, „ Regulari, aut sæculari fieri posse, cujus vi- „ ta fidesque probata sit, quique fuerit, vel ab „ Patriarcha, vel ab Episcopo ad hoc ministerium „ delegatus... qui Sacerdoti peccata non confite- „ tur, nec ex ejus sententia canonem pœni- „ tentiæ percipit, nec impositam satisfactio- „ nem adimplet, Jesu Christi nec filius est, „ nec discipulus, nullam cum illo partem ha- „ bet; sed rebellis ac refractarius est ".

Collectio canonum Jacobitarum Syrorum: „ si quis Christianus, *inquit*, in ebrietatis, „ luxuriæ, aut furti crimen inciderit, aut „ proximum læserit, aut eumdem odio habue- „ rit, nisi prius peccata confessus fuerit, & „ canonicam pœnitentiam perfecerit: ad sa- „ cram corporis Christi communionem admit- „ ti non potest ".

Idem denique Author tractatus *de scientia Ecclesiastica*, *secundum Ecclesiam Jacobitarum Alexandrinorum*, cap. 96, Michael Patriarcha Jacobita Antiochenus, in tractatu, *de præparatione ad Sacram communionem*, Dionysius Barsalibi Episcopus Jacobita, in libro *de potestate remittendi peccata*, & *necessitate confessionis*, & plerique alii adstruunt, quorum testimonia diligentissime collegit *doctissimus Eusebius Renaudot* (*perpet. fidei tom. 5*, *lib. 3*, *cap. 5*, & *6*).

Ergo.

Ergo eadem Orientalium, quæ Græcorum ac Latinorum, de necessitate confessionis fides & doctrina est.

Jam quod opponebatur, confessionem Sacramentalem a duobus Patriarchis Jacobitis Alexandrinis, *Joanne* scilicet, & *Marco*, sæculo duodecimo abolitam, nedum quidquam contra nos faciat, novum veritatis suggerit argumentum: innovatio enim contra veterem disciplinam, traditionis contrariæ convictio est, præsertim si plures contra novitatem insurgant atqui contra impium hoc *Joannis* & *Marci* edictum tum duodecimo sæculo, tum ætate sequente, quamplures inter Orientales celeberrimi Scriptores invecti sunt. Errorem, inquam, nascentem, & Patriarchica auctoritate superbientem, strenue refutavit *Marcus* Monachus & Presbyter, qui in faciem Patriarchæ Apostatæ restitit, & publice prædicata confessionis necessitate, ingentem Coptitarum multitudinem ad antiquam diciplinam revocavit, ut *in Chronico Orientali* refertur: refutarunt sæculo sequente, uterque *Ebnassalus* Theologus, & Canonista: *Echmimi*, in collectione Canonum: *Michael* Patriarcha Antiochenus, & alii longe plures. Ergo nova *Joannis* & *Marci* constitutio, non magis confessionis dogma infringit, quam si quis inde ejus necessitatem impeteret, quia est a Luthero & Calvino negata.

Atque hinc patet ad alteram objectionem responsio, *ex Jacobo a Vitriaco*, *Joanne Mandevillæo*, *Gabriele Sionita*, & *Thoma a Jesu* petitam. Vel enim dicendum hos, aliosque si qui ejusdem sententiæ scriptores reperiantur, proprio judicio & falsis rumoribus (quo sæpe laborant vitio) fuisse deceptos: vel fatendum, errorem ab iis quos prædiximus pseudo-Patriarchis invectum, tam alte in infaustis his regionibus radicatum, ut evelli hactenus non potuerit: unde probabitur quidem magnam partem Orientalium, Schismati, cæterisque quibus inficiuntur hæresibus, novum contra confessionis necessitatem adjecisse errorem: sed contra Catholicam veritatem nihil fiet, quæ non ab assensione hominum, sed ab instituto Christi, & Ecclesiæ legibus etiam num in Oriente vigentibus, est dijudicanda (*vide perpet. fidei tom. 5, lib. 3, cap. 8*).

§. QUARTUS. ¶

Quædam difficultates confessionis necessitatem spectantes resolvuntur.

Quæstio prima. Quinam divino jure ad Confessionis præceptum teneantur?

Res. Teneatur omnes & soli adulti, qui post baptismum in lethale peccatum lapsi sunt. Quod teneantur soli baptizati, constat, quia soli Ecclesiæ clavibus, ac potestati subjecti sunt. Infideles namque, ac Judæi, cum nondum Ecclesiam ingressi sint, nec ejus potestati subjacent, ut ligari, vel solvi queunt. Quare si quandoque in Sacra historia legitur a Catechumenis facta confessio ante baptismi susceptionem, hæc neque necessitatis, sed humilitatis duntaxat, neque Sacramentalis censenda est.

Quod etiam soli adulti divino præcepto obstringantur, patet: quia infantes ante usum rationis doli capaces non sunt, atque adeo neque obstristi confessionis præcepto. Superest ergo ut soli adulti baptizati, qui graviter deliquerint, peccata sua clavibus Ecclesiæ subjicere teneantur.

Inquies vero adversus postremam hanc partem: nonne Evangelica illa verba, *quorum remiseritis peccata &c.* adstruunt potestatem remittendi etiam venialia? Cur ergo etiam qui venialiter deliquit, divino Confessioni præcepto obstrictus non erit?

Res. negando conseq. obstat enim tum traditio & constans Ecclesiæ consensus, tum ipsa rerum natura. Ex eo namque quod delegatus majus vinculum solvere queat, sequitur quidem, quod etiam minus in eodem genere solvere queat, non autem quod minus ad ejus potestatem necessario deferendum sit, ut solvatur, si modis aliis solvi possit: ut contingit in casu nostro. Plura siquidem alia media suppetunt, quibus venialia peccata deleantur absque eorumdem Sacramentali confessione.

Quæstio 2. Quo tempore obliget divinum de peccatis lethalibus confitendis præceptum?

℞. Duplex a Theologis obligatio distinguitur, alia *per se*, alia *per accidens*. Præceptum divinum Confessionis obligat *per accidens*, cum aliud præceptum, quod urget, citra præviam confessionem impleri digne non potest. Unde 1 obligat, cum Eucharistia vel recipienda, vel administranda est, & adest copia Confessarii, idque quantumvis Pœnitens se contritum existimet, ut in Concilio Tridentino statutum est: ex quo etiam colligitur obligare, cum aliud Sacramentum vel conficiendum est, vel administrandum. 2 Generatim cum Sacra aliqua functio peragenda imminet, quæ statum gratiæ requirat. 3 Quoties Confessio medium necessarium judicatur, ut vel a novo gravi crimine abstineas, vel gravem tentationem vincas.

Per se autem obligat idem præceptum, 1 non solum in articulo mortis, sed etiam in probabili mortis periculo. Quoniam si hoc divinum mandatum aliquando obligat, ut obli-

gate

gare certissimum est, maxime obligat in articulo aut periculo mortis, cum eo potissimum tempore, quisque æternæ saluti suæ, quantum potest consulere debeat. Quapropter tenetur quisquis vel gravi morbo correptus, vel in partu difficili, aut de quo dubitari legitime potest futurum esse difficilem, qualis primus esse consuevit, vel in navigatione periculosa, vel instante conflictu, aut opere, unde mors impendeat: idemque de illo dicendum, qui vereatur ne deinceps confiteri possit, ut imminente periculo amentiæ, captivitatis apud infideles, aut hæreticos &c.

Docet quoque communis sententia præter probabile mortis periculum *per se* obligare hujusmodi præceptum aliquoties in vita. Quoniam qui legem aliquam indicit nec tempus definit, quo hæc adimplenda sit, velle minime censetur ad extremum usque, immo neque diu, protrahi executionem ipsius; adeoque neque existimare debemus Christum legem confitendi peccata ad extremum vitæ voluisse protrahere. Id confirmatur ex eo, quod peccator per se, & independenter a mortis periculo ad Pœnitentiam adstringitur juxta leges a Christo institutas: cum non mori duntaxat, sed & vivere in ejus amore & obsequio debeat: adeoque ad hanc confessionis legem ab ipso præscriptam aliquando implendam tenebitur.

Quæstio 3. Obligat ne divinum de peccato confitendo præceptum, statim ac commissum est?

Quamquam aliqui non desint, qui affirmantem sententiam cum D. Bonaventura sustineant; contraria tamen communis nedum ut probabilior, sed ut, meo facile judicio, certa judicanda est. Hanc profecto docuit D. Thomas quodl. 1, art. 11, ubi ait: *differre confessionem usque ad tempus Paschæ, per se loquendo licitum est, sed per accidens potest fieri illicitum, puta si immineat aliquis articulus, in quo confessio requiratur.* Ad hanc confirmandam sententiam plures rationes afferunt Clar. Sylvius aliique. Nemo tamen eorum negat dilationem periculo subjectam esse. Unde semper consulendus est peccator, ut quantocitius ad confessionem recurrat, præsertim cum sæpe occurrat, ut saltem per accidens reddatur, nec sine peccato differri queat.

Quæstio 4. An quis teneatur quam primum peccata sua confiteri ob periculum oblivionis alicujus peccati lethalis quod incurrere facile potest?

Res. Duplex hac de re opinio est apud Theologos. Victoria, Petrus Soto, Navarrus, Sylvius, aliique frequentius negant hac ratione præcipue ducti: quia obligatio confitendi propter oblivionis alicujus periculum nec scriptura nititur, nec traditione, ut satis constat, nec ipsa præcepti natura. Si enim obligatio hujusmodi ex ipsa præcepti natura eliceretur, hoc esset, vel quia Sacramentum pœnitentiæ ordinatur ad remittenda per confessionem peccata, ut ajunt Soto, & Nugnus, vel quia, ut Tournelio placet, debet fidelis quisque, quantum in se est, efficere, ut integra sit confessio. Atqui neutra ratio sufficit. Non prima: quoniam ut peccata omnia per Sacramentum Pœnitentiæ remittantur, non requiritur absolute omnium confessio, sed omnium tantummodo, quorum post diligentem conscientiæ discussionem meminerimus, ut docet Trid. Synodus sess. 14, cap. 5. Non secunda: quia tenetur quidem fidelis confessionis integritati consulere per examen moraliter & prudentum judicio accuratum, non vero per summam, & extraordinariam diligentiam, qualis est indilata confessio: alioqui plures essent infirmæ memoriæ, qui vel singulis hebdomadibus peccata confiteri, vel saltem scripto mandare tenerentur: quod abhorret a communi fidelium omnium sensu ac praxi.

Hanc sententiam plures alii Theologi rejiciunt putantes ipsum naturæ jus nos adstringere ad præcavandam mortalium peccatorum oblivionem. *An non peccaret*, inquit ex his recentior quidam, *Minister, qui prævidens debitorum, aut creditorum oblivionem, eadem scriptis consignare negligeret? An non peccaret ille, qui prævidens oblivionem curandi vulneris, quod illius vitæ insidiatur, curationem procrastinaret? Quando igitur prudenter quis prævidet oblivionem multorum præsertim criminum, tenetur confessionem intra annum anticipare. Nonne tenetur quis confiteri, quando confessio reputatur medium ad superandam gravem tentationem, ad evitandum peccatum necessarium, ut docent vel ipsi benigniores Casuistæ? Quo jure ergo omitti potest, dum est medium necessarium ad evitandam peccati, immo, ut Leander asserit, multorum criminum oblivionem?*

Continuator Tournelii hanc opinionem ut longe plausibiliorem existimat tract. *de Pœnit.* p. 2, *cap.* 5, eamque ita corroborat. " 1 Quia „ longe tutior sit: porro illicitum est in ma„ teria Sacramentaria, *sequi opinionem* tantum „ *probabilem*, *relicta tutiore*, prout ab Inno„ centio XI, & a Clero Gallicano definitum „ est. 2 Quia Navarri, & Sylvii opinio con„ gruit quidem pœnitentium socordiæ, sed nul„ lo, quod piam mentem tranquillare possit, „ fundamento nititur. An enim ita arduum „ est, peccata quædam graviora vel scribere, „ vel paulo post, ne excidant e memoria, „ confiteri? An non id quotidie, quod multo

„ plus

„ plus temporis requirit, in rebus commercii
„ sui præstant mercatores? An usque adeo ab-
„ surdum est in rebus, quæ ad æternam sa-
„ lutem spectant, exigere centesimam partem
„ eorum, quæ pro caducis Sæculi rebus spon-
„ te & alacriter executioni mandantur?

„ Reclamat, inquiunt, universa fidelium pra-
„ xis. Grande argumentum, & apud Mollio-
„ res Casuistas undecumque insonans. At non
„ reclamabunt veri nominis fideles, si institu-
„ antur, ut decet, & solide didicerint impo-
„ tentiam in causa voluntariam ad culpam de-
„ putari. Interim non desunt hodieque innu-
„ meri utriusque sexus, qui grave, quod ex-
„ ciderit, peccatum, veluti colubrum ore quam-
„ primum evomunt: vel si desit copia Con-
„ fessarii, omni opera curent, ne obliviscan-
„ tur".

Sententiam hanc, quæ mihi quoque probabilior est, confirmo Authoritate Catechismi Concilii Trid. p. 2, *cap.* 5, §. 45, ubi inter alios casus non differendæ Confessionis, etiam præsentem commemorat inquiens: *Verum si quid salutis nostræ ratio postulet, consideremus profecto quoties vel mortis periculum imminet, vel aliquam rem tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis contaminato non conveniat, veluti cum Sacramenta administramus, aut percipimus, toties confessio præmittenda est. Atque idem* OMNINO, *cum veremur, ne nos alicujus culpæ, quam admiserimus, oblivio capiat. Neque enim peccata confiteri possumus, cum non meminimus; neque peccatorum veniam a Domino impetramus, nisi ea pœnitentiæ Sacramentum per confessionem deleat*. Hinc tanquam nimium laxa putanda est opinio P. Georgii Gobatti *Tract.* VI, *num.* 261, ita scribentis: " Dico VI: tametsi confessio-
„ nem differendo usque ad articulum mortis,
„ vel Paschæ, certus sis te ob hanc dilationem
„ esse obliturum multa crimina; haud tamen
„ inde oritur tibi obligatio confitendi citius.
„ Ita sane tenet communis sensus, ut reor,
„ tum confitentium, tum Confessariorum".

Quæstio postrema. Num divina lege confessionis teneatur moribundus, qui nonnisi peccatorum venialium sibi conscius est.

Resp. negative: quia cum peccata venialia libera semper sint Confessionis materia, etiam instante periculo mortis ea subjicere Ecclesiæ clavibus non tenemur: cum aliis mediis deleri possint: Teneri tamen quis aliquando poterit per accidens ad eorum Confessionem, vel ob scandalum, quod suboriri facile potest, devitandum, vel ne periculo exponatur graviora pro levioribus judicandi: vel etiam ad uberiora auxilia divinæ gratiæ eo tempore maxime necessaria impetranda. Hinc nemo est, quantumvis sanctissimus, qui instante mortis discrimine, confessionem prætermittat. Sequitur

CAPUT SECUNDUM.

De Confessionis conditionibus.

Quæritur 1. quibus conditionibus confessio Sacramentalis constituatur?

R. Varias a Theologis recenseri, quæ sequentibus versibus exprimuntur:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

In quibus sigillatim exponendis, quia facillimæ sunt ad intelligendum, atque etiam ad pauciora capita revocari possunt, opera superfluo poneretur. Itaque præcipuas quam breviter fieri poterit, perstringemus.

Q. 2. quæ sit confessionis materia?

R. Esse omne peccatum quod a pœnitente debet aut potest Ecclesiæ clavibus, & Sacerdotis arbitrio subjici: peccatum enim mortale aliud, aliud est veniale: mortale spiritualem animæ vitam admit, veniale non item. Itaque mortale, necessaria est confessionis materia; secus veniale, cui expiando Dominica oratio, jejunium, opus misericordiæ, aliaque id genus remedia, absque ullo ad Sacramentum respectu sufficiunt.

Q. 3. utrum confessio, ut bona ac valida sit, integra esse debeat.

R. Debere integram esse formaliter, ut loquuntur, non autem materialiter.

Prob. 1 pars: formalis confessionis integritas est, declaratio omnium peccatorum mortalium, quorum hic & nunc, præmisso diligenti examine, pænitens sibi conscius est; ita ut neque speciem, neque numerum, nec gradum malitiæ prætermittat; atqui hujusmodi adæquatio est confessioni essentialis: cum enim minister Sacramenti, medici, & judicis, & consiliarii officio perfungatur; manifestum est debere conscientiam, intimosque ejus recessus, & morbos pœnitentis etiam occultissimos noscere, ut prudenter judicare, & sapiens dare consilium, & remedia possit opportuna præscribere.

Ex institutione Sacramenti pœnitentiæ, ajunt Trid. patres, (*Sess.* 14, *cap.* 5) *universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere: quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam* Præ-

Præsides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christifideles ceciderint: qui pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient: constat enim Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent: ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnumquam animum gravius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur. Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum cum universa mortalia peccata, etiam cogitationes, homines iræ filios & Dei inimicos reddant; necessum est omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda confessione a Deo quærere. Itaque dum omnia quæ memoriæ occurrunt peccata, Christifideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt. Qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus, vulnus medico detegere, quod ignorat medicina, non curat.

Idemque definitum, ejusdem sessionis Can. 7 supra laudato, & can. 8.

Prob. 2 pars: Integritatem confessionis materialem dicimus, quæ omnia prorsus mortalia peccata complectitur, ab homine pœnitente commissa, omnesque circumstantias peccati speciem immutantes, vel malitiam notabiliter augentes; atqui hujusmodi integritas ad valorem confessionis absolute non requiritur. Nam nemo tenetur ad impossibile; atqui impossibile plerumque est, ut homo vitam omnem prout gesta est, singulatim Sacerdoti exponat: cujus rei multiplex est causa: 1 impotentia physica: ut si quis incepta confessione, linguæ usum subito perdat: 2 impotentia moralis: ut si gravissimum periculum Sacerdoti, vel pœnitenti, vel utrique simul impendeat: quo fiat ut discedere ab invicem teneantur, antequam plene facta peccatorum enumeratio fuerit: 3 eaque communior & pene quotidiana oblivio est: sic enim unicuique, plus minus, labilis & fluxa memoria est; ut interdum actuum nostrorum quos paucis ante horis exegimus, nec suspicando quidem recordemur: quod si vel unius diei cursum animo præsentem habere, gloriari vix aliquis potest: quanto minus poterit, ubi multi anni erunt in amaritudine animæ recogitandi?

Hinc Concilium Trid. *impium est*, inquit, (*Sess. 14, cap. 5*) *confessionem quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare: constat enim nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam, ut, postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus:* ab occultis meis munda me Domine. (*Ps. 18, 13*)

Objectio.

Lutherani Græcorum hic opponunt sententiam, a quibus formalem confessionis integritatem non requiri argutantur. Omnium, inquiunt, instar sit *Hieremias Patriarcha Constantin.* cujus auctoritatem Catholici tantopere jactant; atqui enumerationem omnium peccatorum, quorum habetur memoria, necessariam non esse, expresse docuit in opere, ubi Lutheranos refutare aggressus est. *Si pœnitens*, inquit, (*Resp. 1 ad Luther.*) *peccata aliqua vel oblivione, vel pudore, in confessione siluerit, Deum summe bonum ac misericordem rogamus, ut eorum pariter indulgentiam largiatur, & firmiter confidimus concessurum:* ergo &c.

℟. Nego maj. omnium enim instar laudari non potest, quem constat omnibus esse contrarium; atqui Hieremias contra omnium Græcorum sententiam, singularem hanc opinionem effutiit; quin & sibi ipsi contrarius fuit. In hac enim ad Lutheranos responsione, paulo ante dixerat, *oportere pœnitentem, quantum quidem potest, & memoria suggerit, minutatim peccata omnia, quorum sibi conscius est, cum corde contrito & humiliato, pœnitentiario patefacere*. Quod ergo immediate adjicit de peccato, quod pœnitens pudore malo celaverit, lapsus ejus, & inconsiderantia fuit, hoc minus sequenda, quod communi, ut prædiximus, Græcorum sententiæ adversetur: nemo enim eorum quos capite præcedenti laudavimus afferri potest, qui Hieremiæ tantisper faverit: sed e contra omnes confessionis integritatem requirunt, omnesque malum abjiciendum esse pudorem pariter docent.

Instant: eadem *Germani Episcopi Amathuntis* sententia fuit: ille enim Sacramentalis absolutio-

solutionis formulam sic exprimit: (*Vide Morin. de pœnit. in append. pag.* 137) *Si oblivione, aut pudore, aliqua peccata occultavit* (pœnitens,) *tu misericors Domine condona illi*. Ergo falso dicitur, singularem hanc Hieremiæ esse opinionem.

R. 1. Etsi daremus in eodem *Germanum* luto hæsisse; quid inde contra dogma omnium consensione receptum conficeretur? Numquid enim unus aut alter qui a tramite veritatis aberrant, argumentum a consensione, universalitate & perpetuitate petitum, valent infringere?

R. 2. Nego suppositum. Ponitur enim tamquam certum formulam *hanc a Germano*, quasi Sacramentalem proponi, quod falsum est; nihil enim commune habent cum forma absolvendi, qualem Græci in Sacramento usurpant: hæc itaque verba nihil quidquam habent præter formam benedictionis & indulgentiæ, a prece Sacramentali longe diversæ: nihilque aliud orat Sacerdos, nisi gratiam conversionis, qua fiat ut pœnitentes pudore deposito, quod ante celaverant, revelare non erubescant; atque ita reconciliationis beneficium consequantur.

Q. 4 Utrum ad formalem confessionis integritatem, necessaria sit declaratio circumstantiarum?

Peccati circumstantiæ exponuntur.

Priusquam ad quæsitum respondeatur, advertendum in peccatis non secus ac in moralibus ac physicis actionibus, multas esse adjacentes, & veluti comites circumstantias, quæ hoc versu exprimi solent.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Non uno vero modo ad peccatum omnes pertinent: aliæ enim ejus speciem mutant; aliæ malitiam intra eamdem speciem augent; aliæ indifferenter se habent: cujus rei exemplum in furto sit. Nam si quis alteri nummum surripuerit, simpliciter furti reus est: quod si rem sacram furatus sit, puta Sanctum calicem divino sacrificio destinatum, nova peccati species est, cum ad furti malitiam, nefandi sacrilegii accessio fiat. Rursum si quis nummum furatus fuerit; plurimum interest an diviti, vel pauperi rapuerit. Præterea qui nummum furatus est, lethale peccatum admisit: quod si non unum tantum, sed decem, aut triginta, aut ducentos, quamquam furti species non mutetur, multum tamen gravitas ac malitia crescit: de circumstantiis indifferentibus nihil opus est ut loquamur, quas facile quisque intelligit in unoquoque peccato multas occurrere, quæ ejus nec speciem mutant, nec augent malitiam.

Hoc posito,

℟. 1. Circumstantias indifferentes, quia ad confessionis integritatem inutiles, esse reticendas: nihil enim ad sacrum tribunal afferendum, nisi quod Sacramenti materia est; atqui circumstantiæ indifferentes, cum peccati nullatenus rationem habeant, materia Sacramenti esse non possunt: ergo &c.

℟. 2. Necessario debere exprimi circumstantias peccati speciem immutantes. Nam ut integra formaliter confessio sit, necessaria est accusatio omnium peccatorum, quorum hic & nunc sibi peccator conscius est; atqui circumstantia peccati speciem mutans, diversum ipsa peccatum est: sic in eodem luxuriæ genere, aliud est fornicatio, aliud adulterium, aliud incestus: *omnes circumstantias peccatorum*, inquit Petrus Blesensis, (*in tract. de confess.*) *is qui confitetur aperiat, causam, locum, modum, tempus, & quidquid mensuram reatus exaggerat. Sic enim B. August.* (*author libri de vera & falsa pœnitentia c.* 14) *pœnitens suorum criminum exprimat qualitatem, in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ, ut attendatur excellentia officii sui, turpitudo operis: si in sacro loco, si in die festivitati vel orationi consecrata, aut jejunio quanta tentatione impulsus sit: & ut gratiæ evidentiæ ponamus hujus rei exemplum; qui fornicatur, non solum suam, sed illius animam perimit, quam in consensum & participium suæ iniquitatis allexit. Porro animæ tertiæ homicida est, si rogatu ejus aliquis mediator illius turpitudinis intercessit. . . . turpe reputas de tam turpi materia loqui: sed turpior est infernus. Si fœdus est sermo, fœdius est putrescere in peccato: sic ergo confessio fiat, ut etiam in tui accusationem peccati veniant, quæcumque videntur illius accessio vel sequela. Tuam igitur conscientiam solerti revolve scrutinio, explora omnes angulos ejus, nihilque in ea remaneat indiscussum: fode parietem & abominationes conscientiæ monstruosas revelabit tibi familiare scrutinium.*

Trid. Concilii expressa hæc doctrina est. *Colligitur præterea*, inquit, (*sess.* 14, *c.* 5) *etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere. Unde alienum a ratione est, docere circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse:* &c.

&c. . . . . . (*ib. can.* 7) *Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia .... & circumstantias quæ peccati speciem mutant .... anathema sit.*

R. 3. Necessario esse declarandas circumstantias, quæ magnam afferunt ad malitiam peccati accessionem: cujus rei pleraque sunt argumenta.

1. Enim sententiam hanc contraria esse probabiliorem & tutiorem in praxi; nemo opinor negaverit; atqui non est licitum in negotio Sacramentorum, sequi opinionem minus probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore: hæc enim expressa Innocentii XI Pontificis max. declaratio est, propositionem contrariam proscribentis: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*: itemque hanc alteram num. 58: *Non tenemur confessario interroganti fateri alicujus peccati consuetudinem.* Ideo enim decretum a supremo antistite est, de peccati consuetudine debere confessarium admoneri, quia circumstantia hæc est, peccati malitiam in eadem specie multum aggravans: ergo &c.

2. Ideo ex Concilio Trid. tenetur pœnitens circumstantias peccati speciem mutantes denutiare, quia sine illis peccata nec a pœnitentibus integre exponuntur, nec judicibus innotescunt: unde consequens ut de gravitate criminum nequeant recte judicare, & pœnam quam oportet non possint imponere; atqui eadem ratio probat, circumstantias esse declarandas, quæ intra eamdem speciem, plurimum augent peccati malitiam. Hinc antiqui canones quando statuunt, peccati circumstantias necessario esse aperiendas, non distinguunt inter circumstantias speciem mutantes, vel augentes malitiam. Sic Innocentius III Pontifex Max. (*Can.* Deus qui; *extra de pœnitentiis & remissionibus*) *consideratis*, inquit, *omnibus circumstantiis, competentem pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout salutis eorum videritis expedire.* Et Concilium Later. IV (*can. omnis utriusque sexus*) *Sacerdos*, ait, *sit discretus & cautus, ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati: quibus prudenter intelligat, quale debeat ille præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere.*

3. Hoc ipsum adstruit Trid. Concilii Catechismus, cujus magna auctoritas est, cum ex Decreto Concilii, & approbantibus Sum. Pontificibus fuerit editus: *in confessione*, inquit, (*part.* 2, *tit. de pœnit. num.* 62 & *seq.*) *summa illa cura & diligentia adhibenda est, quam in rebus gravissimis ponere solemus, omneque studium ita eo conferendum, ut sanemus animæ vulnera, & peccati radices evellamus. Neque vero solum peccata gravia explicare oportet, verum etiam illa quæ unumquodque peccatum circumstant, & pravitatem valde augent vel minuunt. . . . . furtum in peccatis numerandum est. Verum si quis aureum nummum furetur, levius omnino peccat, quam is, qui centum, vel ducentos, vel ingentem aliquam auri vim, præsertim vero qui sacram pecuniam abstulit .... hæc igitur, ut diximus, enumeranda sunt.*

4. Accedit S. Caroli, magni hujus antiquæ disciplinæ restauratoris auctoritas, cujus decreta quippe Evangelicam puritatem undequaque spirantia, Galliarum, aliarumque gentium præsules, summa veneratione amplexi sunt; ipseque Sum. Pontifex Innocentius XII typis mandari expresse jussit, ut unicuique normam agendi præscriberent. Statuit porro (*actorum part.* 4, *in instruct. ad confess.*) *confessarium scire debere circumstantias, aut speciem mutantes peccati, aut illud notabiliter aggravantes, quia illæ circumstantiæ necessario in confessione declarari debent.*

5. Addemus ad cumulum, Provincialium Synodorum judicium. Sic in Concilio Gnesnensi a S. Apost. Sede confirmato & approbato (*an.* 1628) statuitur, *ut confessarii potissimum inquirant de peccatis, numeroque & specie illorum, cum circumstantiis mutantibus speciem peccati, aut idem valde gravantibus ...* & in Synodo Sublacensi sub Em. Cardinali Carolo Barberino: (*an.* 1674) sic legitur: *inquirendum erit super circumstantiis peccatorum, quæ speciem mutant, vel pravitatem valde augent ...* & in Synodo Farfensi sub eodem: (*ann.* 1685) *pœnitens a confessario non interpelletur, nisi cum res ipsa exegerit, ubi scilicet inquirendum erit super circumstantiis peccatorum, quæ speciem mutant, vel pravitatem valde augent.* Quorum similia in Synodo Ariminensi (*ann.* 1696) sub Emin. Cardinali Dominico Cussio, & in multis aliis statuta occurrunt.

Objectio.

Oppones, contraria S. Thomæ hæc nostra assertio est. Expresse enim affirmat, (*in* 4 *sent. dist.* 16, *q.* 3, *art.* 2, *quæstiuncula* 5, & *opusc.* 12, *quæst.* 6) *circumstantias aggravantes, quæ aliam speciem peccato tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non esse de necessitate confessionis, & easdem confiteri, solius perfectionis esse, sicut* (inquit) *de venialibus dictum est.* Ergo ab iis qui

qui se profitentur esse Thomistas defendi non debet.

℞. Concesso ant. n. conseq. utinam probabilitatis defensores qui in præsenti auctoritatem præceptoris Angelici magnifaciunt, pari in quæstionibus cæteris scrupulo tenerentur, ne a vestigiis ejus latum unguem recederent: quam multæ docilitate hac controversiæ sopirentur, quæ S. Thomas consentanee ad majorum doctrinam, plaudente Ecclesia, exposuit mirabiliter ac defendit, rejectis novellis opinionibus, quo par esset candore ac veritatis amore amplecterentur? Verum enim vero; si quem in S. Doctore, (quod sane rarissimum est,) nævum deprehendunt; tum laudant summopere atque extollunt: in cæteris, idest fere semper, cum vident sibi, uti & novitati cuilibet esse contrarium, parvipendunt, & ejus acquiescere auctoritati detrectant: absit vero a nobis ut regulam hanc tam detortam, tamque a sano judicio alienam sequamur. Præceptoris Angelici placita pene universa sectamur, quia in iis documenta scripturæ & traditionis agnoscimus. Sicubi autem, quod S. Thomæ, uti & cæteris Sacris Doctoribus contingere potuit, oscitanter & non sat congrue veritati locutus est; tum ab eo potius quam a veritate recedere, officii nostri, absque ejus injuria esse putamus: imo hoc in S. Doctorem injurii & irreverentes videremur, si judicium ejus, sententiæ veritatis antepositum præfracte vellemus. „ Nemini Thomistæ, *ait* „ *Natalis Alex.* (*Theol. Dogm. & Mor. tom.* „ 4, *lib.* 2, *de Sac. pænit. c.* 5, *art.* 6, §. 1) „ religioni sit ab ea Sancti Thomæ opinione „ discedere, quam junior propugnavit, & quam „ ipsum ejuraturum fuisse ac retractaturum „ verisimile est, si post Synodum Trid. scri„ psisset. Unde selecti ex ordine Dominica„ no Theologi, qui Concilii Catechismo ad„ laborarunt, contrariam opinionem asserue„ runt Ecclesia approbante: & *Dominicus* „ *Soto*, qui Concilio magna cum eruditionis „ pietatisque laude interfuit, illam propugna„ re non dubitavit, in 4 sentent. distinct. 18, „ quæst. 2, art. 4:" *Pro mea*, inquit, *ingenii tenuitate statuerem septimam conclusionem: omnis circumstantia notabili modo ad judicium sapientis aggravans peccatum, sive mutet, sive non mutet speciem, est necessario confitenda.* „ Hancque antiquiorum Theologorum „ sententiam fuisse ait, & licet S. Thomas „ contrarium scripserit in 4 sentent. cum „ junior esset: *Fortasse in summa, quæ suum* „ *erat postremum testamentum, sententiam* „ *mutasset.*"

¶ Commode tamen, ac citra ullam violentiam textus objectus S. Doctoris explicari potest, ut Sententiæ, quam defendimus, nullatenus repugnet, immo faveat quam maxime. Observandum itaque est triplicem malitiam circumstantias addere posse peccato: primam, quæ mutat speciem ejusdem: alteram, quæ ad peccatum mortale neutiquam pertingit, sed intra venialis peccati limites consistit: Tertiam demum, quæ speciem quidem peccati non mutat, peccatum tamen mortale ex se constituit. Hoc posito S. Thomas in adducto testimonio docet, necessum non esse, ut circumstantiæ, quæ aut speciem non mutant, aut malitiam non addunt peccatum mortale ex se constituentem, in confessione aperiantur. Huc evidenter tendere Angelici Præceptoris doctrinam in allato textu propositam mihi sane videtur. Quid enim produnt hæc verba, quibus tota regitur articuli illius doctrina? *cujus ratio est, quia venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent.* Hæc verba mihi videntur in aperto ponere S. Doctoris mentem, omnesque discutere difficultatum nebulas, quas offundunt, qui contra sentiunt. Clamant hi S. Thomam expresse agere de circumstantiis, quæ *aliquam notabilem quantitatem peccato addunt.* Verum habet. Sed hæc verba scribit sub articuli initium, & post laudata verba rationem affert, cur hujusmodi circumstantiæ non sint in confessione exprimendæ, inquiens: *cujus ratio est, quia venialia non sunt de necessitate confessionis.* Et postea subdit, confitenda esse solum mortalia, *quæ quantitatem infinitam quodammodo habent.* Quidpiam certe discriminis admittendum est juxta mentem S. Thomæ hoc textu expositam inter *quantitatem notabilem*, & *quantitatem infinitam*. Hanc enim soli peccato mortali attribuit: illam vero veniali; adeoque quantitas illa *notabilis*, de qua loquitur, intra genus peccati venialis consistit, quod ad *infinitam quantitatem* nunquam pertingit. Igitur dicendum est Angelicum hic non loqui de circumstantiis quomodocumque aggravantibus, sed de illis tantummodo, quarum gravitas peccati venialis confinia ex se non excedit.

Id rursus apparet ex sequ. S. Thomæ verbis: *circumstantiæ aggravantes, quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, vel non peccati mortalis, non sunt de necessitate confessionis.* Quibus enitescit Angelici mentem eo unice spectare, ut definiat, circumstantias, quæ aut speciem non mutant, aut *malitiam peccati mortalis* non addunt, non esse de necessitate confessionis. Quare, nisi mea me fallat opinio, legitime infertur docere S. Præceptorem, eas circumstantias exprimendas necessario esse in confessione,

ne, quæ malitiam adjiciunt de se constituentem mortale peccatum: circumstantias vero, quæ limites non transiliunt peccati venialis, non esse de confessionis necessitate.

Hanc doctrinam clariorem reddit hoc exemplo recentior Author. *Gravis materia furti, inquit, sint sex Julii. Addantur duo Julii. Circumstantia hæc superaddit notabilem quantitatem, sed intra terminos peccati venialis. Addantur* 10, 20, 100, *mille. Circumstantia hæc non addit quidem diversam peccati speciem; tribuit tamen malitiam peccati mortalis, quod habet* quantitatem quodammodo infinitam. *Et hæc circumstantia juxta S. Thomam est necessario in confessione manifestanda. En genuinam, perspicuam, & constantem Doctrinam S. Doctoris*. Hæc ille, qui subinde assumens rationem ab eodem S. Doctore productam, ita adversarios ad respondendum urget, ac provocat: *Cur S. Thomas negat circumstantias esse in confessione manifestandas? Respondet Angelicus*: quia peccata venialia non sunt de necessitate confessionis. *Aliane ratio in universa adducta doctrina? Nulla prorsus. Ergo necessario consequitur circumstantias augentes malitiam, quæ constituit peccatum mortale, esse in confessione aperiendas*. ¶

Q. 5. Utrum ad confessionis integritatem necessaria sit peccatorum dubiorum declaratio.

Dubium de peccato, vel facti, vel juris est. Primum est, cum dubitat aliquis num tale, vel tale peccatum commiserit? Secundum, cum de actu non ambigitur, tantumque incertum manet, utrum hæc aut illa actio mortalis peccati malitiam includat, nec ne? Hoc posito:

R. Cujuscumque generis dubium sit, carere debita integritate confessionem, nisi a pœnitente enuncietur. In dubiis enim tutior pars est eligenda; atqui longe tutius est, peccata dubia declarare, quam violati Sacramenti, & æternæ damnationis discrimen incurrere: ergo &c.

Deinde. Si post maturum examen dubium alicui remaneret, baptizatus esset nec ne? Deberet sub forma conditionali baptizari: ergo a pari cui dubitatio insidet de peccato mortali, sive quantum ad jus, sive quantum ad factum; tenetur sub conditione declarare: confessio enim lapsis post baptismum non minus est necessaria, quam baptisma nondum renatis. Cavere tamen pœnitens debet, ne peccata dubia, pari asseveratione declaret, ac illa quorum sibi certo conscius est; sed debet dubium ipsum & causam dubitandi Sacerdoti significare, ne dum nimium scrupulosa confessio est, a veritate recedat: *quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale*, inquit S. Thomas, (*Suppl. quæst.* 6, *art.* 3, *ad* 3) *tenetur illud confiteri dubitatione manente: quia qui aliquid committit vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter, discrimini se committens: & similiter periculo se committit, qui de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confiteri. Non tamen debet asserere illud mortale esse, sed dubitative loqui, & judicium Sacerdotis expectare, cujus est discernere inter Lepram & Lepram*.

Q. 6. Utrum integram confessionem edidisse putandus sit, qui peccata sua in duas veluti classes partitas, unam quidem partem uni Sacerdoti, alteram alteri declaravit?

R. Negative, & dico teneri omnia & singula peccata uni & eidem iterum confiteri: peccavit enim ille contra sinceritatem, nullibi magis quam in Sacramento pœnitentiæ observandam, inanisque gloriæ cupiditate, suæ magis famæ, quam animæ saluti & gloriæ Dei consuluit. Tradit hanc Regulam S. Carolus *in instruct.* Sacerdotum: nititurque Canone, *consideret*, distinctionis quintæ *de pœnitentia*: cujus hæc verba sunt: *cautus sit pœnitens, ne verecundia ductus dividat apud se confessionem, ut diversa diversis velit Sacerdotibus manifestare: quidam enim uni celant, quæ alii manifestanda reservant: quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere*.

Accedit S. Thomæ judicium: *etsi*, inquit, (*in* 4 *sent. dist.* 17, *quæst.* 3, *art.* 4, *quæstiuncula* 2, *ad* 1) *erubescentia sit multiplicior, quando dividit* (*pœnitens*) *diversa peccata diversis, tamen omnes simul non sunt ita magnæ, sicut illa una qua quis omnia peccata sua simul confitetur: quia unum peccatum per se consideratum, non ita demonstrat malam dispositionem peccantis, sicut quando cum pluribus aliis consideratur: quia in unum peccatum aliquis quandoque ex ignorantia vel infirmitate labitur; sed multitudo peccatorum demonstrat malitiam peccantis, vel magnam corruptionem ejusdem*.

Præterea, ait idem S. Doctor, (*ib. ad* 2) *Sacerdos confessionem audiens, vicem Dei gerit; & ideo debet ei hoc modo fieri confessio, sicut Deo fit in contritione: unde sicut vera non esset contritio, nisi ad omnia & singula peccata extenderetur; ita nec vera confessio est, nisi de omnibus fiat peccatis, quæ hic & nunc occurrunt memoriæ*.

Q. 7. Ita ne generalis & absoluta hæc regula sit, ut nullo casu dividi confessio possit?

Respondent communiter Theologi, regulam hanc certis in casibus (quamquam rarissimo) exceptionem habere: " inter Doctores Scholasticos, *inquit Melchior Canus*, (*Relectionis de pœn. par.* 6.) magna dissensio est, an cum

" ja-

„ jactura sequitur, vel propria, vel aliena, a „ præcepto confessionis, & ipsius integritate „ liberemur: & ne in opinionibus aut recensendis aut confutandis longa texatur oratio, sit "

Prima propositio. *Si ex confessione alicujus peccati sequitur scandalum, vel meum, vel confessoris; ego possum tacere tale peccatum, reliqua confitendo: & ratio est, quia quantum ad illud, non habeo copiam confessoris, cui videlicet recte atque honeste confiteri possim ejusmodi peccatum: item juxta D. Bernardum (lib. de præcepto & dispensatione) quod pro caritate institutum est, contra caritatem non debet militare: confessio autem instituta est in remedium pœnitentis: quocirca si scandalum ipsi ex confessione alicujus peccati accidit, poterit idem licite reticere: de vitando autem scandalo confessoris, juris naturalis præceptum est: præceptum ergo divinæ legis positivum illius obligationem non abolet: lex enim gratiæ legem naturæ non destruxit sed perfecit: loquimur autem de scandalo confessoris infirmi: nam si ex malitia paratus sit ad ruinam, utilius scandalum nasci permittitur, quam Dei præcepta relinqui.*

Secunda propositio, quæ communis etiam Theologorum est: *Si ex confessione mea sequatur aut mors, aut infamia, vel mea, vel aliena; excusor ab obligatione confitendi tale peccatum: & ratio est, quia divina præcepta positiva non obligant cum jactura vitæ aut publicæ famæ, v. g. si confessor crederetur revelaturus confessionem: item præceptum de vitanda morte, vel infamia proximi, est naturale: ergo per præceptum positivum adveniens de confessionis integritate non abrogatur: quod si excusor a confessione peccati, ex qua sequitur mors, vel infamia publica proximi: excusabor etiam, si inde sequantur sive mors, seu infamia mea publica.*

Eademque Natalis Alexandri sententia est, (*Theol. dogm. & mor. tom. 4, lib. 2, de pœnit. cap. 5, artic. 7*) regulam hanc statuentis; *confessionem dividi posse, vulgo Theologi censent, ubi probabile periculum est, ne Sacerdos pœnitentem ad peccatum sollicitet; ne confessionem revelet; adeoque ne certi cujusdam peccati, aut circumstantiæ declaratione, pœnitens seipsum aut alium in salutis æternæ, vitæ, aut famæ discrimen adducat: verumtamen hanc doctrinam plebi tradi non expedit: juris namque positivi præcepta, inquiunt Theologi, cum tanto periculo non obligant: ac proinde in illa hypothesi stricto jure non obligat confessio, & perinde se habet pœnitens, ac si copiam confessarii non haberet: vel si confessio facienda sit, nec obtineri potest facultas, aut non habetur opportunitas alterum confessarium adeundi, explicanda sunt cætera: illud vero peccatum, seu circumstantiæ ex quibus periculum merito timetur, eadem confessione generatim, & implicite, ut loquuntur, includendæ sunt, cum proposito illud vel illas explicandi; ubi primum copia idonei confessarii habebitur: tuncque confessio integra non erit per accidens, ut ajunt, id est, non ex intentione pœnitentis, sed ex defectu confessarii integri: melius autem, inquiunt, videtur provideri conscientiis communicantium, si hoc modo confiteantur, quam si ad Eucharistiam accedant, tota confessione dilata: cavendum tamen ne leves suspiciones inanesque timores peccatorum abducant ab alicujus peccati lethalis, aut circumstantiæ declaratione, necessario explicandæ in confessione: ideo plebi hujus regulæ doctrina tradenda non est, ne ipsa abutatur, ut est hominum genus ad suspiciones & inanes timores pronum.*

Ita prædicti scriptores, quorum maluimus adhibere verba, quam nostra, ne crederet aliquis novam hanc esse, omnique destitutam subsidio auctoritatis doctrinam.

Q. 8. Cur *simplex* confessio debere esse dicatur?

R. Simplicem, puram, fidelem, nudam, discretam (hæ enim diversæ conditiones ad unam pene rediguntur) ideo esse debere, quia a confessione debent omnia inutilia resecari, tantumque ea aperiri, quæ ad naturam & quantitatem peccati pertinent, *confessio*, inquit S. Antoninus, (*3 part. tit. 14, c. 19, §. 12*) *debet esse simplex, ut dicantur præcise peccata cum circumstantiis suis, & dimittantur aliæ materiæ, nec immisceantur superflua: quod tamen difficile est, & præcipue idiotis, dicere peccata sua quin addant superflua: non tamen hoc habet vitiare confessionem, ex quo dicant hac intentione, ut declarent factum suum: prudens autem confessor debet, quantum commode potest, hujusmodi narrationes superfluas facere resecare: & qui indiget consolatione propter tribulationes, vel consilio propter dubia, post confessionem factam, & absolutionem talia dicantur, & non misceantur in confessione.*

Q. 9. Quorsum dicatur confessionem humilem esse debere?

R. Quia nullibi magis exercitium humilitatis requiritur, quam ubi homo peccatorem se esse agnoscens, ad piscinam salutarem expiandus accedit, & voluntaria peccatorum declaratione, Deum toties offensum, quoties peccatum est, placare & inflectere ad misericordiam nititur: imitanda ergo Evangelici publicani humilitas; fugienda pharisæi superbia, qui

qui tacebat peccata quæ vere habebat, & prædicabat merita, quæ habere se typo præsumptionis diabolicæ autumabat: dicendum cum propheta: (*Ps.* 140, 3, *& seq.*) *pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis: non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis*: quæ verba explicans S. Aug. *cum vis esse excusator tuus*, inquit, (*Serm.* 29, *al.* 3, *de divers.*) *triumphat de te accusator tuus: vis ergo facere quod doleat & gemat accusator tuus, id est diabolus? fac quod audisti, fac quod didicisti, & dic Deo*: ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi: *ego, inquit, dixi, non Diabolus, non fortuna, non factum, ego dixi: non me excuso, sed accuso*: *ego dixi: Domine miserere mei, sana animam meam.*

Itaque humilem confessionem esse oportet, unde sequitur, quodlibens, verecunda, lacrymabilis, fortis, accusans, & parere parata esse debeat: hæc enim conjuncta sibi sunt, & mutuo a se se dependent.

Q. 10. Unde noscatur humilem non esse confessionem?

R. Inde certissimo colligi, si quis confitendo nulla doloris ac verecundiæ signa prodat; si monitis ac præceptis confessarii acquiescere renuat; si peccata excusaverit, eorum causam refundendo in alterum, nihilque sibimet nisi facilitatem, ab omni malitia vacuam tribuendo: qui sic, inquam, confitetur, necessaria humilitate carere convincitur, & donec resipuerit, ab omni spe reconciliationis arcendus: *in primis autem*, inquit Concilii Trid. Catechismus (*part.* 2, *tit. de Sacr. pœnit.* §. 39.) *reprimenda est quorumdam superbia, qui scelera sua excusatione aliqua vel defendere, vel minora facere nituntur: nam e. c. cum aliquis fateatur se ira vehementi fuisse commotum; statim hujus perturbationis causam in alium confert, a quo prius injuriam sibi factam esse queritur: monendus itaque est, hoc elati animi, & hominis peccati sui magnitudinem vel despicientis, vel plane ignorantis signum esse: tum vero ejusmodi excusationis genus ad augendum potius, quam ad minuendum peccatum pertinere: nam qui ita factum suum probare contendit, hoc videtur profiteri, se tunc patientia usurum esse, cum a nemine læderetur: quo quidem nihil homine Christiano indignius esse potest: etenim cum illius vicem maxime dolere debuerit, qui injuriam fecit; tamen non peccati gravitate commovetur, sed fratri irascitur: ac, cum ei præclara occasio oblata fuerit, ut Deum patientia colere, & fratrem mansuetudine sua corrigere possit, salutis materiam ad perniciem suam convertit.*

CAPUT TERTIUM.

De secreto, sive sigillo confessionis.

Superest ut de secreto confessionis dicamus: de eadem enim, utrum frequens & accelerata esse debeat, ubi ad subjectum pœnitentiæ ventum fuerit, expendetur. Quod porro ad sigillum spectat, cum totum confessionis negotium pœnitentem inter & Sacerdotem transigatur, utriusque respectu quæri potest, an secreta necessaria esse debeat? Itaque

Q. 1. Utrum peccata occulta publice confitendi extet aliquod divinum mandatum?

R. negative: divinum namque præceptum vel Scriptura significat, vel traditio; atqui præcepti hujusmodi nullum nec in Scriptura, nec in sacra traditione vestigium est. Ergo &c.

Q. 2. Utrum aliquando in usu fuerit occultorum peccatorum confessio publica?

R. Affirmative. Hoc enim constat,

1. Ex harum confessione mulierum, quæ, ut narrat S. Irenæus supra cap. 1 laudatus, a Marco Hæresiarca corruptæ, publice in Ecclesia crimen suum confessæ sunt.

2. Ex facto nobilis Matronæ, quæ Nectarii Patriarchæ Constantin. ætate, ab hujus Ecclesiæ Diacono constupratam se esse confessa est: quæ revelatio magni scandali, ut observant Socrates & Sozomenus, causa fuit.

3. Præter alia quæ afferri possent exempla, hoc ipsum probatur ex Monachorum veterum instituto, qui referente S. Basilio Magno, peccata sua quantumvis occulta, palam in publico Fratrum conventu declarare jubebantur.

Q. 4. Utrum hodie pœnitentibus, publice confitendi vel facultas fieri possit, vel imponi necessitas?

R. absolute fieri posse, tum ad vindictam scelerum, tum ad pœnitentis humiliationem, tum ad aliorum exemplum & ædificationem Ecclesiæ: non tamen futurum expediens: *Cæterum*, inquiunt Trid. Patres, (*Sess.* 14, *c.* 5) *quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc præcepto divino mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta publica essent confessione aperienda.*

Præclarissimum de hac re S. Leonis Pontificis Max. testimonium est, in Ep. supra laudata, (*Ep.* 136, *al.* 81, *cap.* 2) ad universos Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum

cenum constitutos. " Illam etiam, *inquit*, con-
„ tra Apostolicam regulam, præsumptionem, „ quam nuper cognovi a quibusdam illicita „ usurpatione committi, modis omnibus con- „ stituo submoveri: nec videlicet de singulo- „ rum peccatorum genere, libello scripta pro- „ fessio publicetur: cum reatus conscientia- „ rum sufficiat solis Sacerdotibus indicari con- „ fessione secreta: quamvis enim plenitudo „ fidei videatur esse laudabilis, quæ propter „ Dei timorem apud homines erubescere non „ veretur; tamen quia non omnium ejusmodi „ sunt peccata, ut ea, qui pœnitentiam pos- „ cunt non timeant publicare: removeatur „ tam improbabilis consuetudo, ne multi a „ pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut „ erubescunt aut metuunt, inimicis suis sua „ facta reserari .... sufficit enim illa confes- „ sio, quæ primum Deo offertur, tum etiam „ Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium pre- „ cator accedit. Tunc enim demum plures ad „ pœnitentiam poterunt provocari, si popu- „ li auribus non publicetur conscientia confi- „ tentis.

Q. 4. Utrum saltem peccatores publici ad publicam pœnitentiam & confessionem adigi possint?

R. Affirmative. Hunc enim antiquitus morem obtinuisse, probant pleraque historiæ Ecclesiasticæ monumenta: quod vero olim prudenti Ecclesiæ judicio factum est, etiam in præsenti posse, immo aliquando debere fieri, nemo dubitat: hinc Concilium Trid. (*ses.* 24, *in decr. de reform. c.* 8) *Apostolus*, inquit, *monet*, *publice peccantes palam esse corripiendos: quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum: huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.*

Q. 5. Utrum Sacerdos qui confessionem excepit, tenetur ad secretum?

R. Teneri jure naturæ, divino, & Ecclesiastico.

Pr. 1 pars. Præceptum juris naturalis est: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris; sed qui peccatum confessione cognitum divulgaret, mandatum illud infringeret. Ergo &c. *deinde* jure naturæ tenemur proximi famæ consulere, multoque magis proximum non infamare; atqui Sacerdos arcanum confessionis prodendo proximo inureret notam ignominiæ. Ergo &c. *præterea*, jure naturæ homo tenetur commissum sibi secretum silere: eaque omnium gentium anticipatio est, ab authore naturæ insculpta. Ergo multo magis Sacerdos peccati secretum reserans, quo sanctius ac intimius nullum est, juris naturalis infracti convinceretur.

Pr. 2 Pars. Ideo a Christo instituta confessio est, ut ope salutaris hujus remedii peccata hominis delerentur, & traderentur oblivioni perpetuæ: non minus enim obtinet in nova lege quam in veteri, quod Ezechielis ore promisit Deus: (*Ezech.* 18, 21) *si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatem ejus non recordabor;* atqui si Sacerdos sibi in confessione commissa palam effunderet, ita se gereret, ac si peccata beneficio Sacramenti, nec deleta, nec oblivioni mandata forent: manifesto ergo constitutioni Dominicæ contrairet, ac proinde jus divinum violaret.

Deinde qui finem præcipit, præcipit & media ad illum conducentia; maxime vero ea quæ si abessent, a finis prosecutione homo deterreretur; atqui nisi sigillum confessionis foret inviolabile, ab observando confessionis præcepto facile peccatores removerentur: quis enim tam sui propriæque existimationis negligens est, ut ultro consentiat turpissima facinora a se perpetrata in publicum prodi? itaque servandi secreti legem cum institutione confessionis conjunxisse Christus censendus est: atque adeo sicut promisit, se iniquitatum, quarum pœnitentia vera fuerit, in posterum non recordaturum; (*Ezech.* 18, 22) quanto minus ministris suis permisisse putari debet, ut earum ad inferendam pœnitentibus ignominiam meminissent? & *ideo*, inquit S. Thomas, (*suppl. qu.* 11, *art.* 1, *ad* 2) *sicut præceptum de confessione Sacramentali facienda, est de jure divino, & non potest aliqua dispensatione vel jussione humana homo absolvi ab eo; ita nullus ad revelationem confessionis potest ab homine cogi vel licentiari. Unde si præcipiatur sub pœna excommunicationis jam latæ, quod dicat: si aliquid scit de tali peccato, non debet dicere; quia debet existimare, quod intentio præcipientis est, si sciat ut homo: hoc autem non scit ut homo: etsi etiam exprimeret, de confessione interrogatus, non deberet dicere, nec excommunicationem incurreret, quia non est subiectus superiori suo, nisi ut homo: hoc autem non scit ut homo, sed ut Deus.*

Pr. 3 Pars, Sanctorum decretis.

Reatus conscientiarum, ait S. Leo Magnus supra memoratus, *sufficit solis Sacerdotibus indicari, confessione secreta.*

Vetus Scriptor Libri de salutaribus documentis c. 52: *Sacerdos*, ait, *ut sapiens & perfe-*

ctus medicus, primum sciat curare peccata sua, & postea aliena vulnera detergere, & sanare & non publicare.

Accedit auctoritas Canonis, quem refert Gratianus, (*de pœn. dist.* 6, *c. Sacerdos*) quem alii Gregorio M. alii probabilius Gregorio Papæ VII, vel alteri hujus circiter ætatis adscribunt: *Sacerdos*, inquit, *ante omnia caveat, ne de his qui ei confitentur peccata aliquid recitet, non propinquis, non extraneis, neque (quod absit) pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiose peregrinando pergat.*

Idem adstruitur ex celeberrimo Concilii Later. IV sub Innoc. III coacti Canone: *omnis utriusque sexus*: cujus verba hæc sunt: *caveat autem omnino Sacerdos, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo, aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque expressione personæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus; verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monasterium detrudendum.*

Q. 6. Quæ res cadant sub sigillum confessionis?

R. 1. Secreti lege inviolabili contineri omnia quæ ad Sacramentalem confessionem pertinent; peccata scilicet mortalia, circumstantias speciem mutantes, vel augentes malitiam, peccata complicum sive consciorum, leves omnes circumstantias peccatis adjunctas, ipsaque etiam venialia; quæ quantumlibet parva sint, peccata tamen sunt, & comparate ad claves Ecclesiæ, quibus spontanea confessione subjiciuntur, gravis materia putari debent, tum propter reverentiam Sacramenti, tum quia eorum propalatio odium concitaret confessionis, & fideles ab ejus frequentatione revocaret.

R. 2. Cadere sub sigillum circumstantias omnes peccatorum confessionem concomitantes, quæ licet peccata non sint; tamen in progressu confessionis, vel necessitate aliqua, vel imprudentia, nec sine pudore declarantur: quales sunt defectus natalium, inhabilitates naturales, personales imperfectiones, propensiones malæ, morum rusticitas &c. Hæc enim omnia confessario, ut amico, ut Patri, ut medico, ut consiliario patefiunt: ut ergo amici, & patris, & medici, & consiliarii partes impleat, debet inviolabiliter commissum secretum tenere: *deinde*, Sacramentum pœnitentiæ est in favorem pœnitentium institutum. Porro si Sacerdoti fas esset, defectus hujusmodi propalare, non in favorem, sed in detrimentum pœnitentium clavium potestas exerceretur. Ergo &c. recurrit supra memoratum naturæ principium: *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Quis porro Sacerdos est, sui adeo parum amans, qui non velit integram sibi etiam in rebus minimis constare famam?

Q. 7. Utrum vita functo pœnitente, Sacerdoti liceat confessionem ejus revelare?

R. Negative. Immo eo gravius Sacerdotis peccatum futurum esset, eoque atrocior pœnitenti injuria inferretur, quod tunc ejus læderetur fama, cum nec se ipsum tueri posset, nec scandalum propalatione facinoris excitatum, exemplis meliorious reparare. Quocirca quærere utrum liceat pœnitentis vita functi reserare confessionem, idem est ac quærere utrum liceat aliquem infamare post mortem, & hoc unum ejus bonum, quod ei post mortalem hanc vitam superest, bonum nempe nomen, eripere?

Q. 8. Cujus peccati reus esset Sacerdos, confessionem revelans?

R. Reum futurum sacrilegii & peccati sua natura mortalis, quantumlibet tenuis supponeretur esse culpa quam propalasset. Sacramenta enim irreverenter tractare, & odiosa fidelibus reddere, sacrilegium natura est, & mortale peccatum, atqui hujusmodi scelus esset Sacerdotis, pœnitentis opprobrium detegentis, & quod Deus misericors occultavit, prævaricatione nefaria revelantis. Ergo &c.

Q. 9. Utrum alii præter Sacerdotem secreti lege teneantur?

R. Teneri omnes qui peccata per confessionem Sacramentalem, aut ejus occasione didicerint: nimirum

1. Interpretes, eos scilicet qui pœnitenti, Sacerdotis linguam nescienti, vel vice versa, vicariam linguam accommodant: hoc enim ipso quod interpretum officio defunguntur, cum Sacerdote in actu Sacramentalis confessionis communicant.

2. Superiores a quibus licentia petitur, ab aliquo reservato casu absolvendi.

3. Laicos, quibus, propter Sacerdotis absentiam, & ex devotione (ut olim in usu erat) peccatorum confessio fieret.

4. Denique eos omnes qui, ut sæpe contingit, dum proprius Sacerdotem sacro tribunali assidentem circumstant, confessiones pœnitentium, vel casu, vel deliberato aures præbendo, audiunt.

Ii, inquam, omnes, de iis quæ ex confessione resciverint, linguam divina naturalique lege tenentur comprimere, ne videlicet secretum supremo judici & ejus in terris ministro commissum, eorum imprudentia usquam effluat, & ad perniciem pœnitentium elabatur

Quod

Quod facile intelliget qui ad principia superius constituta attendet.

Q. 10. Utrum Sacerdos ad exteriorem Ecclesiæ aut societatis gubernationem, ejusque utilitatem, cognitione, quam via confessionis habuerit, uti possit?

R. Negative. *Nihil enim*, *inquit S. Thomas*, (*in 4 sent. dist. 21*, *qu. 3*, *art. 1*, & *quodlib. 5*, *quæst. 7*, *art. 11*) *est faciendum in præjudicium confessionis: esset autem præjudicium confessionis, si subditus ab administratione removeretur propter crimen quod suo prælato confessus est; quia per hoc alii retraherentur a confitendo: non ergo debet prælatus subditum ab administratione removere propter peccatum quod ei confessus est .... id quod per confessionem auditur, nullo modo est manifestandum, nec verbo, nec signo, nec nutu: nec etiam aliquid est faciendum, unde in suspicionem peccati aliquis possit devenire. Si ergo amotio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in confessione auditum, vel ad aliquam probabilem suspicionem habendam de ipso, nullo modo prælatus deberet subditum ab administratione removere; puta si in aliquo monasterio esset consuetum, quod priores non amoverentur de suis prioratibus, nisi propter culpam, manifestaretur peccatum pœnitentis per remotionem ab administratione. Unde si Abbas hoc faceret, graviter peccaret tamquam confessionem revelans: posset tamen eum secreto caritative admonere ut cum instantia peteret cessionem, si hoc videret saluti ejus expedire. Si vero per amotionem ab administratione peccatum nullatenus manifestaretur; puta si in aliquo monasterio esset consuetum, quod Abbas pro suo libitu de facili aliquos ab administratione removeret; tunc, alia occasione accepta, posset subditum sibi confessum, ab administratione removere, & deberet hoc facere, cum debita tamen cautela, si talis administratio esset subdito periculosa in posterum. Quamvis etiam & in hoc casu melius esset, quod eum induceret ad cessionem petendam. Si vero periculum in posterum non timeretur, non oporteret quod pro peccato præterito, per pœnitentiam deleto, eum ab administratione removeret: sicut etiam Aug. dicit lib. de Adulter. conjugiis*: cur adhuc deputamus adulteros, quos credimus pœnitentia esse sanatos? *quandoque enim pœnitentes innocentibus meliores sunt*.

Idemque a Clemente VIII Pontifice Max. definitum: (*anno 1594*, *die 16 Maij*) *tam superiores pro tempore existentes*, inquit, *quam confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur*.

Objectio.

At, inquies, sigilli servandi lex, debito justitiæ & caritatis strictior esse non potest; atqui secretum in confessione commissum, si de peccato agatur vergeute in Ecclesiæ exitium, & magnum principis aut reipublicæ detrimentum, revelari caritas & justitia postulant. Quid enim si quis clanculum disseminet hæresim fidei capitaliter adversantem, si mysteriorum ministerio ad corrumpendos plurium mores abutatur, si eversionem boni publici machinetur, si contra. Monarcham conspiret; numquid in his tanti momenti casibus, ne reveletur perditi unius homuncionis improbitas, æquitas caritasque cum tanto Ecclesiæ & stastus detrimento silebunt? Ergo &c.

R. Cum S. Thoma, concessa maj. n. min. *Nec verbo*, *inquit ille*, (*quodlib. 13*, *qu. 10*, *art. 1*) *nec facto, nec nutu, nec aliquo signo licet in aliquo casu revelare confessionem, quia est sacrilegium. Nam ita est in Sacramentis novæ legis, id efficiunt quod figurant: effectus autem pœnitentiæ est, occultatio peccatorum ab oculis Dei viventis: & hæc occultatio significatur per Sacramentum confessionis: & ideo sicut prophanaret Sacramentum qui conficeret Corpus & Sanguinem Christi, de alio quam de pane & vino; ita esset revelans sacrilegus ... nec tamen*, inquit idem, (*suppl. q. 11*, *art. 1*, *ad 1*) *sigillum confessionis contra caritatem militat, quia caritas non requirit quod apponatur remedium peccato quod homo nescit. Illud autem quod confessione scitur, est quasi nescitum; cum illud nesciat aliquis ut homo, sed ut Deus* (Dei scilicet vices gerens:) *tamen aliquod remedium adhibere debet, in prædictis casibus, quantum potest, sine revelatione confessionis: sicut monendo eos qui confitentur, & aliis diligentiam apponendo, ne corrumpantur per hæresim. Potest etiam dicere prælato, quod diligentius vigilet super gregem suum: ita tamen ut non dicat aliquid per quod verbo vel nutu confitentem prodat*.

Ita Angelicus Doctor. Quod autem de prælatis Ecclesiæ dicit, quod debeant eo casu a confessario admoneri, ut gregi invigilent diligentius, modo ne ulla ratione reum indicent; de Principibus pariter & Reipublicæ Præsidentibus, cum eadem cautione intelligi debet. Eos enim oportet de conspiratione, & attentato contra Monarcham, aut Reipublicæ tranquillitatem atroci consilio fieri certiores, ut possint ingruenti malo afferre remedium;

dum; ita tamen ut persona rei vel complicum nominatim & in individuo, nec directe nec indirecte manifestetur; alioquin enim sub justitiæ, caritatis, ac pietatis obtentu, justitia, caritas, & pietas, nullibi magis quam in Sacramento servandæ, violarentur.

Q. 11. Utrum Sacerdos cui sola confessione compertum est, indignum aliquem esse Ecclesiastica dignitate, vel cœnobii præfectura, possit ei suffragium denegare, & electioni ejus resistere?

R. Affirmative. Res enim libera electio est, & denegandi suffragii, præter peccatum confessione cognitum, causa multiplex esse potest: adeoque violati sacri sigilli, qui ita se gereret, nedum reus esset, ne suspicionem quidem incurreret: *ex multis aliis causis*, inquit S. Thomas, *redditur aliquis indignus ad prælationis officium, quam ex peccato; sicut ex defectu scientiæ vel ætatis, vel alicujus hujusmodi: & ideo qui contradicit, nec suspicionem de crimine inducit, nec confessionem revelat*.

Et S. Antoninus: *qui liberam electionem habet*, inquit, (3 *part. tit.* 16, *c.* 22) *licet per solam confessionem sciat aliquem indignum ad prælaturam, ad quam eligitur, quem alias putabat dignum, non debet eligere ex conscientia sibi sic dictante: quia eligendo scienter dignum vel indignum, negotium geritur inter ipsum & Deum: unde potest etiam ex his quæ scit ut Deus, judicare in proposito*.

Q. 12. Utrum pariter propter crimen sola confessione cognitum, possint Sacramenta negari?

R. Negative. Nec enim sicut libera ad dignitatem Ecclesiæ electio est: ita censetur libera Sacramentorum administratio: quemadmodum itaque peccatori occulto Eucharistiam publice petenti, Sacerdos negare non potest, nec debet; sed potestatem solam habet privatim monendi, ne ad sacram mensam indigne accedat: ita nec Episcopus ordines; nec seminarii superiori aut director ordinandorum testimonium de vita & moribus, nec Parochus nuptialem benedictionem negare debent eis, quorum crimen vel impedimentum ex sola confessione noverunt: nisi alia occurrat ratio sufficiens, & extra confessionem cognita, ad indignos a Sacramentorum participatione arcendos: alioquin enim sigillum confessionis infringerent, fideles ab ejus exercitio revocarent, ipsique Sacramento injuriam facerent.

Q. 13. Utrum volente pœnitente sigillum confessionis abrumpere liceat?

R. Affirmative. Tum quia volenti non fit injuria: tum quia in hac hypothesi Sacerdos non ut Deus tantum, sed etiam ut homo peccata cognoscit. *Dicendum*, inquit S. *Thomas* (*in* 4 *sent. dist.* 21, *qu.* 3, *artic.* 2, *in c.*), *quod duo sunt, propter quæ Sacerdos tenetur peccatum occultare. Primo & principaliter, quia ipsa occultatio est de essentia Sacramenti, in quantum scit illud ut Deus, cujus vicem gerit ad confessionem: alio modo propter scandalum vitandum. Potest autem pœnitens facere, ut illud quod Sacerdos sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo: quod facit dum licentiat eum ad dicendum: & ideo si dicat, non frangit sigillum confessionis: tamen debet cavere scandalum dicendo, ne fractor sigilli prædicti reputetur* . . . . hinc S. Carolus, (*par.* 2 *instruct. c.* 20) *si sacerdos*, inquit, *necessitate coactus cum ipsomet pœnitente de peccatis loqui debeat: id non nisi ante habita venia faciat*.

Est tamen hæc licentia quibusdam conditionibus coercenda. 1 Debet vera ejus esse necessitas, ne inanibus & periculosis colloquiis locus detur; aut si frequentius concedatur, confessio in contemptus & invidiæ periculum adducatur. 2 Liberrime debet a pœnitente concedi: si enim extorta foret aut coacta, sacerdos a peccato excusari nulla ratione posset. 3 Expressa esse debet, nec tantum præsumpta.

Objectio.

Contra sigilli legem sic disputare aliquis potest: confessio ut vera sit, debet formalem, ut prædiximus, integritatem habere; atqui aliquando accidit, aut contingere saltem potest, ut confessio sine fractione sigilli integritatem non habeat: quod monstratur exemplo: sint in quodam oppido tres solum Sacerdotes, quorum unus absolvat alterum ab irregularitate, a qua absolvendi potestatem non habet. Jam hujusmodi Sacerdos tertio plenam facere confessionem non poterit, nisi declarando se vera potestate destitutum absolvisse presbyterum aliquem ab irregularitate, hacque sua prævaricatione causam ei fuisse, sacerdotali ministerio cum censuræ vinculo defungendi. Ergo &c.

R. concessa maj. n. min. Ad exemplum, aliaque similia quæ afferri possunt, dico teneri Sacerdotem in hoc casu talem circumstantiam prætermittere, nec propterea confessionem formali integritate carere, quia id omne declarat quod potest, & debet: quod ut intelligatur, notandum longe strictiorem esse servandi sigilli legem quam præceptum ex integro confitendi. Sigilli namque lex, jure naturali, divino, ac positivo fundatur; at præceptum confitendi, jure quidem divino positivo nititur, nequaquam vero naturali: itaque præ-

præceptum de non revelando secreto longe inviolabilius est: unde æquum est ut in iis circumstantiis aliquid de materiali confessionis integritate tollatur, ne tantisper offendatur secretum sigilli: quomodo plerumque contingit præcepta aliqua positiva prætermitti debere, ad servandam, quæ plenitudo legis est, caritatem.

Deinde, præceptum de non reserando confessionis secreto, negativum est de re intrinsece mala: quam proinde nullo casu licet admittere: e contra affirmativum est præceptum confessionis, cujus omissio in præsenti innoxia est: perinde enim se habet pœnitens, ac si confessarii copiam non haberet: debet tamen providere sibi, ut quam primum commode poterit, alium alterius loci adeat Sacerdotem, cui sine revelationis periculo ex integro conscientiam patefaciat.

Dices. Quando pœnitens peccata explicare aliter non potest, quam personam socii revelando, potest, immo debet revelare, ne nimirum confessionem irritam faciat. Ergo a pari tenetur Sacerdos peccatum in confessione auditum, & personam ipsam detegere, si aliter integra nequit esse confessio.

R. nego conseq. & paritatem. Discrimen est:

1. Qui peccatum commisit cum altero, secreto inviolabili non tenetur; cum possit, immo aliquando debeat complicem, vel judici ad ultionem, vel superiori ad correctionem manifestare: unde a fortiori consequens est, hoc ipsum in confessione posse: at vero Sacerdos jure tum naturali, tum divino, tum positivo secreti lege tenetur.

2. Pœnitens consortem criminis declarando, utitur jure suo, propriæ nimirum securitati consulit & utilitati; etiamsi aliquod inde secuturum prævideatur incommodum proximi; at vero sacerdos nullum jus habet in peccata, sibi, non ut homini, sed ut Deo in confessione detecta. Cum enim Christus Sacramentum in favorem pœnitentium instituerit; strictissimum voluit & inviolabile confessionis esse secretum: cumque ipse promiserit pœnitentibus, de peccatis expiatis silentium, non plus debuit permittere ministris suis, quam sibi. Sequitur

QUÆSTIO SEXTA.

De satisfactione.

Satisfacere, Latinis Scriptoribus est, tantum facere, quantum irato satis sit ad vindictam: hinc satisfactio Deo facienda generatim definiri potest, *voluntaria castigatio ad resarciendam injuriam Deo illatam, & pœnam peccato debitam redimendam:* quatenus vero pars est Sacramenti, describitur, *voluntaria pœnæ, a Sacerdote in pœnitentiæ tribunali impositæ perpessio, ad compensandam injuriam Deo illatam, ipsumque placandum, cum firmo proposito peccata in posterum omni studio vitandi.*

De illa, duplici capite dicturi sumus: in primo ejus contra hæreticos necessitas vindicabitur: in altero expendetur, quis sit satisfactioni modus ponendus.

CAPUT PRIMUM.

De necessitate satisfactionis.

Satisfactionis Deo faciendæ necessitatem de medio abstulerunt Lutherus, Calvinus, eorumque sectatores. Cujus erroris causam triplicem afferebant. Prima erat, quia, inquiebant, non potest peccatum condonari a Deo, quin simul pœnæ totius tum æternæ, tum temporalis plena remissio fiat. Secunda, quia putabant hujusmodi satisfactionibus satisfactioni a Christo pro nobis exhibitæ injuriam irrogari. Tertia, quia negabant, Deo pro peccatis, quantum ad pœnam temporalem posse satisfieri per pœnas quæ sive a Deo infliguntur, sive a Sacerdotibus imponuntur, seu denique sponte ac voluntario a pœnitente suscipiuntur. Contra eos sit

§. PRIMUS.

Hæresis refutatur.

Pravis ac paradoxis dogmatibus Concilium Trid. decreta opposuit quæ sequuntur:

Si quis dixerit, (*Sess. 14, Can. 12*) *totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo; satisfactionemque hominum non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse: anathema sit.*

Si quis dixerit, (*ib. Can. 13*) *pro peccatis quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus; atque adeo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam: anathema sit.*

Si quis dixerit, (*ib. Can. 14*) *satisfactiones quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, Doctrinam de gratia & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes: anathema sit.*

Si quis dixerit (*ib. Can. 15*) *claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum: & propterea Sacerdotes, dum*

dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi, & fictionem esse quod virtute clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat: anathema sit.

His positis pro Catholicæ fidei fundamento:

OSTENDITUR PRIMO.

Peccatum posse condonari a Deo, simulque solvi pœnæ æternæ reatum, manente debito pœnæ temporalis.

Fidei namque est, hominem statim atque Deo reconciliatur, & a mortali peccato absolvitur, liberari a reatu pœnæ æternæ, qui non potest cum justificatione & amicitia Dei consistere; arqui non idem de pœna temporali sive præsentis vitæ, sive futuræ potest affirmari, quam etsi a Deo plene absoluteque remitti posse non negamus; revera tamen secundum leges a se constitutas non condonari, tum Scripturarum auctoritas, tum traditionis Doctrina convincit.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex Scriptura.

Scripturæ, inquam, auctoritas: ille enim non liberatur ab officio satisfaciendi, cui, accepta gratia justificationis, pœnæ temporales adhuc luendæ supersunt; atqui homini, etiam post acceptam a peccato & reatu æternæ pœnæ solutionem, divina ordinatione superesse pœnam temporalem persolvendam, multis exemplis Scriptura testatur.

Sic nemo dubitat Adamum pœnitentem rediisse cum Deo in gratiam, & in statum justitiæ quam peccando amiserat, restitutum: *eduxit illud a delicto suo*, inquit Sapiens: (*Sap.* 10, 2) idemque de Eva dicendum; atqui contra utrumque in ultionem rebellionis diversæ pœnæ temporales, ipsaque mors, divina sic exigente justitia, sunt decretæ; dictum enim Adamo: (*Gen.* 3, 17, & *seqq.*) *quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes; maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi . . . in sudore vultus tui vesceris pane . . . . pulvis es, & in pulverem reverteris* . . . . Evæ pariter dictum: (*ib. v.* 16) *multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: in dolore paries filios: & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Ergo &c.

Similiter certum est Israelitas post exitum de Ægypto, tam sæpe in Deum rebelles, idoli manufacti insanos cultores, murmuratione sacrilega, multisque aliis contaminatos criminibus, veniam a Deo ad precem Moysi esse consecutos: *usquequo, dixit Dominus ad Moysen*, (*Num.* 14, 11, & *seq.*) *detrahet mihi populus iste? quosque non credent mihi in omnibus signis quæ feci coram eis? feriam igitur eos pestilentia atque consumam* . . . . cui Moyses: *dimitte obsecro peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto, usque ad locum istum* . . . . Dominus vero: *dimisi*, inquit, *juxta verbum tuum*, &c. atqui quamquam a reatu æternæ damnationis soluti, pœna temporali, eaque gravissima mulctati sunt: *attamen*, ait, (*ib. v.* 22, & *seq.*) *omnes homines qui viderunt majestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto & in solitudine, & tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam* . . . . *dic ergo eis: vivo ego, ait Dominus, sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis: in solitudine hac jacebunt cadavera vestra: omnes qui numerati estis a viginti annis, & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis terram super quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem* . . . . *filii vestri erunt vagi in deserto, annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera patrum in deserto*, &c. Ergo &c.

Negari pariter non potest, Moysen & Aaron veniam impetrasse peccati incredulitatis quod in Deum admiserant, cujus in libro Numer. mentio est: (*Num. c.* 20) atqui nihilominus in hujus criminis vindictam pœna temporali damnati sunt: *dixit Dominus ad Moysen & Aaron*, ait Textus Sacer; (*ib. v.* 12, & *seq.*) *quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo vobis* . . . . *pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo* . . . . eademque Moysen sententia ferit: *ascende ad montem istum*: . . . ait illi Deus (*Deut.* 32, 49, & *seq.*) & *morere* . . . *sicut mortuus est Aaron frater tuus* . . . *quia prævaricati estis contra me, in medio filiorum Israel* . . . *videbis terram quam ego dabo filiis Israel, & non ingredieris in eam.*

Habemus ejusdem rei palmare in Davide exemplum, cui Deus adulterii & homicidii peccata non alia conditione remisit, nisi ut pœnam temporalem lueret. Cum enim increpatus a Propheta dixisset: (2 *Reg.* 12, 13) *peccavi Domino*, vicissimque audivisset: *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris*: gravissima

vissima nihilominus sententia plexus est. Adjunxit enim Nathan: *verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Dei propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur*.

Vide alterum hujus rei in eodem Rege exemplum, libro primo Paralipomenon c. 21.

Denique, ut alia multa prætere am, ejusdem veritatis in universo genere humano exemplum convincentissimum est: de quo propter Originale peccatum pœnas etiamnum sumit Deus, ne iis quidem exceptis qui in Christo per baptismum renati sunt, aut in lege veteri, circumcisione expiabantur: *per unum hominem*, dicit Apostolus, (*Rom.* 5, 12) *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*.

Nec est, quod cum Calvino dicatur, divino judicio mortem omnibus esse decretam, non ut castigationem & pœnam, sive satisfactionem, sed ad incitamentum virtutis. Nam præterquam quod Scripturæ contraria hæc opinio est; Deus enim Adamo si peccaret, mortem, non ut virtutis probatio foret, sed in ultionem prædixerat: (*Gen.* 17) *quocumque die comederis ex eo, morte morieris*: non adulti tantum, sed & infantes moriuntur, antequam usum rationis attigerint; atqui nequit illis esse mors exercitium aut incitamentum virtutis ut de se patet. Ergo &c.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex Patribus.

Nec minus evidens est Doctrina Sanctorum: *sic S. Joannes Chrysost. ne post peccata*, inquit, (*hom. de pœnit. & confes.*) *efficeremur deteriores, si inulta ea relinqueret, nobis Deus supplicium non remisit: sed vidit hoc manifeste, quod peccatis ipsis damnosum sit, non puniri: propter hoc imposuit pœnam*.

Et S. Aug. in hæc Ps. verba: ecce enim veritatem dilexisti, incerta & occulta Sapientiæ tuæ manifestasti mihi: *hoc est*, inquit, (*enarrat. in Ps.* 50) *impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscis, non reliquisti. Sic prorogasti misericordiam, ut servares & veritatem*.

S. Gregorius M. nequaquam igitur, ait, (*lib.* 9 *moral. c.* 27) *peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. Sic David audire post confessionem meruit*: Dominus transtulit peccatum tuum; *& tamen multis post cruciatibus afflictus, reatum culpæ quam perpetraverat exolvit*.

Quid vero opus est, in inquirendis Patrum sententiis laborare, cum hujus veritatis in antiqua Ecclesiæ fide ac disciplina ineluctabilis nullaque eludenda subtilitate probatio sit?

1. Namque dari Purgatorium locum, in quo animæ defunctorum, depositis hujus mortalitatis exuviis, debitas peccatis temporales pœnas rependunt, fides Ecclesiæ est, a majoribus accepta, & utriusque testamenti auctoritate innixa, quam, nisi alterius temporis quæstio foret, facile cujusvis generis argumentis adstrueremus; atqui non minus ad fidem pertinet, animas in Purgatorio detentas, antequam e corporibus emigrarent, justificatione donatas esse, & reatu æternæ damnationis Deo miserante solutas. Ergo ad fidem pariter pertinet, peccatum condonari a Deo, simulque resolvi æternæ damnationis reatum, manente debito pœnæ temporalis. „ Si quis post acceptam justificationis gratiam, ait Trid. Concilium, „ (*Sess.* 6, *Can.* 30) cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ „ vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus „ patere possit: anathema sit. „

2. Fidelibus morti proximis absolutionem a peccatis, ipsamque Corporis & Sanguinis Christi communionem esse concedendam, etiam si post peccatum nulla laboriosæ pœnitentiæ opera edidissent, vetus disciplina est, florentissimis ipsis Ecclesiæ temporibus observata: unde consequens erat, ut peccata iis esse remissa, & salutem æternam assertam confideret: alioquin enim nec reconciliationem, nec participationem Corporis Christi iis concessisset; atqui iisdem, si postea sanitatem recuperarent, pœnas canonicas, easque gravissimas imponebant; credebat ergo etiam remisso peccato, & peccatore in gratiam restituto, superesse pœnas temporales, vel in præsenti, vel in sequenti vita luendas: atque adeo Deum peccata impunita non relinquere eorum quibus ignoscit....

OSTENDITUR SECUNDO

Satisfactione pœnitentium satisfactioni Christi non derogari.

Præcellentissima in hoc capite, ut in cæteris, Concilii Trident. Doctrina est, & licet compendio tradita, maxima sensuum & argumentorum copia affluens. „ Dum, inquit, „ (*Sess.* 14, *c.* 8) satisfaciendo patimur pro „ peccatis, Christo Jesu qui pro peccatis no„ stris satisfecit, ex quo omnis nostra suffi„ cientia est, conformes efficimur, certissi„ mam quoque inde arrham habentes quod si „ com-

„ compatimur & conglorificabimur: neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum. Nam qui ex nobis, tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo unde glorietur; sed omnis gloria nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre “.

Inde contra hæreticos sic disputamus:

1. Ideo per satisfactionem pœnitentium satisfactioni Christi detraheretur, quia bona opera quibus Deum placare satagerent, essent illorum, non Christi: atqui satisfactio omnis, quam pœnitentes pro suis peccatis exsolvunt, non illorum est: ut non sit præcipue per Christum Jesum, ex quo omnis eorum sufficientia est, sine quo *immundi omnes essent, & quasi pannus menstruatæ, universæ justitiæ eorum*; (*Isai.* 64, 6) a quo tamquam membra a capite, tamquam palmites a vite, virtutem omnem recipiunt; cujus denique gratia bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & sequitur. Ergo perperam ab heterodoxis obtenditur, per satisfactionem nostram, satisfactioni Christi injuriam fieri. Res exemplo fiet illustrior: sit aliquis subditus, sive adversis fortunæ casibus, sive prodigalitate & patrimonii dilapidatione, ad extremam redactus miseriam, æreque alieno undequaque onustus; in illum Princeps misericordes conjiciat oculos, tantamque in eum liberalitatem exerceat, ut & laute deinceps, uti consueverat vivere, & debita possit universa exsolvere. Numquid erit ille injurius principi, si creditoribus vere satisfacisse se dicat? numquid e contra non erit hæc laus & prædicatio munificentiæ Principis? quid vero aliud Catholica Ecclesia profitetur, quæ quidquid bonorum operum cernit a pœnitentibus, ut Deo satisfaciant adimpleri, a meritis Christi descendere, quam vere, tam humiliter recognoscit?

3. Satisfactioni Christi pœnitens sine dubio derogaret, si quidquam sibi arroganter tribueret, & de bonis suis operibus auderet non in Domino gloriari; atqui quem vere pœnitet, quantumlibet splendidissimis satisfactionis operibus studeat illatam Deo injuriam compensare; non habet unde glorietur, sed omnis gloria ejus in Christo est, in quo vivit, in quo movetur, in quo satisfacit, faciens fructus dignos pœnitentiæ qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre: quis enim, amabo, gloriandi locus ei relinquitur, qui totum quod habet accepit: qui non est sufficiens boni aliquid a se cogitare, quasi ex se; qui non posset dicere: *Dominus Jesus*, nisi gratia ejus præveniretur; qui denique sine illo nil facere potest, nedum valeat Deo facere satis? Ergo &c.

3. Quærimus a Lutheranis & Calvinistis, numquid ad Christi imaginem, redemptos ab eo & vocatos ad hæreditatem incorruptibilem homines reformari, Christi injuria sit? atqui, ajunt Patres Trid. *dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur.* “ Hujusmodi enim „ pœnarum perpessione, ait ejusdem Concilii Catechismus, (*par.* 2, *tit. de pœnit. n.* 69) consequimur ut capitis nostri Jesu Christi, in quo passus est ipse & tentatus, similitudinem & imaginem geramus. Nihil enim tam deforme videri potest, ut a S. Bernardo dictum est, quam sub spinoso capite delicatum esse membrum. Nam teste Apostolo *cohæredes sumus, si tamen compatimur*, & quod alio loco scripsit, *si commortui sumus, & convivemus; si sustinebimus, & conregnabimus ....* “ hæc vero adeo horribilis deformitas est, quam sub obtentu pietatis, novi (si Deo placet) reformatores invehere impetu in Ecclesiam facto conati sunt satisfactionis & bonorum operum profligando necessitatem, solaque fide, (sive fiducia per Christum remitti peccata,) effutiendo salutis negotium adimpleri. Quod quid aliud fuit, quam penitus diruere Evangelium in pœnitentiæ ac satisfactionis lege fundatum, corruptioni & impœnitentiæ laxare habenas, & cæli ostium claudere, quo nemo nisi qui Christi imitator fuerit, admittetur? Ergo &c.

OSTENDITUR TERTIO

Pœnas Temporales a Deo peccatoribus intentatas, posse per pœnitentiam & bona opera redimi, quæ veræ satisfactionis rationem habeant.

Hoc enim Scriptura multis locis expresse declarat: *si clausero cælum*, inquit Deus, (*Paral.* 2, 7, 13) *& pluvia non fluxerit, & mandavero, & præcepero locustæ ut devoret terram, & misero pestilentiam in populum meum: conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam a viis suis pessimis; & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum.*

Si pœnitentiam egerit, (*Jer.* 18, 8) *gens illa a malo suo quod locutus sum adversus eam:*

eam: agam & ego pænitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei.

Idemque Jonæ prædicatio præclarissime attestatur: *cæpit Jonas*, (*Jon.* 3, 4 *& seq.*) *introire in civitatem itinere unius diei*: *& clamavit*, *& dixit*: *adhuc quadraginta dies*, *& Ninive subvertetur*: *& crediderunt viri Ninivitæ in Deum*, *& prædicaverunt jejunium*, *& vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem &c.* . . . . *& vidit Deus opera eorum*, *quia conversi sunt de via sua mala*: *& misertus est Deus super malitiam*, *quam locutus fuerat ut faceret eis*, *& non fecit*.

Consentit Doctrina Patrum. " Satisfactio, ,, inquit Tertullianus (*lib. de pænit. c.* 8, *&* ,, 9) confessione disponitur, confessione pœ- ,, nitentia nascitur, pœnitentia Deus mitiga- ,, tur; itaque Exomologesis prosternendi & hu- ,, milificandi hominis disciplina est, conversa- ,, tionem injungens misericordiæ illicem: de ,, ipso quoque habitu & victu mandat, sacco ,, & cineri incubare, corpus sordibus obscura- ,, re, animum mœroribus dejicere, illa quæ ,, peccavit, tristi tractatione mutare . . . ple- ,, rumque vero jejuniis preces alere, ingemi- ,, scere, lacrymari, & mugire noctes diesque ,, ad Dominum Deum suum, Presbyteris ad- ,, volvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus ,, Fratribus legationes deprecationis suæ injun- ,, gere: hæc omnia Exomologesis, ut pœniten- ,, tiam commendet, ut de periculi timore Do- ,, minum honoret, ut in peccatorem ipsa pro- ,, nuntians, pro Dei indignatione fungatur, & ,, temporali afflictione æterna supplicia, non di- ,, cam frustretur, sed expungat . . . in quan- ,, tum non peperceris tibi, in tantum tibi De- ,, us, crede, parcet ".

S. Cyprianus: (*tract. de laps.*) " quam ma- ,, gna deliquimus, tam granditer defleamus: ,, alto vulneri diligens & longa medicina non ,, desit: pœnitentia crimine minor non sit. ,, Putas ne Dominum cito posse placari, quem ,, verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præ- ,, ponere maluisti, cujus templum sacrilega ,, contagione violasti? putas facile eum misere- ,, ri tui, quem tuum non esse dixisti? orare ,, oportet impensius & rogare, diem luctu tran- ,, sigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tem- ,, pus omne lacrymosis lamentationibus occupa- ,, re, stratos solo adhærere cineri, in cilicio ,, & sordibus volutari; post indumentum Chri- ,, sti perditum, nullum hic jam velle vestitum; ,, post diaboli cibum, malle jejunium, justis ,, operibus incumbere, quibus peccata purgan- ,, tur; eleemosynis frequenter insistere, qui- ,, bus animæ a morte liberantur ".

S. Aug. (*enarrat. in Ps.* 50) " impunita, ,, inquit, peccata eorum etiam quibus ignoscis ,, non reliquisti . . . ignoscis confitenti, igno- ,, scis se ipsum punienti . . . (*Ep.* 153, *alias* 54, *ad Macedonium*) nihil aliud agit, ,, quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod ma- ,, li fecerit, impunitum esse non sinat. Eo quip- ,, pe modo sibi non parcenti ille parcit, cu- ,, jus altum justumque judicium nullus contem- ,, ptor evadit ".

S. Gregorius M. (*lib.* 9 *moral. cap.* 27) ,, Dominus delictum sine ultione non deserit: ,, aut enim ipse hoc homo in se pœnitens pu- ,, nit, aut Deus vindicans percutit ".

Inde sic argumentor, satisfactio est spontanea castigatio peccatoris, ad resarciendam injuriam Deo illatam, & pœnam peccato debitam expungendam; atqui operibus pœnitentiæ vel ultro susceptis, vel a Sacerdote impositis definitio hæc bene convenit, uti ex Scripturæ & patrum testimoniis adductis facile eruitur: unde iterum sequitur satisfactionis necessitatem ac virtutem, nefario & contra fidei Catholicæ veritatem negari. Ergo &c.

§. SECUNDUS.

Eliduntur Hæreticorum cavilli.

Objiciunt. In Sacramento baptismi, nulla pro peccatis exigitur satisfactio, ut constat ex perpetua Ecclesiæ praxi, & evidenter parvulorum exemplum demonstrat. Ergo constare pariter absque ullis satisfactionis operibus Sacramentum penitentiæ potest.

℟. concesso ant. n. conseq. & paritatem. Discrimen utriusque a Dei voluntate peti debet, qui in baptismo plenam voluit pœnarum esse remissionem, in pœnitentia noluit; cujus si causam requiras, non alia plausibilior dari potest, quam quia peccata post baptismum perpetrata, atrociora iis sunt quæ baptismum præcesserunt, & ideo uberioribus lacrymis, & gravioribus laboribus expianda. " Alius est, ,, *inquit Concilium Trid.* (*sess.* 14, *cap.* 2). ,, baptismi, alius penitentiæ fructus: per ba- ,, ptismum enim Christum induentes nova pror- ,, sus in illo efficimur creatura, plenam & in- ,, tegram peccatorum omnium remissionem con- ,, sequentes: ad quam tamen novitatem & in- ,, tegritatem per Sacramentum pœnitentiæ, si- ,, ne magnis nostris fletibus & laboribus, di- ,, vina id exigente justitia, pervenire nequa- ,, quam possumus: ut merito pœnitentia labo- ,, riosus quidam baptismus a Sanctis Patribus ,, dicta fuerit . . . . (*ib. c.* 8) sane & divi- ,, næ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ,, ab eo in gratiam recipiatur, qui ante ba- ,, ptismum per ignorantiam deliquerit; aliter ,, vero qui semel a peccati & dæmonis servi- ,, tute

„ tute liberati, & accepto Sp. Sancti dono, sci-
„ enter templum Dei violare, & Sp. Sanctum
„ contristare non formidaverint".

Inst. 1. prob. conseq. Valet paritas, si sententia de necessitate satisfactionis deroget merito passionis & satisfactionis Christi; atqui doctrina hæc revera meritum passionis Christi obscurat ac minuit: *quid enim nobis Salvator contulit passione & morte sua*, inquit Calvinus, *si adhuc pro peccatis pœna exigitur? cur vero in Scripturis dicitur omnia peccata nostra portasse, & lavisse nos a peccatis in Sanguine suo, si non omnem pœnam implevit, quæ peccatis hominum debebatur?* Ergo &c.

℞. concessa maj. n. min. Hæc enim satisfactio merito passionis Christi nil derogat, quæ quidquid virtutis habet, a Passione Christi habet; atqui quidquid efficaciæ habent satisfactoria opera, quæ a pœnitentibus exiguntur, totum a Passione & morte Christi tamquam a fonte derivant, ut ex Concilio Trid. prædiximus: nec urget quod Calvinus velut peremptorium inflatis buccis opponit: *quid nobis Christus contulit morte sua, si adhuc pro peccatis pœna exigitur?* contulit enim quod conferre maximum ac pretiosissimum poterat, liberationem ab æterna pæna, & restitutionem in spem beatæ immortalitatis. Contulit gratias omnes, quas de plenitudine ejus accepimus: totum denique præstitit, quod bonum, quod sanctum in homine est. Christus enim ejus tamquam caput in membra, & vitis in palmites, vitam, gratiam, omnemque pietatis motum, in eos qui sibi caritate conjuncti sunt, indesinenter effundit: unde omnis nostra satisfactio vim habet & efficaciam ex merito Christi, per illam nobis applicato: licet enim sufficientissima se ipsa fuerit ejus satisfactio: nobis tamen per satisfactiones proprias applicari debet: nec possunt huic doctrinæ repugnare hæretici, nisi sibi ipsis contrarii sint; cum doceant merita Christi per fidem applicari credentibus, nec ideo tamen existiment fide nostra aliquid de merito Passioni ejus imminui.

Inst. 2. Atqui ita Christus pro peccatis omnium satisfecit, nullum ut reliquerit hominibus debitum satisfaciendi. Ergo &c. probat subs. Nemo tenetur ad impossibile; atqui impossibile est, ut homo Deo satisfaciat pro peccatis. Ergo &c.

℞. nego subs. ad probat. concessa maj. dist. min. impossibile est, ut homo Deo satisfaciat pro peccatis, *ad æqualitatem quantitatis*, conc. *ad æqualitatem proportionis*, n. min. & conseq.

℞. Verbis S. Thomæ. *Dicendum*, inquit, (*suppl. qu. 13, art. 1, in c.*) *quod homo Deo dupliciter debitor efficitur: uno modo ratione beneficii accepti, alio modo ratione peccati commissi: & sicut gratiarum actio vel latria . . . respicit debitum accepti beneficii; ita satisfactio respicit debitum peccati commissi: in his autem honoribus qui sunt ad Deum, impossibile est, æquivalens reddere secundum quantitatem; sed sufficit ut homo reddat quod potest: quia amicitia non exigit æqualitatem, sed quod possibile est: & hoc etiam est æquale aliqualiter, scilicet secundum proportionalitatem . . . . similiter est ex parte satisfactionis. Unde non potest homo Deo satisfacere, si ly satis, æqualitatem quantitatis importet: secus vero, si importet æqualitatem proportionis: & hoc sicut sufficit ad rationem justitiæ: ita sufficit ad rationem satisfactionis. Hactenus S. Thomas: hinc merito Concilium Trid. si quis dixerit*, inquit, (*Sess. 14, can. 13*) *pro peccatis quoad pœnam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus; atque adeo veram pœnitentiam esse tantum novam vitam: anathema sit.*

Inst. 3. Atqui ne ad proportionem quidem potest Deo ab homine satisfieri. Ergo &c.

Prob. subs. Tribus modis.

1. Offensa Dei, respectu objecti infinita est; atqui homo finitus est; & opus ejus finitum: atque adeo adæquare offensam non potest. Ergo &c.

2. Nihil potest homo offerre Deo, quod ei non debeat saltem titulo creationis & conservationis; atqui satisfactio debet fieri operibus alias indebitis. Ergo &c.

3. Ita homo proclivis est ad peccandum, ut bona ipsa quæ facit opera, ipsamque quam conatur exhibere satisfactionem, novis continuo peccatis inficiat; atqui non satisfacit, qui peccat. Ergo &c.

℞. nego subs. & argumenta contraria resolvo sigillatim.

Ad 1. juxta S. Thomæ Doctrinam modo expositam dist. min. Opus hominis quippe finitum offensam adæquare non potest, *secundum quantitatem*, conc. *secundum proportionem*, n. vel aliter cum Præceptore Angelico dist. eamdem min. opus hominis est finitum, *ratione sui*, conc. *quatenus gratia informatur & animatur*, n. min. & conseq. " Dicendum, inquit, (*suppl.*
„ *qu. 13, art. 1, ad 1*) quod sicut offensa ha-
„ buit quamdam infinitatem divinæ majestatis;
„ ita etiam satisfactio accipit quamdam in-
„ finitatem ex infinitate divinæ misericordiæ,
„ prout est gratia informata, per quam acce-
„ ptum redditur quod homo reddere potest".

Ad secundum, dist. maj. Nihil potest homo offer-

offerre Deo, quod ei non debeat saltem titulo creationis; *aliunde vero Deus pro summa sua erga homines bonitate, non omnia exigit, secundum leges a se præscriptas*, conc. *secus*, n. maj. & ad eundem sensum concessa min. n. conseq.

E. R. Quamquam Deus titulo creationis, totum hominem, & quidquid ab eo fieri valet, possit summo jure requirere; pro innata tamen misericordia & bonitate non omnia exigit: quapropter potest homo quædam facere alias indebita, præsertim si de pœnis voluntario susceptis agatur: unde consequens est, quod hujusmodi operibus possit satisfacere. *Dicendum*, inquit S. Thomas, (*ib. ad* 3) *quod ratio illa concludit, quod Deo æquivalens satisfactio fieri non possit, non autem quod non possit ei sufficiens fieri. Quamvis enim totum suum posse homo debeat Deo; non tamen ab eo exigitur de necessitate salutis, ut totum quod possit, faciat, quia hoc est ei impossibile secundum statum præsentis vitæ, ut totum posse suum in aliquod unum expendat; cum oporteat eum circa multa esse sollicitum; sed est quædam mensura homini adhibita, quæ ab eo requiritur, scilicet impletio mandatorum Dei, & super ea potest aliquid erogare ut satisfaciat.*

R. 2. nego absolute maj. qua inficiatione ne quis moveatur, spectandum quid Deo homo debeat titulo creationis ac conservationis: debet nimirum canticum laudis, debet gratiarum actionis sacrificium; debet holocaustum sui ipsius, quo quidquid accepit, munificentissimo benefactori rependat: debet humiliationis hostiam, & abjectionis, se in conspectu majestatis supremæ tamquam nihilum esse, quam humiliter, tam vere agnoscens: uno verbo, debet se totum, quia totum quod habet accepit; sed numquid ideo quia creatus a Deo est, & conservatur, debet illi lacrymas, lamenta, suspiria, detestationem peccati nondum admissi, castigationem carnis nondum rebellis, jejunia, aliaque id genus ad scelerum expiationem suscepta? numquid Adamus innocens dicere poterat cum Davide: (*Ps.* 37, 7, & *seqq.*) *miser factus sum, & curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar: quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea? afflictus sum & humiliatus sum: rugiebam a gemitu cordis mei?... gemitus meus a te non est absconditus?* .... (*Ps.* 101, 10) *cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam?* .... (*Ps.* 50, 1, & *seq.*) *miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam?* ... *asperges me hyssopo, & mundabor &c.* .... *sacrificium Deo spiritus contribulatus*, &c. quæ passim in Psalmis leguntur? numquid enim vero beatum innocentiæ statum talia decuissent? non ergo titulo creationis Adamus ista debebat: & tamen se totum, etsi non totaliter nec omnibus modis debebat. Cum ergo peccando homo, novo se debito obligaverit, injuriam Deo illatam resarciendi, eo sensu negamus nihil posse a pœnitente Deo offerri, quod titulo creationis ac conservationis non debeat.

Ad 3, 1 nego ant. acceptum qua late patet, & sensu hæreticorum volentium hominem quantumlibet justum, omni opere suo necessario peccare; quod intolerabile paradoxum Patres Trid. sic feriunt: (*Sess.* 6, *cap.* 11, *ad fin.*) " constat eos orthodoxæ Religionis Doctrinæ adversari, qui dicunt, justum in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius est, pœnas æternas mereri . . . (*ib. Can.* 25) si quis in quolibet bono opere justum, saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem: anathema sit".

2. Dato ant. secundum distributionem accommodam, idest, pro eo quod sæpe fit, intellecto, n. conseq. Quotidianis enim & venialibus peccatis, a quibus in vita præsenti, immunis homo esse non potest, remedia quotidiana præscripta sunt, per quæ satisfacere valeat: *qui misericordia Dei adjutus & gratia*, inquit S. Aug. (*Ep.* 89) *se ab eis peccatis abstinuerit, quæ etiam crimina vocantur; atque illa peccata sine quibus hic non vivitur, mandare operibus misericordiæ & piis orationibus non neglexerit; merebitur hinc exire sine peccato, quamvis cum viveret, habuerit nonnulla peccata: quia sicut ista non defuerunt, ita etiam remedia quibus purgarentur, adfuerunt.*

Inst. ultimo. Doctrina de satisfactione, Scripturæ Sacræ repugnaret; ubi Deus sic loquitur: (*Ezech.* 33, 12) *impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua* .... & alibi: (*Rom.* 8, 1) *nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant*; atqui, inquiunt, si peccatum pœna temporali plectendum foret, noceret peccatori ad Deum converso præterita impietas sua, & aliquid iis qui sunt in Christo Jesu foret damnationis. Ergo &c.

R. nego maj. ad probat. admitto auctoritates, & n. min. inde assumptam: perversum hæreticorum judicium quis non stupeat, pœnas temporales, levesque ad diluenda gravissima satisfactiones, pro detrimento ac damnatione habentium? cum e contra nullum possit majus esse emolumentum, quam faciendo fructus

dignos pœnitentiæ, fugere a ventura ira?" mor-
„ tificatione præsenti, ait S. Cæsarius (*hom.*
„ 1) futuræ mortis sententia prævenitur, &
„ dum culpæ author humiliatur, culpa con-
„ sumitur; dumque exterior afflictio volunta-
„ riæ districtionis infertur, tremendi judicii
„ offensa sedatur, & ingentia debita labor sol-
„ vit exiguus, quæ vix consumpturus erat ar-
„ dor æternus . . . nec quidquam contrarium
„ habet testimonium Ezechielis." His namque verbis summa Dei misericordia commendatur, hominem vere pœnitentem ab æterno supplicio liberantis, & in æternæ beatitudinis, unde peccando exciderat, spem restituentis: id quod verba ejus sequentia aperte declarant: (*Ezech.* 33, 14, *& seqq.*) " Si dixero impio :
„ morte morieris: & egerit pœnitentiam a pec-
„ cato suo, feceritque judicium & justitiam...
„ in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit
„ quidquam injustum, vita vivet, & non mo-
„ rietur: omnia peccata ejus quæ peccavit,
„ non imputabuntur ei: si judicium & justitiam
„ fecerit, vita vivet." Idemque Apostoli sensus est: loquitur enim de æternæ damnationis reatu, quem nullum in eis esse fatemur, qui peccata quantumlibet gravia, salutari pœnitentia expiaverint.

§. TERTIUS.

Explicantur variæ quæstiones.

Q. 1. Utrum satisfactio in re suscepta, & executioni mandata ad essentiam Sacramenti pertineat?

R. Negative: illud enim non est Sacramento essentiale, quod præsupponit Sacramentum quantum ad essentiam perfectum: atqui satisfactio in re suscepta, supponit ante se Sacramentum quantum ad essentiam absolutum: supponit enim ante se gratiæ Sacramentalis productionem, quæ infundi non posset, nisi constaret Sacramentum partibus suis essentialibus: quamquam igitur votum Deo satisfaciendi, cum ad pœnitentiæ virtutem pertineat; & intime sit contritioni conjunctum, hac ratione in essentia Sacramenti contineatur; non idem tamen dicendum de satisfactione, quatenus executioni mandatur, & hic & nunc adimpletur.

Deinde si satisfactio in re esset pars Sacramenti essentialis, consequens esset hominem morti proximum, omnique sensuum usu carentem, non esse Sacramenti suscipiendi capacem: quod repugnat communi Ecclesiæ praxi.

Præterea. Sacramentum pœnitentiæ habet aliquam cum judicio forensi proportionem: idem ergo utriusque, saltem in hac parte, debet esse judicium; atqui ad essentiam forensis judicii, executio lati contra nocentem decreti non pertinet, sed ad integritatem duntaxat, & veluti complementum extrinsecum: quid enim? Si antequam capite plecti potuerit, naturali morte abripiatur, aut clementia principis absolvatur: numquid consequens erit, vero judicio non esse damnatum? ergo a pari &c.

Q. 2. Utrum satisfactio stare possit cum actu vel affectu peccati mortalis?

R. Negative: Satisfactio enim actio est, per quam retribuimus Deo compensationem aliquam pro peccatis; Sive est, *voluntaria pœnæ a Sacerdote imposita perpessio, ad compensandam injuriam Deo illatam ipsumque placandum, cum firmo proposito de cætero non peccandi*: atqui homo peccans mortaliter, vel intus gerens peccati affectum, propositum Dei placandi, & in posterum non peccandi non habet: ergo &c.

Deinde, satisfactio est propria virtutis pœnitentiæ actio, ut alibi diximus: sed qui vel actu mortaliter peccat, vel habet prædominantem peccati mortalis affectum, virtutem pœnitentiæ profecto non habet: quomodo enim pœnitentem se esse jactaret, qui nec vitam veterem odit, nec novam amplectitur? quomodo plangit anteacta mala, qui ea ipsa quæ deflenda forent committit? ergo &c.

Objectio.

Dices: Homo homini pro illata injuria satisfacit, modo pœnam subeat lege constitutam, tametsi aliunde in inimicitia & offendendi animo perseveret: ergo a pari Deo poterit satisfacere, cum actu vel affectu peccati mortalis.

R. Nego conseq. & paritatem: discrimen est, quia homo ab homine læsus tenetur acceptare opus externum, quod solum lege humana præscribitur: longe vero aliud Dei judicium est, qui scrutator cordium est, nec exterius solum, sed multo magis internum cordis officium postulat: quemadmodum igitur satisfactio civilis humana lege decreta, non censetur virtutis opus, nisi procedat ab amore justitiæ, & studio proximum placandi, quanto minus Deo satisfacit, qui vel actu mortaliter peccat, vel intus in corde gerit peccati mortalis affectum?

Dices iterum: ille satisfacit, qui solvit totum quod debet: sed totam quam debet pœnam temporalem solvere homo potest, in peccato, aut affectu peccati mortalis existens: quis enim negaverit ab hujusmodi homine fieri posse opus pœnale, ex natura sua bonum, sibi a Sacerdote impositum, & voluntario acceptatum? ergo &c.

R. Dist. maj. ille satisfacit, qui solvit totum

quod

quod debet, *& modo quo debet*, conc. *Secus*, n. maj. dist. pariter min. homo in peccato mortali existens, potest solvere totam pœnam temporalem quam debet, potest, inquam, *quantum ad rem debitam*, transeat, *quantum ad modum solvendi*, n. min. & conseq.

E. R. Ut vere homo Deo satisfaciat, non satis est opera pęnalia, de se bona, elicere, sed omnino requiritur, ut ea faciat studio placandi Deum, & ejus amicitiæ recuperandæ: ab hoc vero fine immensum exorbitat, qui in mortalis peccati actu vel affectu hæret, ut de se patet: hucque Apostolica sententia pertinet: (1 *Cor.* 13, 3) *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: quapropter falso supponitur, eo ipso opus aliquod satisfactorium esse, quod pœnale est, & specie bonum: non enim satis est, quod sit bonum; sed præterea requiritur, ut a bono fiat, id est ab homine vere volente placare Deum, & de peccato cujus pœnam luit vere dolente: qualis sane non est, qui actu peccat, vel peccati affectu tenetur.

Dixi ad minorem: *quantum ad rem debitam, transeat*: hoc enim absolute est falsum: nam quomodo totam pœnam solvit, quam debet, qui præcipuam ejus partem furto sacrilego subtrahit? porro pœnæ Deo exsolvendæ potissima pars in cordis scissione ac contritione consistit: quo sensu a Propheta dictum (*Joel.* 12, *& seq.*) *convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra &c.* quid enim vero prodest, a cibis corporalibus jejunare, nisi mens a culpa jejunet? quid juvat stratum rigare lacrymis, si Deus justus ridetur? vestimentum, idest corpus, lacerare quid proficit, si cor integrum ad cultum & ornatum diaboli custoditur? non ista sane satisfactionis adimpletio, sed subversio est.

Dices 3. Si sic cum pęnitentibus agitur: heu! quam pauci erunt de quorum satisfactione audeat Ecclesia gloriari? quantuli enim, & quam brevi numero sunt, qui impositas pœnitentias contritione & vera cordis mutatione comite impleant? quantos e contra reperias, quibus vix dum e sacro Tribunali dimissis, *contingit illud veri proverbii* (2 *Petr.* 2, 22) *canis reversus ad suum vomitum: & sus lota in volutabro luti*; quique interim, dum novæ confessioni magnam segetem præparant, de satisfactione præteritorum, quotidianis preculis, modicis eleemosynis, aut aliis id genus operibus sibimet temerario blandiuntur?

℟. Hoc heu! nimium verum esse, longeque ante prædictum a S. Ambrosio: *facilius*, inquit, (*lib.* 2 *de pœnit. cap.* 10) (attende lector, & stupe) *inveni qui innocentiam servaverint, quam qui congruam egerint pœnitentiam: an quisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copulæ conjugalis usus? Renuntiandum sæculo est, somno ipsi minus indulgendum quam natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus suspiriis, sequestrandus orationibus: vivendum ita ut vitali huic moriamur usui: se ipsum homo abneget, & totus immutetur.*

Dices ultimo. Si peccati mortalis actus vel affectus, omne meritum satisfactionis evacuat, nemini unquam certo constabit, se vere pro peccatis satisfecisse: *nescit enim homo*, inquit Sapiens, (*Eccl.* 9, 1) *utrum amore an odio dignus sit*. Magnum porro hoc inconveniens foret; sequeretur enim pœnitentes innumeris anxietatibus futuros obnoxios. Ergo &c.

℟. Cum S. Thoma, concessa maj. neg. min. „ Dicendum, inquit, (*Suppl. q.* 14, *art.* 2, „ *ad* 2) quod sicut homo nescit pro certo, „ utrum caritatem habuerit, vel habeat in „ satisfaciendo; ita etiam nescit pro certo, „ utrum plene satisfecerit. Et ideo dicitur „ Ecclesiastici 5, v. 5, *de propitiato peccato noli* „ *esse sine metu*. Nec tamen exigitur quod „ propter hunc metum homo satisfactionem „ expletam iteret, si conscientiam peccati „ mortalis non habeat: quamvis enim pœ„ nam non expiet per hujusmodi satisfactio„ nem; tamen non incurrit reatum omissio„ nis ex satisfactione neglecta; sicut nec ille „ qui accedit ad Eucharistiam, sine con„ scientia peccati mortalis cui subjacet, rea„ tum indignæ sumptionis incurrit..." Ita S. D. unde sequitur,

1. Nullum conscientiæ cruciatibus locum relinqui, ubi pœnitens divino juvante auxilio, quantum in se fuit, absque ullo peccati mortalis actu vel affectu satisfactionem implevit.

2. Tunc solum ad iterandam satisfactionem teneri, quando conscius sibi est, se affectu aliquo, vel actu peccati mortalis satisfactionis opera corrupisse.

Q. 3. Utrum possit pęnitens pro uno peccato satisfacere, alio retento?

℟. Negative. Idem namque de satisfactione ac de pœnitentia debet esse judicium; atqui impossibile est veram de uno peccato, retentis aliis, pœnitentiam esse. Idem ergo de satisfactione dicendum, cujus propositum ad pęnitentiam necessario pertinet. „ Præterea, „ cum per satisfactionem, ait Præceptor An„ gelicus, (*Suppl. qu.* 14, *art.* 1, *in Corp.*) „ tolli debeat offensa præcedens, oportet quod „ talis sit modus satisfactionis, qui competat

„ ad

„ ad tollendam offensam: offensæ autem ablatio, est amicitiæ restitutio: & ideo si aliquid sit, quod amicitiæ restitutionem impediat, etiam apud homines satisfactio esse non potest. Cum ergo quodlibet peccatum amicitiam caritatis impediat, quæ est hominis ad Deum; impossibile est, ut homo de uno peccato satisfaciat, alio retento; sicut nec homini satisfaceret; qui pro alapa ei data se ei prosterneret, & aliam similem daret. "

Nec desunt testimonia Scripturarum: *dona iniquorum*, inquit Spiritus S., (*Eccli.* 34, 23) *non probat altissimus*, *nec respicit in oblatione iniquorum*: *nec in multitudine sacrificiorum*, *eorum propitiabitur peccatis*.... (*ibid. v.* 31) *homo qui jejunat in peccatis suis*, *& iterum eadem faciens*, *quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?*

Et in Isaia: (*Isaiæ* 58, 3) *quare jejunavimus*, *& non aspexisti?* inquiunt Israelitæ, *humiliavimus animas nostras*, *& nescisti? ecce* (respondet Deus) *in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*: ad malum scilicet perpetrandum parata, aut in aliquo peccato complacens sibi.

Accedit SS. Patrum auctoritas. Plurium instar sit S. Gregorius M. Pontifex Max. *pœnitere*, inquit, (*hom.* 34 *in Evang.*) *est antecta peccata flere*, *& flenda non committere*. *Nam qui sic alia deplorat*, *ut alia tamen committat*, *pœnitentiam agere adhuc ignorat*, *aut dissimulat*. *Quid enim prodest*, *si peccata luxuriæ quis defleat*, *& adhuc avaritiæ æstibus anhelet?*

Quæritur 4. Utrum affectu peccati deposito, possit cum ejusdem reatu satisfactio conciliari?

R. Affirmative. Nam

1. Secundum veterem Ecclesiæ disciplinam, satisfactio absolutioni præmittebatur, & potest etiam num saltem ex parte a pœnitente præexigi; atqui usum hunc probasset Ecclesia, si inutiles judicasset satisfactiones impositas pœnitentibus, nondum reatu peccati solutis: ei namque bene erat persuasum, ante Sacramentalem absolutionem peccatum ordinarie non remitti. Ergo &c.

2. Ideo opera satisfactoria extra caritatem vel sine caritate facta, nullius virtutis sunt ad Deum placandum, & ad remissionem pœnæ peccato debitæ obtinendam, quia quamdiu homo in affectu peccati manet, Deo grata esse non possunt. Ergo e contrario cum penitus affectum peccati deposuit, & ad Deum motu caritatis, pravis cupiditatibus dominantis, conversus est, opera ejus Deo accepta sunt & probata: proindeque divinam bonitatem maxime decet, ut eorum intuitu pœnam temporalem peccato debitam vel minuat, vel plene condonet, statim atque peccator justificationis gratiam fuerit consecutus.

Objectio.

Dices. Sententia hæc pugnare videtur,

1. Cum Scripturæ testimoniis, quibus caritatis necessitas ad merendum adstruitur: qualia sunt: *universa delicta operit caritas* ... *caritas operit multitudinem peccatorum* ... *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*, *caritatem autem non habuero*, *nihil mihi prodest*, *&c.*

2. Cum S. Thoma: *oportet*, inquit ...... (*Suppl. q.* 14, *art.* 2, *in c.*) *quod opera satisfactoria sint Deo accepta*, *quod dat eis caritas*: *ideo sine caritate opera facta non sunt satisfactoria*.

3. Cum Catechismo Concilii Trid. sic loquente: (*part.* 2, *tit. de pœnit. n.* 10) *duo præcipue in satisfactione requiruntur*. *Primum est*, *ut is qui satisfacit*, *justus sit ac Dei amicus*: *opera enim quæ sine fide ac caritate fiunt*, *nullo modo Deo grata esse possunt*. Ergo &c.

R. Nego antecedens per omnes partes: hæc enim Scripturæ, S. Thomæ, & Concilii Trid. testimonia, non debent intelligi de sola caritate habituali, quæ diffusa est in cordibus nostris per Sp. Sanctum qui datus est nobis; sed etiam de caritate actuali prædominante, qua Deus super omnia appretiative amatur, & creato cuilibet bono præponitur, quam sane habent, qui peccati actum & affectum per veram attritionem deposuerunt, ut constat ex dictis quæstione quarta: alioquim enim vere ab Apostolo non diceretur: *nihil mihi prodest*: cum pœnitentium orationes, gemitus, jejunia, eleemosynæ, plurimum eis prosint, etiamsi nondum sint justificati; prosint, inquam, ut congruæ dispositiones, ad justificationis gratiam consequendam. Favent huic sententiæ SS. Patres, qui dispositionibus justificationem præcedentibus tribuunt aliquam rationem meriti, non humani quidem, sed donati a Deo.

Sic S. Aug. (*Ep.* 105) „ nec ipsa remissio peccatorum, *inquit*, sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est meritum fidei; qua fide publicanus dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit justificatus."

Similiter S. Cyprianus: (*in tract. de lapsis ad finem*) „ qui sic Deo satisfecerit, *inquit*, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti, plus & virtutis & fidei de lapsus sui „ do-

„ dolore conceperit: exauditus & adjutus a „ Domino, quam contristaverat nuper, lætam „ faciet Ecclesiam, nec solam Dei veniam „ merebitur, sed coronam."

Et S. Ambrosius: (*lib. 1 in Luc.*) „ lacry- „ mæ, *ait*, veniam non postulant, sed me- „ rentur. . . & tu si veniam vis mereri, di- „ lue culpam lacrymis tuam. . . . . quorum „ similia habet lib. 2 de pœnitentia cap. 3, ubi de filio Prodigo: „ tam cito, *inquit*, ve- „ niam meretur, ut venienti & adhuc longe „ posito occurrat Pater, & osculum tribuat, „ quod insigne est sacræ pacis."

Qu. 5. Utrum unus possit pro altero satisfacere?

R. Spectari posse satifactionem, vel ut medicinam ad morbos animi curandos conducibilem, vel ut debiti solutionem.

Si priori modo sumatur, affirmanter dico non unum pro altero satisfacere: quemadmodum enim corporaliter ægrotanti non prodest potio sumpta ab altero; ita nec satisfactio unius juvare alium potest, ut sit ei remedium contra peccatum: quia jejunio unius caro alterius non domatur, nec bonis unius actibus potest alter bene agendi cousuetudinem comparare.

Si vero spectetur, quatenus debiti peccato contracti solutio est, dico unum posse pro altero satisfacere. Nam

1. In Fidei symbolo profitemur Sanctorum communionem; atqui hoc dogma ita Ecclesia semper intellexit; ut crediderit bona justorum opera iis prodesse etiam titulo satisfactionis, pro quibus offeruntur. Ergo &c.

2. Id ipsum antiquissima Catholicæ Ecclesiæ consuetudo evincit. Preces enim a Societate Sanctorum factas, ipsis peccatoribus adscriptas semper voluit, & credidit satisfactionum ab illis exhibendarum esse supplementum. Sic sæculo tertio tanti faciebant Ecclesiarum Præsides libellos commendatitios martyrum, ut in gratiam lapsorum a quibus & pro quibus deferebantur, multum de pęnarum canonicarum severitate remitterent: (qua de re infra dicetur:) similiter ad pęnas hujusmodi relaxandas, plurimum şemper valuit, & valet etiamnum intercessio Ecclesiæ apud Deum pro peccatoribus interposita: hinc S. Ambrosius: *etsi*, inquit, (*lib. 5 in Luc.*) *grave peccatum est, quod pœnitentiæ tuæ lacrymis ipse lavare non possis; fleat pro te mater Ecclesia, quæ pro singulis, tamquam pro unicis filiis vidua mater intervenit. Compatitur enim quodam spirituali dolore, cum suos liberos lethalibus vitiis ad mortem cernit urgeri*.

Doctrinam hanc Concilii Trid. Catechismus sic explicat: (*par. 2, tit. de pœnit. n. 106 & seq.*) „ in eo vero summa Dei bonitas, *inquit*, & clementia maximis laudibus & gra- „ tiarum actionibus prædicanda est; qui hu- „ manæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus „ posset pro altero satisfacere: quod quidem „ hujus partis pœnitentiæ maxime proprium „ est: ut enim, quod ad contritionem & con- „ fessionem attinet, nemo pro altero dolere „ aut confiteri potest: ita qui divina gratia „ prædíti sunt, alterius nomine possunt, quod „ Deo debetur, persolvere: quare fit, quod „ ut quodam pacto alter alterius onera portare „ videatur. Nec vero de hoc cuiquam fide- „ lium dubitandi locus relictus est, qui in A- „ postolorum symbolo, Sanctorum communio- „ nem confitemur. Nam cum omnes eodem „ baptismo abluti Christo renascamur, eo- „ rumdem Sacramentorum participes simus, „ in primis vero ejusdem Corporis & Sangui- „ nis Christi Domini cibo & potu recreemur; „ hoc apertissime demonstrat, nos omnes es- „ se ejusdem Corporis membra: quemadmo- „ dum igitur neque pes suæ tantum, sed et- „ iam oculorum utilitatis causa, munere suo „ fungitur; neque rursus, quod oculi videant, „ ad illorum proprium, sed ad communem „ omnium membrorum utilitatem referendum „ est: ita communia inter nos satisfactionis „ officia existimari debent: neque tamen id „ sine ulla exceptione verum est, si com- „ moda omnia, quæ ex ea capiuntur, spe- „ ctemus. Nam satisfactionis opera, me- „ dicinæ etiam & curationes quædam sunt, „ quæ pœnitenti ad sanandos pravos animi „ affectus præscribuntur: quo quidem utilitatis „ fructu, eos qui per se non satisfaciunt, „ prorsus carere perspicuum est."

Objectio.

Si ita se res habeat, dicet aliquis, poterit ergo pœniteus onus satisfactionis transferre in alterum: atque ita de impunitate securus esse.

℞. nego conseq. Non enim ad fovendam inertiam, sed ad impotentiam sublevandam, Deus unius pro altero satisfactionem acceptat: nec in eo posita est Sanctorum communio, ut merita justorum impœnitentibus ac desidiosis attribuantur; sed iis solum qui totum quod est in se præstant, & placare Deum totis viribus satagunt. *Si negligentes fuerimus ac desides*, inquit S. Joannes Chrysost. (*Hom. 5 in Matt.*) *nec per aliorum quidem possumus merita salvari. Si vero mente vigilemus, etiam per nosmetipsos istud valemus efficere, & multo magis nostro quam alieno esse tuti suffragio: nam & Deus gratiam nobis potius, quam aliis ro-*

is rogantibus pro nobis vult donare: ut hoc ipso quo iram in nos ejus placare cupimus, ad studia meliora migremus, & fiduciam bonæ conscientiæ colligamus. Sic enim Chananæam illam aliquando miseratus est; sic meretrici donavit salutem; sic latronem e cruce in Paradisum transtulit, nullius patroni, nullius precibus mediatoris inflexus: & hæc dicimus, non ut supplicandum esse Sanctis negemus, sed ne nosmetipsos in otium ac desidiam resolvamus, & dormientes ipsi aliis tantummodo nostra curanda mandemus: nam cum dixisset: facite vobis amicos: (*Luc.* 16, 9) *non hic stetit, sed adjecit:* ex iniquo mammona, *ut scilicet tuum id esset ac proprium: nihil quippe hic aliud quam misericordiæ opera designavit.*

Altera hujus rei ratio est, quia opera pœnitentiæ non ad satisfactionem tantum, sed & ad remedium pœnitentibus imponuntur: porro remedium ab eo qui ægrotat sumendum est; quod ni fecerit, signum est, vel sibi placere morbum, vel minus quam remedium displicere. *Non exigitur quantum ad solutionem debiti, ait S. Thomas,* (*suppl. q.* 13, *art.* 2) *quod ille pro quo fit satisfactio, sit impotens ad satisfaciendum, quia etiamsi esset potens, alio satisfaciente pro ipso, ipse a debito immunis esset; sed hoc requiritur in quantum pœna satisfactoria est in remedium: unde non est permittendum, quod aliquis pro alio pœnitentiam agat, nisi defectus aliquis appareat in pœnitente, vel corporalis per quem sit impotens ad sustinendum, vel spiritualis per quem non sit promptus ad portandam pœnam.*

Indeque patet, inter plures alias laxiorum casuistarum propositiones hanc numero decimamquintam, summo jure ab Alexandro VII. Pontifice Max. ut minimum tamquam scandalosam, & in praxi perniciosam, esse damnatam: (*anno* 1665, *die* 14 *Sept.*) *pœnitens propria auctoritate potest sibi substituere alium, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.*

Q. 6. Utrum iis solum operibus Deo satisfiat, quæ a Sacerdotibus imponuntur?

R. negative. Nam & flagella a Deo inflicta, & pœnæ voluntario assumptæ satisfaciendi vim habent: *docet præterea S. Synodus*, ajunt Patres Trid. (*Sess.* 14, *cap.* 9) *tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.*

Notandum tamen, pœnas quæ a Sacerdotibus Christi vicariis, virtute clavium decernuntur, plus aliquid habere virtutis, quam quæ a pœnitentibus spontanee assumuntur. *Opus quod quisque facit ex injunctione Sacerdotis*, ait S. Thomas, (*lib.* 3, *qu.* 13, *art.* 2) *dupliciter valet pœnitenti: uno modo ex natura operis: alio modo ex vi clavium. Cum enim satisfactio a Sacerdote absolvente injuncta, sit pars pœnitentiæ, manifestum est quod in ea operatur vis clavium: ita quod amplius valet ad expiandum peccatum, quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus.*

Q. 7. Quid utilitatis satisfactio habeat?

R. Multum per omnem modum habere.

1. Enim Dei ira satisfactione placatur, & flagella imminentia propelluntur:

2. Homo a peccandi consuetudine, pœnitentiæ labore corrigitur, & in posterum cautior ac vigilantior fit:

3. Sanantur peccatorum reliquiæ, & contrariis virtutum actibus vitiosi habitus peccando contracti tolluntur.

4. Imago Christi per peccatum deleta, in vere pœnitentibus reformatur.

5. In universam Ecclesiam redundat utilitas satisfactionis; nam & fidelibus exemplum sanctimoniæ præbet, & scandalum reparat ex Dei offensa obortum, & piissimæ Matris gaudium inexplicabile excitat, quæ tum vere cum Patre familias dicit: (*Luc.* 15, 23, & *seq.*) *adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus est.*

„ Divinam clementiam decet, *ait Concilium* „ *Trid.* (*Sess.* 14, *c.* 8) ne ita nobis absque „ ulla satisfactione peccata dimittantur, ut „ occasione accepta peccata leviora putantes, „ veluti injurii & contumeliosi Sp. Sancto, in „ graviora labamur, thesaurizantes nobis iram „ in die iræ. Procul dubio enim magnopere „ a peccato revocant, & quasi fræno quodam „ coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautiores- „ que & vigilantiores in futurum pœnitentes „ efficiunt: medentur quoque peccatorum re- „ liquiis, & vitiosos habitus male vivendo „ comparatos, contrariis virtutum actionibus „ tollunt: neque vero securior ulla via in Ec- „ clesia Dei unquam existimata fuit, ad amo- „ vendam imminentem a Domino pœnam, „ quam ut hæc pœnitentiæ opera homines „ cum vero animi dolore frequentent: acce- „ dit ad hæc quod dum satisfaciendo patimur „ pro peccatis, Christo Jesu qui pro pecca- „ tis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra „ sufficientia est, conformes efficimur, cer- „ tissimam quoque inde arrham habentes, quod „ si compatimur, & conglorificabimur.

Q. 8. Utrum de satisfactione possit pœnitens gloriari?

R. Ne-

R. Negative: ut enim prædiximus, gloriatio hæc tum vana, tum a conditione veræ pœnitentiæ, cujus fundamentum humilitas est, alienissima foret. „ Neque vero ita nostra est „ satisfactio quam pro peccatis nostris exsolvimus, *ajunt ib. Trid. Patres*, ut non sit „ per Christum Jesum. Nam qui ex nobis „ tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus: „ ita non habet homo unde glorietur: sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo „ vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, „ qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur „ Patri, & per illum acceptantur a Patre “.

CAPUT SECUNDUM.

Satisfactioni quis modus ponendus.

Dicendum modo de satisfactionis ac pœnitentiæ ratione, qualis debeat, unicuique pro criminum gravitate præstitui: qua in re diffiteri non possumus iniqua multorum ac præpostera esse judicia, qui satisfactionis Deo præstandæ mensuram, non ex divinis Scripturæ & traditionis sententiis, neque ex rigore disciplinæ veteris, sed ex versatilis probabilitatis commento novitio æstimantes, putant peccata atrocissima unius alteriusve diei levissimis satisfactionibus expiari: & regulam hanc, sive potius aberrationem a regula, in praxi sequendo, & se, & creditas sibi animas in perniciem certissimam, sub obtentu pietatis, miserabiliter pertrahunt. „ Væ, *inquiebat ore „ Prophetæ Dominus Deus*, (*Ezech.* 13, 18, „ *& seqq.*) væ, qui consuunt pulvillos sub „ omni cubito manus, & faciunt cervicalia „ sub capite universæ ætatis, ad capiendas „ animas: & cum caperent animas populi mei, „ vivificabant animas eorum: & violabant me „ ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, & vivificarent „ animas quæ non vivunt, mentientes populo „ meo credenti mendaciis. Propter hoc hæc „ dicit Dominus Deus: ecce ego ad pulvillos vestros, ... & dirumpam eos de „ brachiis vestris . . . . . & dirumpam cervicalia vestra . . . . . . & scietis quia ego „ Dominus, &c. “

Ut ergo ab hoc tremendo anathemate tuti simus, aliosque illud fugere pro modulo doceamus, tria in præsenti præstabimus. Primo antiquam Ecclesiæ in imponendis satisfactionibus disciplinam exponemus: secundo ostendemus, quamquam exterior disciplina mutata sit, eumdem tamen etiam num vigere Ecclesiæ spiritum, adeoque opera pœnitentiæ pro gravitate criminum exigenda: tertio, quæsita varia ad hanc materiam pertinentia diluemus. Sit igitur

§. PRIMUS.

Antiqua Ecclesiæ in imponendis satisfactionibus disciplina describitur.

Quam quidem severissimam fuisse, qui vel leviter Ecclesiæ Annales attigerit, non negabit.

PROBATIO PRIMA.

A temporibus Apostolicis, ad Novatianorum exortum.

Primum Apostolica ipsa ætate occurrit exemplum incestuosi Corinthii, contra quem ab Apostolo sic decretum: (1 *Cor.* 5, 1, *& seq.*) *omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes: ita ut uxorem Patris sui aliquis habeat: & vos inflati estis: & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit? ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini Nostri Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini Nostri Jesu, tradere hujusmodi Satanæ, in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Nostri Jesu Christi*. Scripta est Ep. hæc an. Domini circiter 57, post passionem ejus 24: quantum autem temporis interitus ille, sive mortificatio carnis Corinthii perdurarit, etsi certo præfigi non potest; plurium tamen mensium fuisse colligitur, ex altera ejusdem ad Corinthios Ep. quæ absolutionis incestuoso indulgendæ nuntia fuit: *sufficit illi qui ejusmodi est*, inquit, (2, 2, 6) *objurgatio hæc quæ fit a pluribus: ut e contrario magis donetis & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum caritatem: ideo enim & scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis: cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana*: (id est, interprete S. Ambrosio: ne hanc nobis Satanas eripiat animam, pœnitentiam ipsam qua lavari debuerat, in ejus perniciem convertendo:) *non enim ignoramus cogitationes ejus.*

Alterum erit, adolescentis cujusdam latrociniis

ciniis famosi, quem a S. Jo. Evangelista conversum, & post laboriosam pœnitentiam Ecclesiæ restitutum, S. Clemens Alex. apud Eusebium narrat: (*hist. lib.* 2, *c.* 17) *Senem* (Joannem) *ad se adventantem*, inquit, *complectitur* (Latro:) *fletu & mœrore quoad poterat, pro culpa satisfecit .... lacrymarum unda secundo baptizatur ....* Joannes vero, *crebris precibus Deum pro illo invocat, continuis jejuniis una cum eo se macerat, variis divinæ sapientiæ sententiis ejus animum, quasi quibusdam lenociniis mitigat, tranquillatque, neque prius (ut fertur) inde discessit, quam illum Ecclesiæ restituisset.*

Tertium, quod plurium instar est, in libro pastoris antiquissimo habemus, ubi *Hermas* sic pro pœnitentibus inducitur Deum precans: *Ecce Domine, jam nunc agunt pœnitentiam totis præcordiis.* Cui Angelus Doctor pœnitentiæ ita respondet: *Protinus putas aboleri delicta eorum, qui agunt pœnitentiam? Non proinde continuo: sed oportet, eum qui agit pœnitentiam, affligere animam suam, & humilem animose præstare in omni negotio, & vexationes multas variasque perferre.*

Quartum est, *Natalii* confessoris. Ille primum zelo fidei & pietatis fervore celeberrimus, ab Ecclesiæ Catholicæ militia ad castra hæreticorum profugit, & apud illos aliquamdiu Episcopatum gessit. Deinde conscientiæ remorsu tactus, in meliorem se frugem recepit, continuisque lamentis, cinere, cilicio, magnum suum mærorum *Zephyrino* Pontifici Max. totique Ecclesiæ testatum fecit. Vixque tandem exomologesi sæpius repetita, & sæpe velut misericordia indignus, repulsam passus, reconciliationem obtinuit. *Mane surgens*, (inquit Eusebius (*hist. lib.* 6, *cap. ult.*) *cilicio & sacco indutus, cineribus aspersus, cum magno mærore & lacrymis, ad pedes Zephyrini Pontificis se supplicem abjecit, & non modo ad Cleri, sed & Laicorum etiam genua advolutus est; ita ut Christi Ecclesia illum magnopere commiserata, lacrymis una se dederet. Attamen ille licet multis precibus ususfuisset, & plagarum vibices quos pertulerat ostendisset; vix tandem in communionem Ecclesiæ receptus fuit.* Ergo severissimis satisfactionibus in pœnitentes prisca ætate animadversum certa res est.

PROBATIO SECUNDA.

Ex Sanctorum Patrum doctrina.

Quod si cui minus fuerit persuasum, attendat ad majorum de satisfaciendi necessitate sententias. Nec enim, nisi absurdissime crederetur, aliter eos docuisse, & aliter in praxi egisse, in tradendis nimirum præceptis imitiores, & in laxanda disciplina indulgentiores extitisse: quod quid aliud futurum erat, quam prodere veritatem, & in injustitia detinere?

Confessio, inquit Tertullianus (*lib. de pœn. cap.* 8, & 9) *satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ. Hujus igitur pœnitentiæ secundæ, & unius, quantum in arcto negotium est, tanto operosior probatio est; ut non sola conscientia præferatur; sed aliquo etiam actu administretur .... satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit, tristi tractatione mutare .... plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire noctes diesque ad Dominum Deum suum, presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere: hæc omnia Exomologesis, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia, non dicam frustretur, sed expungat .... in quantum non pepereceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.*

Deliqui, dicito, in Deum, (*ib. cap.* 11) *& periclitor in æternum perire: itaque nunc pendeo & maceror, & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem, delinquendo, læsi. Sed enim illos, qui ambitus obeunt capessendi magistratus, neque pudet neque piget incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantum, verum & contumeliis omnibus eniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? Quæ non atria nocturnis & crudis salutationibus occupant? ad omnem occursum majoris cujusque personæ decrescentes, nullis conviviis celebres, nullis commessationibus congreges, sed exules a libertatis & lætitiæ facilitate: idque totum propter unius anni volaticum gaudium: nos quod securium virgarumque petitio sustinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus? Et castigationem vultus atque cultus offenso Domino præstare cessabimus, quæ gentiles nemine omnino læso sibi irrogant?*

S. Cyprianus: (*tr. de lapsis*) *quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & cauta medicina non desit: pœniten-*

nitentia crimine minor non sit: putas ne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cujus templum sacrilega contagione violasti? Putas facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius & rogare, diem luctus transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri; in cilicio & sordibus volutari; post indumentum Christi perditum, nullum hic jam velle vestitum; post Diaboli cibum, malle jejunium, justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur; eleemosynis frequenter insistere.

Ibidem contra quorumdam crudelem humanitatem invectus, qui sine præmissis satisfactionis competentis laboribus, pacem intempestive concedebant: *qui peccantem blandimentis adulantibus palpat*, inquit, *peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta, sed nutrit; atqui consiliis fortioribus redarguit, simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem*. Quos diligo, *inquit Dominus*, redarguo & castigo. *Sic oportet & Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus virus inclusum dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum cum senserit sanitatem: emersit enim, fratres dilectissimi, novum genus cladis, & quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: Irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam: pœnitentia de pectoribus excussa est, gravissimi extremique delicti memoria sublata est: operiuntur morientium vulnera: & plaga lethalis altis & profundis visceribus infixa, dissimulato dolore contegitur.*

S. Pacianus satisfaciendi rationem pœnitentibus suggerens: (*in Parænesi, sive exhortatione ad pœnitentiam*) *si quis ad balneum vocet*, inquit, *recusare delicias; si quis ad convivium roget, dicere: ista felicibus: ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire: quo mihi epulas, qui Dominum læsi? tenere præterea pauperum manus videas, obsecrare, pauperibus advolvi, exhortatricem Ecclesiam deprecari, omnia prius tentare ne pereas.*

„ *S. Ambrosius Prophetæ verba expendens*: miserere mei secundum eloquium tuum: *in ipsa Ecclesia*, inquit, (*Serm.* 8 *in Psalm.* 118) *ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime debet forma justitiæ; ne quis a communionis consortio abstentus, brevi lacrymula; atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus communionem, quam plurimis decet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne cum uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi.*

S. Innocentius I Pontifex Max. cæterum ait, (*Ep.* 1) *de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis: ac tunc jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.*

S. Aug. recensitis carnis operibus quæ hominem, ut Apostolus docet (Gal. 5) a regno cœlorum excludunt: *judicet ergo*, *ait*, (*serm.* 351, *alias hom.* 5, *intra* 50) *se ipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino judicetur. Et cum ipse in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur: & tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum: ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus & supplex, id tamen agat, quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus, non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est; atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem . . . non sufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.*

S. Cæsarius 6 sæculo Arelatensis Episcopus: *tractantes causam salutis nostræ*, *inquit* (*hom.* 1) *faciamus intra nos, quod circa nos medici facere solent. Si læsura aliqua . . . in prima corporis cute sentitur, curatio medicamenti blandioris apponitur. Si vero in ossibus vulnus absconditum, aut in viscerum profunda* de-

demersum est, austeriorem ac violentiorem poscit vis occulta medicinam. Similis ratio in ægritudine interioris hominis adhibenda est. Si levia sunt fortasse delicta, v. g. si homo vel in sermone, vel in aliqua reprehensibili voluntate, si oculo peccavit aut corde, verborum & cogitationum maculæ, quotidiana oratione curandæ, & privata compunctione tergendæ sunt. Si vero quisque conscientiam suam interrogans, aliquod capitale commisit; ut si fidem suam falso testimonio expugnavit ac prodidit; aut si sacrum veritatis nomen perjurii temeritate violavit; si veram baptismi tunicam .... cæno commaculati pudoris infecit; si in semetipso novum hominem, nece hominis occidit; si per augures, & divinos, atque incantatores, captivum se Diabolo tradidit: hæc & hujusmodi commissa expiari penitus communi & mediocri, vel secreta satisfactione non possunt; sed graves causæ graviores, & acriores, publicas curas requirunt: ut qui cum plurimorum destructione se perdidit, simili modo cum plurimorum ædificatione se redimat.

Et alibi: (*hom.* 8) *quoties*, inquit, *infirmos visitamus, in carcere positos requirimus, discordes ad concordiam revocamus, indicto in Ecclesia jejunio jejunamus, hospitibus pedes abluimus, ad vigilias frequentius convenimus, eleemosynam ante ostium prætereuntibus pauperibus damus, inimicis nostris, quoties petierint, indulgemus: istis operibus, & his similibus minuta peccata quotidie redimuntur. Pro capitalibus vero criminibus non hoc solum sufficit, sed addendæ sunt lacrymæ, & rugitus, & gemitus, continuata & longo tempore procrastinata jejunia, largiores eleemosynæ, etiam plusquam nos ipsi valere possumus, erogandæ, ultro nos ipsos a communione Ecclesiæ removentes, in luctu & tristitia multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publice agentes.*

His, similibusque descriptionibus satisfactionem, qualis esse debeat, & suo tempore fieret, Sancti Doctores repræsentant: unde manifestum est, rem facilem paucorumque dierum, eorum judicio non fuisse. Qui enim affirmant, severissimam medicinam esse pœnitentiam, prosternendi & humilificandi hominis disciplinam, temporali afflictione æterna supplicia expungentem, pro Dei indignatione fungentem, neque bene fieri, nisi pœnitentes, jejuniis preces addere satagant, nisi diem luctu transigant, vigiliis noctes, fletibus, mugitibusque continuent; nisi tempus omne lacrymosis lamentationibus occupent, in cilicio & sordibus volutati; illi sane satisfactionis Deo exhibendæ summum esse rigorem putant. Hocque ipsum manifestius patebit, verba S. Cæsarii proxime citata attentius inspicienti. Ille enim peccatis minutis ac venialibus has pœnas decernit, quas vix hodie audeat severissimus confessarius, pro flagitiis execrandis imponere: *Infirmos nimirum visitare, ergastulo conclusos requirere, discordes ad concordiam revocare, hospitum pedes abluere, ad Sacras Ecclesiæ vigilias frequentius convenire &c.* Quod si talibus penitentiis minuta delicta, qualibus debent capitalia crimina expiari? Nimirum *addendæ lacrymæ, & rugitus, & gemitus, continuanda & longo tempore procrastinanda jejunia, largiores eleemosynæ erogandæ, ultro subeunda ab Ecclesiæ communione remotio, in luctu & tristitia multo tempore permanendum, & denique pœnitentia publice agenda.*

Quod si existimet aliquis, non causa necessitatis, sed ad spectaculum & bonum exemplum, rigorem hunc a pastoribus primæ ætatis invectum, sentiet ille equidem ut Calvinus, & Lutherus, qui hoc effugio necessitatem satisfactionis eludere attentarunt: sentiet etiam cum Casuistis laxioribus, qui hæc majorum decreta, temporaria arbitrariaque fuisse finxerunt: at recedet a mente patrum longissime: illi enim satisfaciendi rigorem ipso Evangelio constitutum, non ab hominibus inventum, non in cujusquam mortalis arbitrio positum, sed in officio placandi Dei fundatum esse affirmant; nec posse sine sacrilega divinæ legis infractione laxari. Quem quorundam abusum S. Cyprianus modo laudatus deplorans: *emersit*, inquit, *fratres dilectissimi, novum genus cladis, & quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam: penitentia de pectoribus excussa est, gravissimi extremique delicti memoria sublata est: operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis visceribus infixa, dissimulato dolore contegitur.*

PROBATIO TERTIA.

Ex Disciplina occasione Novatianorum Schismatis instituta.

Nusquam magis quam sæculo 3 satisfactionis rigor comparuit. Quamquam enim temporibus præcedentibus severissima & plena acerbita-

bitatis fuisset; nondum tamen ei præscriptus sive formæ, sive durationis modus canonicus fuerat: sed Antistitum in sua cuique diœcesi aut parochia arbitrio relictum erat, quem vellet modum, pœnitendi exteriorem, tempusque præfigere. Postmodum vero, infeliciter conflato Schismate Novatianorum, qui, ut prædiximus, negabant omnium criminum solvendorum potestatem a Christo Sacerdotibus traditam, Ecclesia ita jus datum sibi divinitus propugnavit, ut simul expressius declarare voluerit, non sine magnis pœnitentiæ pœnitentiumque laboribus posse ad indulgentiam perveniri: itaque, non satisfactio quidem ipsa, cujus eadem ac peccati antiquitas est; sed nova satisfaciendi artificiosa forma inducta. Cujus sive S. Gregorius Thaumaturgus sæculo 3 Neocæsareæ Episcopus, sive alter quivis Antistes, sive plures in una quadam Synodo coacti, & primi authores fuerint (quando res obscura & incerta est) non discutimus: tantum advertimus, tum primum satisfactionis publicæ peragendæ tempus, in quatuor gradus ac stationes a pœnitentibus decurrendas distributum, *flentium* scilicet, *audientium*, *substratorum*, *&* *consistentium*: de quibus parumper dicendum.

I.

De flentium Statione.

Primus gradus *flentium* erat: quod non ita sane debet intelligi, quasi pro admissis peccatis deflendum ante hæc tempora non fuisset: (est enim lacrymandi necessitas, semperque fuit pœnitentiæ comes individua ac interpres, quod tum natura ipsa, tum antiqua Prophetarum oracula, tum Evangelii, & temporum Novatiano priorum exempla demonstrant:) sed quia locus & tempus primæ hujus exigendæ satisfactionis, artificiose, ut sic dixerim, & methodice, hactenus præscripta non fuerant. Primus, inquam, gradus erat, *flentium*, qui extra portas Ecclesiarum, in exteriori porticu constituti, saccum & vestes lugubres induti, cinere aspersi, crimina sua publica confessione vulgabant, & fidelium Ecclesiam ineuntium genibus advoluti, supplicabant ut pro se apud Deum & Episcopum intercedere dignarentur. Interim nulla eis Sacramenta conferebantur, nec imponebantur manus, nec peculiares ullæ pro eis preces fiebant, nisi privatim a fideli populo.

Hujus stationis meminit S. Gregorius Thaumaturgus; (*Ep. Canon. canone ult.*) *fletus*, inquit, *est extra portam oratorii*, *ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare*, *ut pro se precentur*. Meminit & S. Basilius: (*Ep. ad Amphiloch. can.* 56) *qui sua sponte*, inquiens, *interfecit*, *&* *postea pœnitentia ductus est*, *viginti annis Sacramento non communicabit: viginti autem anni sic in eo dispensabuntur*. *Debet quatuor annis flere*, *stans extra fores oratorii*, *&* *fideles ingredientes rogans*, *ut pro eo precentur*, *suam iniquitatem enuntians &c.* eodemque videtur alludere S. Joannes Chrysost. in quadam homilia Antiochiæ habita, (*hom.* 17 *in Matth.*) ubi nonnullos in impietate obstinatos objurgans: *cæterum*, inquit, *prohibebo vobis*, *ne Sacra hæc vestibula conscendatis*, *&* *immortalibus mysteriis participetis*, *ut fornicatoribus*, *adulteris*, *&* *homicidiorum reis*.

Nec hujus pœnitentiæ exempla plurima desunt. Afferam unum, omnium ætatum memoria ac prædicatione dignissimum, *Fabiolæ* nimirum inter matronas Romanas nobilissimæ: maritum illa adulterum dimiserat, eoque vivente, contra Evangelii præscriptum, & constitutionem Ecclesiæ, novum cum altero obierat matrimonium, hoc uno prætextu factum excusans, quod Imperatorum etiam Christianorum legibus, matrimonii vinculum in casu adulterii solveretur. Mox vero post mortem secundi viri ad se reversa, tantum scelus non renuit publica pœnitentia expiare: „ quis hoc „ crederet, inquit S. Hieronymus, (*Ep.* 30 „ *ad Oceanum*) ut post mortem secundi viri „ in semetipsam reversa, quo tempore solent „ viduæ negligentes, jugo servitutis excusso, „ agere se liberius, adire balnea, volitare per „ plateas, vultus circumferre meretricis, saccum indueret, ut errorem publice fateretur, & tota urbe spectante Romana, ante „ diem Paschæ, in Basilica quondam Laterani, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, presbyteris, & omni populo collacrymantibus; sparsum crinem, ora lurida, „ squallidas manus, sordida colla submitteret? „ quæ peccata fletus iste non purgat? Non „ est confusa Dominum in terris; & ille eam „ non confundet in cælo. Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit: dissuta habuit „ latera, nudum caput, clausum os. Non est „ ingressa Ecclesiam Domini; sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit, ut quam Sacerdos ejecerat, ipse revocaret . . . faciem per quam viro placuerat, verberabat: oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat, ... & multis impendiis medicaminum, „ unum vulnus sanare cupiebat “.

II

II

De audientium Statione.

Alter gradus erat *Audientium*. Audientes ideo dicti, quod paulo proximius ad templum accedentes, & in vestibulum Ecclesiæ januis contiguum admissi, psalmorum cantum, Lectionem Sacræ Scripturæ, Episcoporum aut Sacerdotum sermones & homilias audirent. Quibus persolutis ab Ecclesia, ante offertorium, cum Catechumenis ejiciebantur. *Sciendum est*, ait Micrologus, (*c. 51*) *juxta antiquos patres, quod soli* communicantes, divinis mysteriis interesse consueverunt. Unde & ante oblationem *juxta canones jubebantur exire Catechumeni & pœnitentes*.

Hujus pœnitentium stationis frequens in antiquis est mentio. *Auditio*, ait S. Gregorius Neocæsar. (*Ep. Canon. can. 11*), *est intra portam in porticu, ubi oportet eum qui peccavit stare usque ad Catechumenos, & illinc egredi. Audita enim Scriptura & doctrina ejiciatur, & precatione indignus censeatur* . . . & S. Basilius: (*in Epist. Canon. ad Amph. can. 56*) *qui sua sponte interfecit, & postea pœnitentia ductus est, viginti annis Sacramento non communicabit: viginti autem anni sic in eo dispensabuntur . . . . post quatuor autem annos inter auditores recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur* . . . . & S. Gregorius Nyssenus: *est ergo*, inquit, (*in Ep. Canon. ad Letoium*) *canon ejusmodi, ut qui fornicatione polluti sunt, in tribus annis ab oratione omnino expellantur, in tribus sint solius auditionis participes*.

III

De Statione substratorum.

Tertius gradus erat *substratorum*. Substrati dicebantur, qui a loco *audientibus* designato amoti, intra templi ambitum ad *Ambonem* usque recipiebantur. Erat *Ambo* parvum quoddam & elatum ædificium, eodem fere templi loco positum, in quo ætate nostra concionatorum pulpita extruuntur. In hac Statione, quamdiu Antistitibus visum foret, *substrati*, sive *prostrati*, sive *genuflexi*, (unum namque est,) permanebant; tuncque solum digni *pœnitentium* nomine judicabantur. Nam qui præcesserant *flentium*, & *audientium* gradus, pro mera ac simplici ad pœnitentiam præparatione numerabantur. *Oportet*, inquit sæpe memoratus Basilius. (*in Ep. ad Amphil. can. 22*) *eos* (qui mulierem vi rapuerint) *anno primo a precibus expelli, & deflere ad fores Ecclesiæ: secundo autem ad auditionem admitti: tertio admitti ad pœnitentiam* (substratorum:) *quarto ad congregationem cum populo, abstinentes ab oblatione: deinde eis permitti boni communicationem*.

In hoc ordine positi, Scripturarum interpretationi aderant, crebris orationibus, & frequente impositione manuum purgabantur, gravissimis exercebantur laboribus pœnitentiæ, ubertim effusis lacrymis ad excutiendum Diaboli tyrannidem, & Dei gratiam recuperandam disponebantur. Hinc *manuum impositio* pœnitentia dicta est. *Omni tempore jejunii*, ajunt patres Concilii IV Carthaginensis, (*can. 80*) *manus pœnitentibus a Sacerdotibus imponantur*. Quo sensu a S. Aug. dictum: (*lib. 3 cont. Donat. c. 19*) *quid est aliud manuum impositio, quam oratio super hominem?*

Hujus stationis frequentissima omnium memoria est in Gregorio Thaumaturgo, Basilio, Aug. cæterisque latinis Patribus, Concilio Ancyrano, can. 16, Concilio Agathensi, can. 60 &c.

IV

De Consistentium Statione.

Quartus denique gradus erat consistentium, ideo dictorum quia cum fidelibus in Ecclesia consistebant, omniumque orationum participes, mysteriorum celebrationi intererant, quorum tamen participatione excludebantur, donec expletis pœnitentiæ laboribus, jus communicandi recuperarent, & pristinum dignitatis gradum cum reliquis fidelibus obtinerent. *Congregatio seu consistentia est*, inquit S. Gregorius Thaumaturgus, (*Ep. Can. can. 11*) *ut cum fidelibus consistat, & cum catechumenis non egrediatur . . . . de iis qui sacrificare coacti sunt*, ajunt Patres Ancyrani, (*can. 4*) *placuit eos inter audientes una constitui, succumbere vero* (prosterni) *tribus annis, in oratione autem communicare biennio*: (nimirum in ordine consistentium) . . . . Eodemque sensu Concilium Œcumenicum I Nicænum: (*can. 12*) *hi*, inquit, *definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent*.

Consistentes in eo templorum spatio, quod ab Ambone ad Sanctuarium usque porrigebatur, commixti pene reliquis fidelibus, tempus pœnitentiæ adimplebant.

Jam si quærat aliquis, quantum temporis, in unaquaque statione morandum esset?

R. 1. Nullum de hac re generale fuisse decretum, sed quamcumque Orientis & Occidentis

tis Ecclesiam, propriam habuisse observantiam disciplinæ.

R. 2. Pro diversitate & gravitate criminum, breviata stationum interstitia, aut procrastinata. Sic enim pro homicidio voluntario, viginti pœnitentiæ annos esse decretos, S. Basilius attestatur, (*Epist. can. ad Amphil. can.* 56) ita distributos, ut quatuor priores pœnitens extra Ecclesiæ fores in *flentium* statione jaceret: quinque sequentes in ordine *audientium* decurreret, & reliquos undecim partim in *substratorum*, partim in *consistentium* numero adimpletet. Idem vero ibidem (*can.* 22) pro raptu mulieris, quatuor tantum pœnitentiæ annos assignat, quatuor stationibus respondentes.

R. 3. In Episcoporum arbitrio esse relictum, ut pœnitentiæ agendæ tempus, vel protraherent, vel arctiori spatio definirent. *Penes autem Episcopos erit potestas*, ajunt Patres Ancyrani, (*can.* 16) *modum conversationis eorum probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adjicere: ante omnia vero præcedens eorum vita, & posterior inquiratur: & ita humanius cum illis agatur.*

Quod si iterum quis interroget, utrum hæ omnes stationes singulis pœnitentibus essent necessario decurrendæ:

R. Negative: nonnumquam enim ab infima ad supremam, nulla interposita media perveniebatur. *Quotquot metu, & lacrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus videlicet ipsis conversionem suam, non simulatione, demonstrant*, ait Concilium I Œcumenium Nicænum, (*can.* 12) *hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum* (prætermisso gradu substrationis) *fidelibus in oratione communicent. Postmodum vero licebit Episcopis, de his aliquid humanius cogitare*: quin & plerisque indultum, ut statim ad gradum consistentium, nulla præmissa graduum præcedentium probatione ascenderent. *Adulterio pollutas mulieres*, ait S. Basilius, (*Ep. ad Amphilochium can.* 34) *& confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas; publicare quidem patres nostri prohibuerunt, ne convictis, mortis causam præbeamus*: (ex maritorum videlicet zelotypia) *eas autem stare sine communione jusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ*. Eademque gratia ad eos extenta, qui peccata quantumvis gravissima, sponte, nullo delatore, confitebantur. *Si accusati, convicti fuerint*, ait S. Gregorius Thaumaturgus, (*Ep. Can. can.* 9) *sint similiter in iis qui substernuntur: sin autem se ipsos enunciaverint, & restituerint, etiam precibus digni habeantur.*

PROBATIO QUARTA.

Ex Disciplina quæ pœnitentiæ publicæ abrogationem in Oriente & Occidente excepit.

Quam argumento præcedente descripsimus pœnitentiæ rationem, Græci brevissimo tempore, Latini paulo constantius tenuerunt. Hanc enim 4 sæculo *Nectarius* Patriarcha Constatinop. de quo qu. 4 prædictum est, Constantinopoli abrogavit: unde indulgentiæ exemplum per totum late Orientem est propagatum: nostri vero, Latini nimirum, ad sæculum usque 7 observatam, paulatimque consenescentem, abire in desuetudinem permiserunt. Cui mutationi, sive impatientia disciplinæ rigidioris, (moribus paulatim ad laxitatem vergentibus,) sive *Theodori* Episcopi Cantuariensis, qui Græcus genete, prout a suis fuerat institutus, *pœnitentiale* conscripsit: sive causa simul utraque locum dedit.

Quamquam vero ab antiqua pœnitentiæ publicæ disciplina utrimque descitum sit; nihil tamen de ejusdem secreto agendæ auctoritate his temporibus imminutum. Nam in observandis imponendæ pœnitentiæ canonibus diu rigor primitivus obtinuit: id quod facile qui horum temporum monumenta scrutabitur, observabit.

Nam quod ad Græcos & Orientales spectat, certum est summæ inter illos semper auctoritatis fuisse canonicas SS. Gregorii Thaumaturgi, Basilii, Gregorii Nysseni Epistolas, & Conciliorum veterum canones, satisfactionis agendæ necessitatem, tempus, modumque præscribentes. Indeque est, quod impositionem satisfactionis, *canonem* appellaverint; ut hac nimirum voce significarent, normam satisfaciendi, non in cujusvis Sacerdotis arbitrio esse positam, sed ab antiqua Patrum dispositione pendere, unde non posset sine crimine Sacramenti violati quisquam recedere: idemque adstruunt canonum collectiones, a *Joanne Jejunatore* sexto sæculo Patriarcha Constantin. & aliis deinceps unaquaque ætate ad restitutionem disciplinæ veteris factæ, quibus jejunia, in longum tempus protracta, preces assiduæ, nocturnæ vigiliæ, abstinentiæ, eleemosynæ ad pœnitentium facultates attemperatæ, fletus, prostrationes, aliaque id genus plurima, tanto rigore decernuntur; ut simul declaretur, Sacerdotem qui vel mala commiseratione commotus, vel avaritia instigante, ab his tam necessariis regulis deviarit enormis sacrilegii, & criminis a Juda proditore commissi reum futurum; nec quidquam sibi, aut pœnitenti, reconciliatione præcipiti, præter damnationem allaturum: isthæc annotasse

tasse

tasse compendio, ne modum excedamus probationis, sat esse judicamus, quæ si quis penitius explorare voluerit, legat *Morini* de pœnitentia libros diligentissime exaratos, ubi Græcorum & Orientalium mores fusissime describuntur. Legat pariter *perpetuitatis fidei*, (auctore viro nostræ ætatis doctissimo Eusebio Renaudot,) tomum quintum, libris tertio & quarto, ubi eadem materia summa accuratione tractatur.

De latinis vero quid dicam, quos constat a sæculo septimo, quo pœnitentia publica, ut prædiximus, exolevit, antiquæ nihilominus disciplinæ tenacissimos extitisse? Apud illos enim semper verum fuit, quod est a S. Cypriano præclare dictum: (*Tract. de laps.*) *quam magna deliquimus, tam granditer defleamus: alto vulneri diligens & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit* .... item a S. Ambrosio: (*lib. 1 de pœn. cap. 2*) *Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis, sine ulla exceptione concessit. Sed qui culpam exaggeravit, exaggeret etiam pœnitentiam: majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus* ... Et ab Innocentio I Pontifice Max. (*Ep. 1*) *de pondere æstimando delictorum. Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis: ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.*

Quandonam vero satisfactio congrua præcessisse putaretur, facile ex antiquis canonibus judicium erit, quos in pœnis imponendis esse sequendos latini summa consenssione contendebant. Sic Concilium Moguntinum, medio circiter 9 sæculo, *Rabano* Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopo Præside habitum: *modus, tempusque pœnitentiæ*, inquit, (*Can. 13*) *peccata sua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem, aut per Sanctarum Scripturam auctoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem imponi debet a Sacerdotibus. Nam qui pro peccatis gravibus leves quosdam & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos secundum Propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Idemque a Concilio Cabilonensi secundo, can. 38 sancitum, ubi postquam Moguntinæ Synodi decretum modo relatum, ad verbum exscripsit, *Libellos pœnitentiales* contra antiquam auctoritatem exaratos abrogat, *quorum*, inquit, *certi sunt errores, incerti auctores*. Et a Concilio Turonensi III sic præscribente: (*Can. 22*) *Episcopis & presbyteris diligenti cautela pertractandum est, quatenus hominibus sua sibi delicta confitentibus, tempus abstinendi adscribant, & juxta modum peccati pœnitentibus abstinentia indicatur. Quoniam varie ab aliquibus Sacerdotibus & indiscrete hæc judicia proferuntur; ideo necessarium nobis videtur, cum omnes Episcopi ad Sacrum Palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus antiquorum liber pœnitentialis potissimum sit sequendus* .... Et a Concilio Romano sub Gregorio VII Pontifice Max. sic statuente: (*Can. 2*) *falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritatem SS. Patrum, pro qualitate criminum imponuntur* .... Accedunt Canonum collectiones, in diversis pœnitentialibus libris, variisque temporibus, a Ven. Beda, Rabano Mauro, Burchardo Wormatiensi, Anselmo Lucensi, Ivone Carnotensi, Gratiano, & pluribus aliis concinnatæ; quas si quis ad præteritæ disciplinæ memoriam, non ad præsentis necessitatem descriptas fuisse proterve contenderit, Ecclesiæ judicio, ut statim liquebit, contradicere convincetur. Constat igitur id quod §. præsenti probandum assumpseram, summum in imponendis satisfactionibus Ecclesiæ antiquitus fuisse rigorem. (1)

Sequitur

§. SECUNDUS.

Ostenditur, quamquam exterior disciplina mutata sit, eumdem tamen vigere Ecclesiæ spiritum; adeoque opera pœnitentiæ pro gravitate criminum exigenda.

Quam litem a novellis casuum expositoribus, non sine bonorum scandalo intentatam, etiam si sola ratio arbitra audiretur, facile vincendam confideremus.

Lex enim satisfaciendi divina est, idest a Deo ipso peccatoribus posita. Quod si divina, immutabilis & æterna: quia apud Deum non est mutatio, aut vicissitudinis obumbratio: adeoque quod semel verum fuit, est tale etiamnum, semperque erit: (*Joel. 2, 12, & seq.*) *convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum &c.* ... (*Luc. 3, 8*) *facite fructus dignos pœnitentiæ:* & pleraque alia ejusdem sensus, in utroque testamento passim asserta. Eadem ergo in præsenti

(1) *Qui pleniorem de hac Ecclesiæ disciplina notitiam habere cupit, adeat* Historiam Sacramentorum *D. Chardon T. 2, lib. 2, qui totus in ea describenda, ac exponenda insumitur.*

senti viget, quæ ante viguerat, necessitas satisfaciendi; atqui non putabat olim Ecclesia posse Deo aliter, quam durissimis laboribus satisfieri. Eadem ergo illius in præsenti mens est, idem Spiritus: ergo contra ejus auctoritatem ac regulam enormiter peccant ministri, quando pro gravissimis quibusque sceleribus, levissimas (si hoc tamen nomine dignæ sunt) satisfactiones indulgentiæ prætextu, imponunt; & de eorum numero sunt de quibus Christus cum indignatione pronuntiat: (*Matth.* 15, 14) *cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt* ... Et Sp. Sanctus in veteri testamento: (*Jer.* 6, 14) *curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: pax, & non erat pax.*

Deinde hoc ipsum adstruit notio satisfactionis, quæ compensationem, & plenam, quoad quidem fieri potest, delicti cum ejusdem castigatione adæquationem importat. Quid enim est *satisfactio* generatim? Nimirum, *rei debitæ integra solutio*: *injuriæ alteri illatæ compensatio, secundum justitiæ æqualitatem*. Quid porro est satisfactio Deo agenda? " Est utique „ *voluntaria sui ipsius punitio, ad compensan-* „ *dam injuriam Deo illatam per peccatum, i-* „ *psumque placandum* .... Sive, *inquit S.* „ *Anselmus* (*lib.* 1, *cur Deus homo? c.* 11) est, „ Deo debitum honorem impendere, *ratione* „ *nimirum culpæ commissæ, per quam homo* „ *honorem debitum Deo rapuit, quemque ideo* „ *resarciri, ratio & æquitas postulat*. Pecca- „ re quippe nihil aliud est, quam Deo non „ reddere debitum. Debitum porro est, ut o- „ mnis voluntas rationalis creaturæ, subjecta „ sit voluntati Dei. Hunc honorem debitum „ qui Deo non reddit, aufert Deo quod suum „ est, & Deum exhonorat. Quamdiu autem „ non solvit quod rapuit, manet in culpa: nec „ sufficit solummodo reddere, quod ablatum „ est; sed pro contumelia illata plus debet „ reddere quam abstulit. Sicut enim qui lædit „ salutem alterius, non sufficit si salutem re- „ stituit, nisi pro illata doloris injuria recom- „ penset aliquid: ita qui honorem alicujus vio- „ lat, non sufficit honorem reddere, si non se- „ cundum exhonorationis factam molestiam, „ aliquid quod placeat illi quem exhonoravit, „ restituat. Hoc quoque attendendum, quod „ cum aliquis, quod injuste abstulit, solvit; „ hoc debet dare, quod ab illo non posset exi- „ gi, si alienum non rapuisset. Sic ergo debet „ omnis qui peccat, honorem quem rapuit Deo „ solvere, & hæc est satisfactio, quam omnis „ peccator debet Deo facere .... Quid de- „ nique est satisfactio, quam in Sacramenti pœ- „ nitentiæ partibus collocamus? Videlicet " *voluntaria perpessio pœnæ a Sacerdote in pœnitentiæ tribunali impositæ, ad compensandam injuriam Deo illatam ipsumque placandum, cum firmo proposito peccata in posterum omni studio vitandi*. Inde sic argumentor:

Quod olim Ecclesia voluit, & Sp. Sancto regente præscripsit, scilicet debitum cum Deo contractum, ex integro (quoad humanæ infirmitati conceditur) esse solvendum, & illatam supremæ ejus majestati, injuriam compensandam, etiamnum vult; quod sane nisi vellet, injustitiæ & infidelitatis merito redargueretur; atqui levibus pœnitentiæ operibus, qualia plerumque hodie ab ignavis & ignaris Sacerdotibus præscribuntur, intelligit gemebunda mater contractum cum Deo debitum non solvi, nec irrogatam summæ ejus majestati injuriam resarciri. Quis enim nisi demens asserere audeat, violatum blasphemia sæpius repetita numen, abnegationem fidei, pollutum adulterio Thorum alienum, conflatas proximo atroces calumnias, incestus, incendia, homicidia, & alia id genus, non tam scelera, quam scelerum monstra, unius aut alterius horæ precatiunculis, modico jejunio, parvis eleemosynis resarciri? Non est ergo hæc Ecclesiæ mens, quæ licet necessitate compulsa, veteris toleret disciplinæ mutationem, vult tamen, quod nolle Sanctissima Sponsa non potest, jura Sponsi Dei sarta intactaque manere.

Præterea. Hoc est proprium satisfactionis, ut non modo emendet Deo illatam injuriam, sed etiam causas & radices peccatorum extirpet. *Satisfactio*, ait author libri de Ecclesiasticis dogmatibus, (*cap.* 54) *est peccatorum causas excindere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere*. Sive, ut definit S. Isidorus Hispalensis, (*lib.* 6 *originum, tit. de offic.*) *satisfactio est, causas peccatorum & suggestiones excludere, ac peccatum ultra non iterare*: quo fit, ut satisfactio medicinæ habeat rationem; atque adeo debeat ad morbi majorem minoremve gravitatem attemperari: vel ergo dicendum, Ecclesiam morbos spirituales pœnitentium modo non velle sanare, quod impium foret; vel si hoc, ut æquum est, concedamus, fatendum similiter vigere etiamnum eumdem spiritum, quo antiquitus in imponendis severioribus pœnitentiis animatam fuisse constat: alioquin enim in universam Ecclesiam accusatio laxitatis recideret, qua nonnullos suæ ætatis ministros, *Felicissimi* nimirum sectatores, S. Cyprianus taxabat. *Emersit, fratres dilectissimi*, inquiebat (*tract. de lapsis*) *novum genus cladis; & quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Evangelii ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis* com-

communicatio: irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Pœnitentia de peccatoribus excussa est, gravissimi extremique delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium vulnera: & plaga lethalis, altis & profundis visceribus infixa, dissimulato dolore contegitur.

Insuper. Satisfactio, uti olim fuit, hodie pariter est, pars Sacramenti pœnitentiæ, integralis illa quidem & accessoria, si in executione sumatur, quia impossibilem reddit, ut aliquando sive morbo, sive alio quovis casu adveniente contingit; in voto tamen ac proposito essentialis: unde sequitur naturam ejus immutabilem esse, nec ab hominum arbitrio dependere. Quod enim alibi (*lib. 1 de Sacr. in gen.*) demonstravimus, materias & formas Sacramentorum, ex divina institutione immutabiles esse, hic etiam habet locum. Jam sic prosequor argumentum; atqui primitus Ecclesia, edocta a Sancto Sp. intellexit, veram satisfactionem sine summa difficultate non esse: unde laboriosus baptismus a patribus dicta pœnitentia est, divina nimirum id exigente justitia, ut ad vitæ novitatem & integritatem peccato deperditam, per sacramentum pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus & laboribus pervenire nequaquam possimus. Ergo idem hodie sentit, graves scilicet pro gravitate criminum, pœnitentias imponendas; alioquin enim suam prætergressa potestatem, materiam Sacramenti mutasset, jus divinum sibi temerario arrogando.

Minime ergo putandum, antiquos de pœnitentia Canones, majorum auctoritate ac reverentia consecratos, sic esse abolitos, ut Sacerdotibus absque ullo ad rigorem primitivum respectu, modo liceat levissimas satisfactiones pro quovis indiscriminatim peccato injungere: quem abusum etsi gemens Ecclesia toleret, abusum tamen esse sæpe declaravit, nihilque neglexit ut fervorem pristinum (quantum permittebat calamitas temporum) excitaret. Sic Concilium Parisiense 6: " quoniam, inquit, (*lib. 1, c.* " 32) multi Sacerdotum, partim incuria, par" tim ignorantia, modum pœnitentiæ, reatum " suum confitentibus, secus quam jura cano" nica decernant, imponunt, utentes scilicet " quibusdam codicillis contra canonicam au" ctoritatem scriptis, quos pœnitentiales vo" cant: & ob id non vulnera peccatorum cu" rant, sed potius foventes palpant, inciden" tes in illud Propheticum: (*Ezech. 13, 18*) " *væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito* " *manus, & faciunt cervicalia ad decipiendas* " *animas*: omnibus nobis salubriter in com" mune visum est, ut unusquisque Episcoporum " in sua Parochia eosdem erroneos codicillos " diligenter perquirat, & inventos igni tra" dat, ne per eos ulterius Sacerdotes imperiti " homines decipiant. Sacerdotes porro, qui aut " muneris, aut amoris, aut timoris, aut certe " favoris causa, tempora, modumque pœniten" tiæ ad libitum pœnitentium inducunt, au" diant quid Dominus per Ezechielem Prophe" tam terribiliter dicat: (*ib. v. 8, & seqq.*) " *hæc dicit Dominus Deus: quia locuti estis* " *vana, & vidistis mendacium, ecce ego ad* " *vos, ait Dominus Deus: & erit manus mea* " *super Prophetas, qui vident vana, & divi-* " *nant mendacium: in concilio populi mei non* " *erunt, & in Scriptura Domus Israel non* " *scribentur, nec in Israel ingredientur, &* " *scietis quia ego Dominus Deus, eo quod de-* " *ceperint populum meum dicentes: pax pax,* " *& non est pax* . . . . & post non multa: " *cum caperent animas populi mei, vivificabant* " *animas eorum, & violabant me ad populum* " *meum, propter pugillum hordei, & frag-* " *men panis, ut interficerent animas quæ non* " *moriuntur, & vivificarent animas quæ non* " *vivunt, mentientes populo meo credenti men-* " *daciis*: presbyteri etiam imperiti solerti stu" dio ab Episcopis suis instruendi sunt, quali" ter & confitentium peccata discrete inquire" re, eisque congruum modum, secundum ca" nonicam auctoritatem, pœnitentiæ noverint " imponere: quoniam hactenus eorum incuria " & ignorantia, multorum flagitia remanserunt " impunita: & hoc ad animarum ruinam per" tinere dubium non est".

Parique sensu Isaac Lingonensis Episcopus: (*canon. pœn. tit. 1, c. 39*) *qualis peccatis adhibenda sit medicina, secundum canonum authenticorum, & SS. Patrum esse debet institutionem, & non secundum placitum hominum, sed secundum Dei voluntatem. Nec in hac parte voluntas, aut gratia hominis sectanda est, sed voluntas Dei omnibus exquirenda, quatenus digni precibus & pœnitudine digna placare possit omnipotentis Dei vindictam, quam suo vitio provocavit.*

Et Guillelmus Parisiensis: (*tract. de Sacr. pœn. c. 20*) *cum in arbitrio confessoris & voluntate*, inquit, *pœnitentialem satisfactionem positam esse dicamus; dicimus consequenter, quod in bona fide ipsius hoc positum est: hoc autem exigit bona fides, ut consulantur periti juris cælestis atque divini, vel scripta Sanctorum atque prudentium, de pœnitentia atque iniunctione, ubi confessori propria peritia non sufficit: & quod debita deliberatione atque consilio pœnitenti injunxit, hoc misericors Deus tamquam gratiam, satisfactionem, & sacrificium reconciliationis seu propitiationis a pœnitente suscepit. Si enim*

ne

ne erretur in judicio, quo de agro vel fundo, vel de alia re temporali agitur, tantopere consuluntur libri legum ac judiciorum sæcularium, atque sollicite examinatur factum, de quo vel per quod judicandum est, tanta circumspectione cogitatur, deputatur, circumspicitur atque pronuntiatur etiam in scriptis sententia: quanto magis similia omnia facienda sunt in hoc judicio spirituali? Et qui minori diligentia uteretur in isto judicio, quam in judicio sæculari, manifeste negligens esset, & iniquus, atque infidelis judex.

Accedit Concilii Œcumenici Trid. auctoritas. *Debent Sacerdotes Domini*, inquit, (*Sess.* 14, *c.* 8) *quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad vitæ novæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

Nec dissentit catechismus ejusdem concilii jussu editus: *in irroganda satisfactionis pœna*, inquit, (*par.* 2, *tit. de Sacr. pœn.* §. 113, & *seqq.*) *Sacerdotes nihil suo arbitratu statuendum esse, sed omnia justitia, prudentia, & pietate dirigenda existimabunt: atque ut hac regula peccata metiri videantur, & pœnitentes scelerum suorum gravitatem magis agnoscant, operæ pretium erit, interdum eis significare, quæ pœnæ quibusdam delictis, ex veterum canonum præscripto, qui pœnitentiales vocantur, constitutæ sint: igitur universæ satisfactionis modum culpæ ratio temperabit.*

Infinita futura probatio fuerit, si animus sit colligere decreta Synodorum tum provincialium, tum diœcesanarum, quibus hæc assertio confirmatur, eorumque improbatur laxitas qui in decernendis satisfactionibus, de ulciscenda Dei injuria, & pœnitentium morbis sanandis nec cogitant quidem; sed arbitrio, & temeritate præcipiti, contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, nulla fere satisfaciendi conditione imposita, falsam fallacemque pacem, ultro citroque concedunt, tum exitiosam dantibus, tum nihil accipientibus profuturam.

Unum itaque sat erit addere S. Carolum Borromæum, magnum illud caritatis & zeli pastoralis exemplar, quem propter prodigiosam vitæ Apostolicæ sanctitatem, & veteris revocandæ disciplinæ ingens studium, Ecclesia universa cum admiratione suspexit, nec mirari cessat: *Sacerdos*, inquit, (*in institutionibus confessorum*) *canones pœnitentiales consulet, quibus licet cum prudentia, discretione, & modo, pro pœnitentis contritione, qualitate, statu, aliisque circumstantiis uti debeat; observandi tamen sunt: ita ut juxta eos, quasi juxta traditam sibi regulam, Sacerdos se gerat, prout expedire ei visum fuerit: & quando pœnitentiam canonibus antiquis præscriptam non imponat, eam tamen pœnitenti significabit, ut ad contritionem eum moveat, & leviorem injunctam pœnitentiam ipse ardentius exequatur, motus scilicet ex hodiernæ Ecclesiæ benignitate, qua antiquioris disciplinæ rigor mitigatur* . . . . quorum similia *in instructionibus pœnitentiæ* sæpe repetit: quamquam itaque multum de antiqua severitate remissum sit; fatendum tamen, eumdem qui fuit olim, Ecclesiæ spiritum etiam num perdurare: quod erat probandum.

§. TERTIUS.

Antiqui pœnitentiæ canones describuntur.

Cum ad antiquos canones teneantur Sacerdotes suum de satisfactione imponenda judicium, quoad potest fieri, conformare; consequens est ut eorum instructi scientia esse debeant: *Canones pœnitentiales*, inquit S. Antoninus, (3 *par. tit.* 17, *c.* 21) *tenetur scire sacerdos: alias vix in eo nomen sacerdotis constabit*: eos itaque haud abs re erit, pro decalogi ratione a S. Carolo Borromæo dispositos, & ex antiquis conciliis, patribus, ac pœnitentialibus libris, maximam partem descriptos, hic repræsentare.

I.

Canones pœnitentiæ ad primum decalogi præceptum spectantes.

„ Qui a fide catholica desciverit, si intimo „ summoque dolore affectus, ad Ecclesiam „ redierit, pœnitentiam aget annis 10.

„ Qui dæmoni immolaverit, in pœnitentia „ erit annis 10.

„ Qui more Gentilium elementa coluerit: „ qui vel segetibus faciendis, vel ædibus ex„ truendis, vel arboribus serendis, vel nuptiis „ contrahendis inanem signorum fallaciam ob„ servaverit: pœnitentiam aget annos duos fe„ riis legitimis: (*id est feria* 2, 4, & 6, *quæ* „ *legitimæ dicebantur, propterea quod ad ab*„ *stinentiam & jejunium legibus Ecclesiasticis* „ *essent consecratæ*)

„ Qui cum Judæo cibum sumpserit, pœni„ tens erit dies 10, pane, & aqua victitans.

„ Qui auguriis, & divinationibus servierit, „ quive

" quive incantationes Diabolicas fecerit, pœnitens erit annos 7.

" Mulier incantatrix, pœnitentiam aget annum, vel (ut alio canone præscribitur) annos 7.

" Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit, pœnitentiam aget dies 20.

" Qui magos consuluerit, in pœnitentia erit annos 5.

" Qui ædes magicis cantionibus lustrat, aliudve tale admittit; & qui ei consentit, quive consulit; in pœnitentia erit annos 5.

" Qui tempestatum immissor erit, pœnitentiam aget annos 7, tres in pane & aqua: qui vero crediderit, particepsve fuerit, annum unum per legitimas ferias.

" Si quis ligaturas aut fascinationes fecerit, pœnitens erit annos 2 per legitimas ferias.

" Si quis sortilegus erit, pœnitentiam aget dies 40.

" Si quis in codicibus aut in talibus, sorte ducta, res futuras requisierit; pœnitens erit dies 40.

" Respiciens furta in astrolabio, annis 2.

" Si quis Clericus vel monachus, postquam Deo voverit, ad sæculum redierit; pœnitentiam aget annos 10, quorum tres in pane & aqua.

II.

Canones pœnitentiæ contra infringentes secundum decalogi præceptum.

" Quicumque sciens pejeraverit, 40 dies in pane & aqua, & 7 sequentes annos pœniteat, numquam sit sine pœnitentia, & numquam in testimonium recipiatur: & post hæc communionem percipiat.

" Qui perjurium in Ecclesia fecerit, pœnitentiam aget annos 10.

" Qui sciens pejerat Domini impulsu, pœnitens erit quadragesimas tres & ferias legitimas: Dominus autem qui præcepit, 40 dies in pane & aqua, & 7 sequentes annos.

" Si quis sciens pejeraverit, aliosque in perjurium induxerit; pœnitens erit dies 40 in pane & aqua, & 7 sequentes annos: & tot perjuria jejunabit, quot homines in perjurium induxerit.

" Si quis suspicatus, se ad perjurium induci, ex consensu jurat; pœnitentiam aget dies 40, & 7 annos sequentes, & numquam sine gravi pœnitentia erit.

" Si quis per cupiditatem perjurium fecerit, carinam (*carina*, *barbara vox*, *idem quod quadragesimam*, *sive* 40 *dierum continuationem significans*: *quam alii carentanam*, *aut quadragenam dixere*) in pane & aqua jejunet, & quamdiu vivet, omnes sextas ferias: item, si quis per cupiditatem pejeraverit, omnes res suas vendet, & pauperibus distribuet, & monasterium ingressus, jugi se pœnitentiæ subdet.

" Si quis coactus, necessitateque aliqua impulsus perjurium commiserit, in pœnitentia erit quadragesimis tribus.

" Item: si quis coactus pejeraverit, pœnitens 40 diebus pane & aqua victitet, ac præterea omnibus sextis feriis.

" Si quis seductus, ignorans, (pejeraverit,) & postea cognoscit: pœnitentiam aget annum unum, vel quadragesimas tres, vel dies 40.

" Qui compellit alium ut falsum juret, 40 dies in pane & aqua, & 7 annos in pœnitentia erit.

" Si quis jusjurandum, quo se regi & Domino suo adstrinxerit, violaverit; in monasterio pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ suæ.

" Si quis se jurejurando obstrinxerit, ut cum aliquo litiget, nec pacem cum eo reconciliet; pœnitentiam aget dies 40 in pane & aqua, per annum a sacra communione segregatus: ad caritatem vero celeriter redeat.

" Si quis per capillum Dei, aut per caput ejus juraverit; si semel nesciens fecerit; pœnitens aqua & pane septem dies victitet: si secundo ac tertio monitus idem fecerit, dies 15.

" Si per cœlum, aut per aliquam creaturam; dies item 15.

" Si quis blasphemat, tamdiu pœnitens erit, quamdiu impœnitens permansit.

" Si quis Deum, vel beatam Mariam Virginem, vel aliquem sanctum publice blasphemaverit, pro foribus Ecclesiæ, diebus Dominicis 7, in manifesto, dum missarum solemnia aguntur, stet: ultimoque ex illis die, sine pallio & calceamentis, ligatus corrigia circa collum: septemque præcedentibus feriis sextis in pane & aqua jejunet, Ecclesiam nullo modo tunc ingressurus: singulis item 7 illis diebus Dominicis, tres, aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest; alioquin alia pœnitentia afficiatur: recusans, (*hanc subire pœnam*,) Ecclesiæ ingressu interdicatur; in obitu, Ecclesiastica careat sepultura; dives a magistratu mulctetur pœna solidorum 40, alioqui 30, seu 20.

III.

III

Canones pœnitentiæ ad tertium præceptum spectantes.

„ Qui opus aliquod servile die Dominico, „ festove fecerit; pœnitentiam aget tres dies „ in pane & aqua.

„ Qui die Dominico opus terrenum fecerit, „ dies 7 pœnitentiam aget.

„ Si quis ante Ecclesiam saltationes fecerit, „ emendationem pollicitus, pęnitentiam aget „ annis 3.

„ Si quis pransus missæ interfuerit, pœnitens „ erit dies tres in pane & aqua.

„ Si quis sacram communionem sumpserit „ post aliquam vel minimam degustationem, „ pœnitentiam aget dies 10 in pane & aqua.

„ Si quis in Ecclesia confabuletur, cum divina „ fiunt; pœnitens erit dies 10 in pane „ & aqua.

„ Si quis jejunia a Sancta Ecclesia indicta „ violarit, pœnitentiam aget dies 20 in pane „ & aqua.

„ In quadragesima, carne, sine inevitabili „ necessitate vescens, in pascha non communicet, „ ac præterea a carne abstineat.

„ Qui in quadragesima jejunium violaverit, „ pro uno die pœnitentiam aget dies 7.

„ Si quis jejunium quatuor temporum non „ custodierit, pœnitens erit die 40 in pane „ & aqua.

IV

Cannones pœnitentiæ contra infractores quarti præcepti.

„ Qui parentibus maledixerit, 40 dies pœnitens „ sit in pane & aqua.

„ Qui parentes injuria affecerit, tres an„nos.

„ Qui percusserit, annos septem.

„ Qui expulerit, tamdiu pœnitens, quam„diu in impietate permanserit.

„ Si quis contra Episcopum, pastorem, & „ patrem suum insurrexerit, in monasterio „ omnibus diebus vitæ suæ pœnitentiam aget.

„ Si quis contra Episcopum conspiraverit, „ gradu suo amovebitur.

„ Si quis Episcopi sui, aut ministrorum „ ejus, vel parochi sui præcepta contempse„rit, vel irriserit; pœnitentiam aget dies „ 40 in pane & aqua.

V

Canones pœnitentiæ circa peccata contra quintum præceptum commissa.

„ Qui presbyterum occiderit, pœnitentiam „ aget annis 12.

„ Si quis presbyter presbyterum occiderit, „ pœnitentiam aget annis 28.

„ Si quis presbyterum armis contra se ir„ruentem occiderit, pœnitens erit annos 10.

„ Si quis patrem aut matrem, fratrem aut so„rorem occiderit, toto vitæ suæ tempore „ non suscipiat corpus Domini, nisi in obitu: „ abstineat a carne & vino dum vixerit; je„junet 2, 4, & 6 feria: si autem nolenti „ accidit, decem annis pœniteat judicio Sa„cerdotis.

„ Qui voluntarie filium suum, vel filiam „ suam, vel germanum, aut germanam suam „ occiderit, 5 annis extra metas ipsius terræ „ exul fiat: deinceps 20 annis pœniteat.

„ Quæ mulier filios suos necarit; peracta „ septenni pœnitentia, in monasterium de„trusa, monasticam vitam perpetuo regula„riter aget.

„ Si quæ mulier post partum, filium filiam„ve sponte interfecerit, pœnitentiam aget „ annos 12, & numquam erit sine pœniten„tia.

„ Paupercula, si ob difficultatem nutriendi „ id commiserit, annos 7.

„ Si qua mulier sponte abortum fecerit: „ pœnitentiam aget 3 annos: si nolens, qua„dragesimas tres.

„ Item: mulier partum suum perdens volun„tarie ante 40 dies, pœnitens erit annum „ unum: si post 40 dies, annos tres: si ve„ro postquam editus est in lucem, tamquam „ homicida.

„ Quæ sceleris occultandi causa filium ne„carit; pœnitentiam aget annos 10.

„ Qui nolens filium oppresserit; si post ba„ptismum, pœnitentiam aget dies 40 in pa„ne & aqua, oleribus, ac leguminibus: ab„stinebit ab uxore dies totidem: deinde pœ„nitens erit tres annos per legitimas ferias: „ tres præterea quadragesimas in anno obser„vabit: si ante baptismum; 40 dies, ut su„pra, & quinquennii præterea pœnitentiam „ explebit.

„ Cujus parvulus sine baptismo per negli„gentiam moritur, tres annos pœniteat, „ unum in pane & aqua.

„ Cujus filius sine confirmationis Sacramen„to moritur; parentes quorum negligentia

„ id

„ id factum est, pœnitentiam agent annos „ tres.

„ Si quis explendæ causa libidinis, vel odii „ meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel „ ad potandum dederit, ut non possit generare aut concipere; homicida teneatur.

„ Qui uxorem occiderit; aut monasterium „ ingrediatur, pęnitentiam perpetuam acturus; aut cuncta negotia sæcularia dimittens, „ perpetuo abstineat a carne, sagimine, vino, cervisia &c. exceptis diebus resurrectionis & natalis Domini: uxorem non ducat, in fine tantum vitæ Eucharistiam accipiat.

„ Si mulier maritum suum causa fornicationis veneno interfecerit, aut quacumque „ arte mortem ejus procuraverit; sæculum relinquat, & in monasterio pęniteat.

„ Qui mortem sibi consciverit, pro eo nulla in missa commemoratio fiat, neque cum „ psalmis ejus cadaver sepeliatur.

„ Si quis sponte hominem occiderit, ad januam Ecclesiæ semper erit, & in obitu „ communionem recipiet: si casu necarit, pęnitentiam aget annos 7.

„ Si quis hominem necare voluerit, neque „ hoc scelus potuerit patrare; ut homicida „ pœnitentia afficietur.

„ Si quis per iram subitam, aut per rixam „ hominem necarit; pœnitentiam aget annos „ tres.

„ Si quis jussu domini homicidium perpetrarit; dies 40 in pane & aqua, & præterea 7 annos sequentes, per legitimas ferias jejunabit.

„ Qui homicidii auctor fuit, ob consilium „ quod dedit, erit in pœnitentia 40 dies in „ pane & aqua, cum 7 sequentibus annis.

„ Si qui casu homicidium fecerit, pœnitens „ erit 40 dies in pane & aqua: quinquennio „ communione privabitur: a cibis abstinebit „ arbitrio Sacerdotis.

„ Qui homicidio quod postea factum est, „ consenserit; pœnitentiam aget annis 7, tres „ in pane & aqua: si autem voluerit, nec potuerit: tres tantum annos.

„ Si quis aliquem vulnerarit, vel ei aliquod „ membrum præciderit: pœnitentiam aget uno „ anno per ferias legitimas: si cicatrix gravis est, & vulneratum deformem reddit; „ 40 etiam dies pœnitebit in pane & aqua.

„ Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit; tridui pœnitentiam aget in pane & „ aqua: clericus, unius anni & mensium sex.

„ Si quis aliquem per iram percutiens debilitaverit; soluta medicamenti impensa, si „ laicus est, pœnitens erit quadraginta dies „ in pane & aqua: si Clericus, duas quadragesimas: si diaconus, septem mensibus, si „ presbyter, uno anno.

„ Si quis fratri suo quem oderit, reconciliari non vult: tamdiu in pane & aqua pęnitentiam aget, quoad reconcilietur.

V I

Canones pœnitentiæ ad expianda peccata contra sextum mandatum commissa.

„ Si laicus solutus cum fœmina soluta concubuerit; pęnitens erit annos tres: & quanto sæpius, tanto majori pęnitentia afficietur. „ Uxor viro conscio mæchata, si dignam pęnitentiam egerit, post 10 annos sacram „ communionem sumet.

„ Si quis conjugem fornicari consenserit, „ diebus omnibus vitæ in pœnitentia erit.

„ Vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, pęnitentiam aget annos „ 7, mulier. 5.

„ Mulier soluta cum alterius marito adulterium patrans, pęnitentia afficietur decennali.

„ Si quis maritus semel lapsus est, pœnitentiam aget annos 5; si sæpius, omnibus „ diebus vitæ suæ.

„ Si quis uxorem simul & concubinam habuerit: in pœnitentia erit annos 7, & amplius pro ratione culpæ.

„ Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pœnitens erit 40 dies.

„ Si quis adolescens cum virgine peccaverit; pœnitentiam aget annum unum.

„ Qui puellam, aut mulierem libidinose „ obtrectaverit; si clericus est, quinque dies, „ si laicus 3 dies pœnitentiam aget: monachus vel Sacerdos, a ministerio suspensus, „ pœnitens erit dies 20.

„ Qui corruperit virginem, quam postea „ uxorem duxerit; pœnitentiam aget annum „ unum per legitimas ferias: si vero non duxerit, annos duos per legitimas ferias.

„ Vidua quæ stuprum admiserit, pœnitentiam aget annum unum: & præterea altero „ anno jejunabit, legitimis feriis.

„ Cum duabus sororibus fornicatus, pœnitentiam aget toto vitæ suæ tempore.

„ Qui incestum fecerit, (*in secundo*, *vel* „ *tertio gradu* &c.) ei alii annorum 12, alii 15, alii 10, alii 7 pœnitentiam constituunt.

„ Quicumque Sacerdos spiritualem filiam „ violaverit; dignitatis honorem amittet, & „ perpetuam pœnitentiam aget.

„ Qui monialem violaverit, pœnitens sit „ annis 10.

„ Pres-

„ Presbyter si fornicationem admiserit, spon-„ te confessus pœnitentiam aget annos 10.

Qui cum brutis cojerit, pœnitentia afficietur annorum decem, & diuturniori etiam pro personæ conditione.

Qui contra naturam cojerit; si servus est, scopis castigabitur, & pœnitebit annos duos: si liber est, & matrimonio junctus, annos 10: si solutus, annos 7: pueri, dies 100: laicus matrimonio junctus, si in consuetudine habuerit, annos 15: si clericus, de gradu amotus, ut laicus pœnitentiam aget: qui cum fratre tale scelus admiserit, ab omni carne abstinebit; pœnitensque erit annis quindecim: si clericus, diuturniori & graviori pœnitentia afficietur.

„ Vir se inquinans, primo dies 10: si iterum, „ dies 20: si tertio, dies 30: si nefarie age-„ re perget, pœnitentiæ accessio ei fiet: si „ puer, dies 40: si major 15 annis, dies cen-„ tum.

„ Qui complexu fœminæ, vel osculo pol-„ luitur; pœnitentiam aget dies 30: qui con-„ tactu inverecundo, menses tres.

„ Qui concupivit mente, sed non potuit; dies „ decem pœnitentiam aget.

„ Qui turpiloquio aspectuque polluitur ne-„ gligens, nec vero peccare voluit: pœniten-„ tiam aget dies 20: si vero impugnatione „ tentationis inquinatur, pœnitebit item dies „ 20.

„ Quicumque lenocinium exercuerit, toto „ vitæ tempore pœnitebit: item sacram com-„ munionem non accipiet, nisi in fine.

„ Si quæ mulier cerussa, aliove pigmento „ se oblinit, ut aliis viris placeat; pœniten-„ tia afficietur annorum trium.

VII

Canones pœnitentiæ ad septimum decalogi præceptum spectantes.

„ Qui furatus est aliquod de Ecclesiæ su-„ pellectili, vel thesauro; quod sustulit red-„ det, & tres carinas (*quadragesimas*) cum „ 7 sequentibus annis pœnitebit.

„ Qui sacras reliquias furatus est, illis re-„ stitutis 7 carinas jejunabit.

„ Pecuniam Ecclesiasticam furatus, qua-„ druplum reddet: si quid item de ministerio „ Ecclesiæ aliquo modo surripuerit, pœnitens „ erit annos 7.

„ Sacrilegus rerum Ecclesiasticarum inva-„ sor, tres annos communione privabitur; „ ac præterea sine esu carnis, ac potatione „ vini, usque ad septennium pœnitens perma-„ nebit.

„ Qui Ecclesiam incenderit, aut incendio „ consenserit, restitutione facta, pœnitentiam „ aget annis 15.

„ Si quis malo studio, vel odio, vel ulci-„ scendæ injuriæ causa incendium commise-„ rit, committive jusserit; aut incendiario „ auxilium vel consilium scienter dederit; „ excommunicetur: mortuus, christiana se-„ pultura carebit, nec vero absolvatur, nisi „ damnum pro facultatibus resarciverit; jura-„ veritque se in posterum tale facinus num-„ quam admissurum.

„ Si quis sepulchrum violaverit, pœnitens „ erit annos 7, e quibus tres in pane & „ aqua.

„ Qui sepulchrum infregerit, ut defuncti „ sepulti vestimenta furaretur; pœnitens erit „ annos duos per legitimas ferias.

„ Qui de oblationibus quæ Ecclesiis factæ „ sunt, aliquid retinuerit; pœnitens erit dies „ 40 in pane & aqua.

„ Qui decimam sibi retinuerit, aut dare „ neglexerit: quadruplum restituet, & pœni-„ tentiam aget dies 20 in pane & aqua.

„ Qui hospitalis domus administrator, ali-„ quid de administratione subtraxerit, resti-„ tuet quod abstulit, pœnitensque erit annos „ tres.

„ Qui pauperem oppresserit, ejusque bona „ abstulerit; reddet ei suum, & pœnitens erit „ dies 30 in pane & aqua.

„ Clericus furtum capitale faciens, septennii „ pœnitentiam explebit; laicus, quinquennii, „ & quod furatus est, reddat.

„ Qui fregerit noctu alicujus domum, aut „ aliquid abstulerit; pretium reddet, & pœ-„ nitentiam aget annum in pane & aqua.

„ Si quis furtum de re minori semel, aut „ bis fecerit; restituta re, pœnitentiam aget „ annum unum.

„ Qui rem inventam non reddit, furtum „ committit: idcirco tamquam de furto pœ-„ nitentiam aget.

„ Si quis usuras accipit, rapinam facit: „ ideoque quicumque illam exegerit, pœniten-„ tiam aget, annis 3, uno in pane & aqua.

VIII.

Canones pœnitentiæ pro peccatis contra octavum præceptum.

„ Qui affirmaverit verum esse quod falsum „ est, pœnitentiam aget ut adulter: ut ho-„ micida, qui sponte id facinus admiserit.

„ Qui falso testimonio consenserit, pœnitens „ erit annos 5.

„ Qui

„ Qui proximo falsum crimen objicit; pœnitentia afficitur ut falsus testis.

„ Si quis contra proximum lingua lascivus erit; triduana pœnitentia expiabitur.

„ Si quis murmuraverit, judicio Sacerdotis pœnitentiam aget, pro culpæ gravitate.

„ Si quis convicium manifestum fratri intulerit; diuturna expiabitur pœnitentia pro modo peccati.

„ Si quis facile detraxerit, falsumque in hoc dixerit, pœnitens erit dies 7 in pane & aqua.

„ Qui falsitatem, fraudemque in ponderibus & mensuris admiserit; pęnitens erit in pane & aqua dies 20.

„ Falsarius in pane & aqua pœnitentiam agat quamdiu vivit.

I X.

Canones pœnitentiæ pro peccatis contra 9 decalogi præceptum.

„ Rem alienam nefarie concupiscens, avarusque, pęnitens erit annis 3.

„ Qui aliena concupiscit, furtum est: qui aliena rapere cupit, rapina est: qui res Ecclesiæ furari appetit, sacrilegium est: ideo cum nefarie concupiscendo graviter peccet, ut peccati mortalis pœnitentiam aget, arbitrio Sacerdotis.

„ Qui rem aliquam proximi pretiosam invenire cupit, ut illam sibi retineat; mortale peccatum concipit, cujus pęnitentiam aget; ut prædictum est de furto.

X.

Canones pœnitentiæ pro peccatis contra decimum decalogi præceptum.

„ Si quis concupiscit fornicari; si Episcopus, pœnitens erit annos 7: si presbyter, 5: si Diaconus, vel monachus, tres, e quibus unum in pane & aqua: si clericus aut laicus, annos 2.

„ Si quis in somnis ex immundo desiderio polluitur, surgat, & cantet 7 psalmos pęnitentiales: & in die, 30 (*cantet*).

„ Si clericus aut laicus ex mala cogitatione concupiscentiaque semen effuderit; pęnitens erit dies 7.

X I.

Canones pœnitentiæ contra septem peccata capitalia, speciatimque gulam & ebrietatem.

„ Pro capitali mortalique crimine, pœnitentia 7 annorum indicitur; nisi peccati gravitas & personæ status, severiorem diuturnioremque pœnitentiam requirat.

„ Pro capitali crimine pœnitentiam aget laicus annos 4, clericus 5, subdiaconus 6, diaconus 7, presbyter 10, Episcopus 12.

„ Sacerdos imprudenter ebrius factus, pane & aqua pœnitentiam agat dies 7: si negligenter, dies 15: si per contemptum, dies 40.

„ Diaconus & alius clericus ebrius factus, arbitrio Sacerdotis pœnitens erit.

„ Monachus ebrius, pane & aqua mensibus tribus: si clericus, 20 dies.

„ Laicus ebriosus graviter arguatur, & pęnitentiam agere a Sacerdote cogatur.

„ Qui humanitatis gratia alium inebriari procurat, pœnitentiam aget diebus 7: si per contemptum, dies 30.

„ Qui præ ebrietate & crapula vomitum fecerit; si presbyter aut diaconus, pęnitentiam agat dies 40: si monachus, aut clericus, dies 30: si laicus, dies 15, abstineatque a vino & carne dies tres.

„ Si quis gulæ causa ante horam legitimam jejunium fregerit, duos dies pœnitentiam aget in pane & aqua.

„ Si quis nimio cibo se ingurgitaverit, & inde dolorem senserit; unum diem pœnitentiam aget in pane & aqua.

X I I.

Canones pœnitentiæ pro variis peccatis.

„ Si quis Sacerdos missam canit, neque communicat; per annum pęnitentiam agat, nec vero interea celebret.

„ Sacerdos excommunicatus si celebrat; tribus annis pęnitens sit, hebdomadisque singulis feria 2, 4, & 6 a vino, & carnibus jejunet.

„ Sacerdos, sacerdotii sui gradu ordineque in perpetuum amotus, si celebrare audet, privatur communione corporis & sanguinis Jesu Christi, usque ad ultimum diem, & in excommunicatione est, viaticum tantum in fine sumens.

„ Si gutta Sanguinis Christi in terram cadit; Sacerdos in pœnitentią sit quinquaginta diebus: si super altare, & ad pannum

„ unum

„ unum transit, diebus duobus: si usque ad „ pannos duos, diebus quatuor: si usque ad „ tres, diebus novem: si incaute dimisit, „ quamvis nihil nefandi acciderit, tribus „ mensibus a sui muneris administratione amo„ vetur.

„ Qui sciens se rebaptizandum curaverit, „ si quidem per hæresim tale flagitium per„ petrarit, pœnitentiam agat annos 7: tres „ quadragesimas primi anni jejunet in pa„ ne & aqua, & 4, & 6 feria aliorum an„ norum.

„ Si propter purificationem se rebaptizan„ dum curaverit, pœnitentiam aget annos „ tres: si per ignorantiam, non peccat qui„ dem; nihilominus non promoveatur ad sa„ cros ordines, licet excellens & eximius vi„ deatur.

„ Si Episcopus, aut presbyter, aut diaco„ nus se rebaptizandum curaverit; per totam „ vitam pęnitentiam aget.

„ Clerici, monachi, & monachæ, sponte „ sua per hæreticos rebaptizati, pęnitentiam „ agent per annos 12.

„ Presbyter, qui clandestinis sponsalibus in„ terfuerit, suspendatur ab officio suo an„ nos 3.

„ Presbyter qui mortuorum corpus altaris „ mappis involverit, pęnitentiam aget annos „ 10, & menses 5; diaconus autem, annos 3, „ & menses 6.

„ Qui legata pia Ecclesiæ non solvit, uno „ anno pœnitens sit, & per legitimas ferias, „ jejunet.

„ Qui sui sexus habitum mutaverit, pęni„ tentiam aget annos tres, promittens emen„ dationem.

„ Infirmos & in carcere detentos visitare „ negligens, pęnitentiam aget diei 10, pane „ & aqua victitans.

XIII.

Canones pœnitentiales Græcorum & Orientalium.

Qui fuit hactenus Latinæ Ecclesiæ spiritus in imponendis satisfactionibus quæ gravitati criminum responderent; idem etiam num in Orientis & Græciæ partibus perseverat: nec extingui potuit luctuoso schismate quo ab Ecclesia catholica infeliciter separantur: quamquam enim jam inde a 4 sæculo apud eos pœnitentia publica, ut prædiximus, abolita fuerit; ipsa tamen in se pœnitentia, quæ sive privatim, sive publice fiat, parum interest, summa religione servatur: cujus rei argumentum palmare est, tum in canonicis SS. Gregorii Thaumaturgi, Basilii, & Gregorii Nysseni Epistolis, quas summo semper loco habuerunt; tum in nomocanonibus, & collectionibus canonum, quas ab utroque *Ebnassalo*, *Dionysio Barsalibi*, aliisque longe pluribus adornata in usu habent: in iis enim, non secus ac in nostris pœnitentialibus libris, pro peccato quolibet satisfactiones congruæ minutim notantur ac præscribuntur: exempla aliqua afferemus, ex Dionysii Barsalibi, qui duodecimo sæculo collabentem paulatim disciplinam restaurare aggressus est collectione desumpta.

„ Si quis fornicatus fuerit, anno integro „ pęnitentiam aget: feriis 4 & 6 in pane & „ aqua jejunabit: centies in dies genuflectet „ aut prosternetur: eleemosynam pro facul„ tatibus impendere tenebitur; totoque hoc „ tempore excludetur participatione Sacramen„ torum.

„ Si quis virginem deflorarit, si liber est, „ unius anni pęnitentiam, & jejunium imple„ bit: si conjugatus, ad annum usque sextum „ pœnitentiam prorogabit.

„ Qui mulieri vim intulerit, 6 annos pœ„ nitens est: dies 40 in pane & aqua jeju„ net: reliquo tempore, bis in hebdomada.

„ Si quis cum mahumetano fornicatus fue„ rit, sive vir, sive mulier, annos 12 a com„ munione arceatur: sanctam civitatem Hie„ rusalem peregrinando invisere teneatur: to„ toque pœnitentiæ tempore ab ingressu Ec„ clesiæ excludatur.

„ Si cum Judæo commercium carnale ha„ buerit, annorum 40 pœnitentiam agat.

„ Si quis nefandum contra naturam concu„ bitum perpetrarit, annos 4 jejunabit, nec „ vino, nec oleo, nec carne, nec pisce ve„ scens; centies & quinquagesies diebus sin„ gulis prosternetur, &c.

„ Si quis homicidium voluntarium perpetra„ rit, tribus annis jejunabit: centies die qua„ libet genuflectet: & captivum unum redi„ met.

„ Si quis parricidii reus fuerit, toto vitæ „ tempore, a vino abstinens, semelque in die „ vescens jejunabit, exceptis diebus sabbati & „ dominicis: annum integrum ab ingressu Ec„ clesiæ exulabit, ad portas foris consistens: „ quo tempore expleto, semel in anno corpo„ ris Christi particeps erit.

„ Qui mulierem in adulterio deprehensam „ necaverit, sex annos pęnitens erit.

„ Mulier quæ abortum voluntarie fecerit, „ 1, 40 dierum jejunium rigidissimum obser„ vabit: 2 annis solidis 14 pœnitentiam aget: „ 3 reliquo vitæ tempore, feriis 4 & 6 in pa„ ne & aqua jejunabit.

„ Mulier quæ filium suum occiderit, annis „ 12 in pane & aqua jejunet.

„ Si quis a fide apostataverit, diebus 40 ad „ Ecclesiæ fores consistat, fidelium orationem „ implorans: toto hoc tempore, vino, carni- „ bus, piscibus, oleo, &c. abstinens jejunet: „ deinde 7 annos integros communione prive- „ tur, ad arbitrium Sacerdotis jejunet, cen- „ ties die qualibet genuflectat, captivum unum „ redimat; nec ante absolvatur, quam pro „ illo centum fusæ orationes, totidemque litur- „ giæ celebratæ fuerint".

Paucos hos canones ad specimen pœnitentiæ Græcorum & Orientalium attulisse sufficiat, quos si quis volet diligentius perscrutari, legat sæpe laudatum Morinum *de pœnitentia*, & Eusebium Renaudot, tomo 5 perpetuitatis fidei lib. 3 & 4.

Jam si quis opponendum putaverit, hos canones nullius modo in Oriente & Græcia vigoris esse, & contraria consuetudine obsoletos, facile eruditorum testimonio refutabitur, quorum communis sententia est, Græcos hodiernos & Orientales in imponenda pœnitentia & satisfactione Latinis esse severiores; nec in contrarium quidquam faciunt aliqua immoderatæ laxitatis exempla: nos enim in præsenti, non quid fiat, sed quid juxta canones debeat fieri quærimus; nec pro Ecclesiæ disciplina habemus abusus, quos ideo quia disciplinæ contrarios, Græci ipsi & Orientales proscribunt.

§. QUARTUS.

Explicantur quæstiones quædam necessariæ.

Q. 1. Utrum olim pro gravi quolibet peccato, etiam occulto, publica pœnitentia indiceretur?

R. Diversas de hac re scriptorum esse sententias: quidam enim, iique admodum pauci, existimarunt omnia peccata mortalia, sive publica sive secreta, pœnitentiæ publicæ fuisse obnoxia: alii de solis peccatis publicis hoc concedunt, alii denique volunt, tria tantum peccata, adulterium, homicidium, & idololatriam, publicis satisfactionibus ab initio castigata; deinceps vero aliis multis peccatis, sive secreta sive notoria forent, eamdem pœnam, ad sæculum usque 7, majorum auctoritate decretam: quam ultimam opinionem probabiliorem esse censemus.

Q. 2. Quæ tanti rigoris causa fuerit?

R. Multiplicem: 1 fuit, satisfactio Deo, cujus terribilia judicia sunt, exhibenda: 2 ut fideles nondum lapsi, in officio, severitatis exemplis continerentur: 3 ut hac disciplina, peccati horror incuteretur: 4 scandali reparandi necessitas: 5 ut conversionis sinceritas probaretur: 6 ne indulgentia & facilitas condonandi, incentivum peccandi foret.

Q. 3. Utrum juxta hodiernam disciplinam pœnitentia publica peccatores plecti possent?

R. Posse aliquando & debere: de Græcis quidem & Orientalibus, quamvis pœnitentiæ publicæ gradus ab ipso 4 sæculo abrogarint; quod tamen observent etiam num aliquem ejusdem modum, canones paulo ante citati demonstrant.

Nec minus de Latinis est certum. *Apostolus monet, publice peccantes, palam esse corripiendos:* (*ajunt Trid. Patres Sess.* 2 *de reform. c.* 48) *quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse, non sit dubitandum: huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet; ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio, ad rectam revocet viam: Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare quando ita magis judicaverit expedire.*

Consentit rituale Romanum: *ne absolvat eos*, inquit, (*de Sacram. pœnit.*) *nisi publice satisfaciant, & scandalum tollant..... arcendi sunt a sacra communione publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifesteque infames, aut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, blasphemi, & alii ejus generis publice peccatores; nisi de eorum pœnitentia & emendatione constet, & publico scandalo prius satisfecerint.*

Generalem hanc Ecclesiæ disciplinam esse, præter modo adductam Concilii Trid. sanctionem, & præscriptionem Romani ritualis, demonstrant decreta innumerabilia Synodorum, quæ in diversis sive provinciis, sive diœcesibus ubique habitæ sunt: omnium instar sat erit Mediolanensia proferre concilia sub Sancto Carolo habita: *iidem confessores*, inquit prima Synodus, (*tit. de pœnit.*) *quemadmodum a S. Trid. Synodo jussum est, publice peccantibus publicam pœnitentiam imponant; neque illud pœnitentiæ genus, nisi data ab Episcopo facultate, secreta alia pœna commutare audeant.*

Et Synodus tertia: *studeat Episcopus ad sacrorum canonum & Trid. Concilii præscriptum, pro publicorum delictorum gravitatis ratione, publicam & solemnem pœnitentiam in usum revocare: quos vero ita solemniter pœnitere oportet, mense ante quadragesimæ initium, ad se per Parochos deferri curet; ut primum ineunte quadragesima illi pœnitentia*

affici,

affici, *tum die Cœnæ Domini*, *Ecclesiæ reconciliari possint solemni ritu*.

Quorum similia reperies in Synodo 5, & in instructionibus confessorum: *ubi Parochus*, inquit S. Antistes, *neminem peccatis publicis irretitum ad communionem excipiet*, *nisi prius scandalo publico satisfecerit*, *etiam si absolutionis a pœnitentiariis*, *aut confessoribus*, *etiam regularibus*, *acceptæ testimonium protulerit*: *nec etiam admittat eos*, *qui juxta Concilii Tridentini nostrarumque Synodorum decreta*, *ad pœnitentiam publicam aut solemnem tenentur*, *ob publicum* & *in multorum conspectu commissum crimen*, *quodque multis scandalum peperit*: *si quidem pœnitentiam publice fieri necessum est*, *juxta culpæ gravitatem*, *ut sua emendatione eos ad rectam vitam revocent*, *quos exemplo suo ad malum provocaverunt*: *nisi Parocho constiterit*, *hanc pœnitentiam publicam*, *in aliam a nobis fuisse commutatam*.

Q. 4. Quid si pœnitens publicæ satisfactionis onus ferre recuset; numquid Ecclesiæ clementia, & sacerdotis indulgentia dignum erit, ut pœnam in occultam mutet?

R. Negative: nam

1. Qui peccare publice non erubuit, & satisfacere publice erubescit; hoc ipso vere se non esse pœnitentem demonstrat: suo quippe magis quam Dei honori consulit, adeoque est reconciliatione indignus.

2. Qui sub obtentu clementiæ, hujusmodi satisfactiones mitigandas, omninoque relaxandas censent; Ecclesiam universam, ipsumque Sp. Sanctum nimii rigoris accusant, Apostoli ore præcipientem, coram omnibus argui, qui cum multorum offensione peccavit, ut cæteri timorem habeant.

3. Vera indulgentia dici non potest, quæ divinæ legis dissipatio est, iram Dei provocans, nedum placet deliniatque: atqui nihil magis Dei iram accendit, quam peccati impunitas, & relaxatio pœnæ, gravitati ejus correspondentis: *illud non otiose transmittendum est*, inquit Origenes, (*homil.* 7 *in Josue*) *quod uno peccante ira Dei super omnem populum venit*: *hoc quando accidit*? *quando sacerdotes qui populo præsunt*, *erga delinquentes benigni videri volunt*, & *verentes peccantium linguas*, *ne forte male de eis loquantur*, *sacerdotalis severitatis immemores*, *nolunt implere quod scriptum est*: peccantem coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant.

Q. 5. Utrum differant pœnitentia publica & solemnis?

R. Hoc utriusque discrimen esse, quod solemnis a solis Episcopis, die cinerum indicatur, quando pœnitentes de Ecclesia sunt ejiciendi, usque in diem Cœnæ Domini, ut rituali Romano a *Clemente* VIII Pontifice Max. publicato præscribitur: publica vero, occurrente casu, quovis anni tempore, a sacerdote quolibet approbato imponi possit, imo debeat ex Synodi Trid. præscripto; nisi impositionem hanc sibi Episcopus specialiter reservaverit, quo casu ad ipsum remittendus erit peccator.

Quær. 6. Quæ sint præcipua satisfactionis opera?

R. Verbis S. Leonis Pontificis Max. *tria sunt*, inquit (*Serm.* 1 *de jejunio decimi mensis*) *quæ maxime ad Religiosas pertinent actiones*, *oratio scilicet*, *jejunium*, & *eleemosyna*: *oratione enim propitiatio Dei quæritur*, *jejunio concupiscentia carnis extinguitur*, *eleemosyna peccata redimuntur*: *simulque per omnia*, *Dei in nobis imago renovatur*, *si* & *in laudem ejus semper parati*, & *ad purificationem nostram sine cessatione solliciti*, & *ad sustentationem proximi indesinenter simus intenti*: *hæc triplex observantia omnium virtutum comprehendit effectus*: *hæc ad imaginem* & *similitudinem Dei pervenit*, & *a Sp. Sancto inseparabiles facit*: *quia in orationibus permanet fides recta*, *in jejunio innocens vita*, *in eleemosynis mens benigna*.

Et vero in hoc satisfactio Deo exhibenda consistit, ut de eo quod ejus liberalitate accepimus, quodque nostrum esse voluit, aliquid ad ejus resarciendum honorem, & placandam iracundiam subtrahamus: tria porro bona in dominio nostro habemus, animi, corporis, & fortunæ: bona fortunæ, per eleemosynam; bona corporis, per jejunium & macerationem; bona denique animi, orando & contemplando, Deo retribuimus: ad hæc tria igitur omnis satisfactio generaliter revocatur: generaliter, inquam, nam oratio comprehendit sacrificium, laudem, gratiarum actionem, meditationem, lectiones pias &c. ad jejunium, omnis carnis maceratio & afflictio pertinet; scilicet victus & vestitus asperitas, vigiliæ, humi cubitationes, genuflexiones, terræ deosculationes, solitudo, silentium, pedestres piæque peregrinationes, flagellationes, fuga spectaculorum, vini ac ludi privationes &c. ad eleemosynam denique omnia tum corporalia, tum spiritualia misericordiæ opera reducuntur.

Q. 7. In imponendis satisfactionibus quæ ratio sit tenenda?

R. Habendam pro regula prudentiam Christianam, quæ suggerit pœnitentem pro delicti gravitate, & statu suo ac conditione esse plectendum. Sic enim imprudenter e. c. Sacerdos ageret, qui pauperi, eleemosynæ facien-

ciendæ necessitatem imponeret; vel prægnanti mulieri diu protracta jejunia, vel homini idiotæ ac simplici longas meditationes indiceret; spectandum itaque, non modo quantum quisque peccarit; sed etiam quantum laboris ferre queat ad satisfaciendum; ut si quid minus agendo possit, voluntate saltem (quæ optima pęnitentia) Deo exhibeat: *plura namque*, inquit S. Ambrosius, (*Lib. 2 de pænit. cap. 8*) *solvendi habet subsidia qui Deo, quam qui homini debet: homo pecuniam pro pecunia reposcit, quæ non semper debitori præsto est: Deus affectum exigit, qui in tua potestate est: nemo pauper est qui Deo debet, nisi qui seipsum pauperem fecerit: & si non habet quæ vendat, habet quæ solvat: oratio, lacrymæ, jejunia, debitoris boni census est multoque uberior, quam si quis ex pretiis fundorum pecuniam sine fide deferat.*

Cæterum qua ratione sacerdos debeat habito peccati & peccatoris respectu, modum satisfaciendi præscribere, egregie S. Carolus, & ut solet in cæteris, sapientissime explicat: *injunget* (*In instructionib. Sacram. pænit.*) *pœnitentiam pro culpæ & personæ ratione: ita ut superbis, humilitatis opera; carnis voluptatem sectantibus, jejunia, abstinentiam, cilicii gestationem, aliamque corporis macerationem pro peccati gravitate indicat; in oratione negligentibus, ut singulis diebus, mane saltem & vespere, orationi vacent, feria secunda, & aliis certis feriis pro defunctis orent, certis idem definitisque diebus devote visitent stationales & præcipuæ devotionis Ecclesias & altaria, præsertim in quadragesima & in adventu; mundi pompas, choreas, aliaque opera satanæ consectantibus, eam pœnitentiam imponet, ut in hebdomada mane certis diebus (id quod in singulos dies etiam faciendum esse, gravissime Beatus Chrysostomus monet) sancta meditatione sibi proposita, solemnem illam sponsionem, quam per compatres in baptismo sancte fecerunt, redintegrent intime Deum precando: in qua precatione, firmo stabilique animi proposito statuant, se Christo Domino adhærere renuntiareque iterum atque iterum Sæculi pompis, operibus tenebrarum, & diabolo in primis, cui se adversarios esse & professi sunt, & profitentur perpetuo.*

Atque hæc quidem pœnitentiæ genera, a Sanctis viris accepta, Ecclesiasticæque disciplinæ interpretibus, pro peccatorum ratione adhiberi potuerunt.

Ut pœnitens vestium sericarum usu, auri ornamento, conviviorum apparatu, venatione, aliquo certo tempore abstineat.

Ut egentibus cibum suppeditet ac ministret, pedes item lavet.

Ut peregrinos pro facultatem ratione hospitio excipiat.

Ut in publica domo, hospitali, locove pio, aliquot dies operam navet.

Ut visitet qui in carcere sunt, eosdem consoletur, &, cum per facultates potest, alat certo tempore.

Ut se per aliquot dies in monasterium aliquod, aliumve semotum locum abdat, ubi pœnitens vivat.

Ut aliquot diebus carne aut vino abstineat.

Ut certis diebus, præsertim feria quarta, sexta, & Sabbato jejunet; vel etiam vescatur solum panem, & aquæ potu utatur.

Ut certo aliquo tempore non equitet.

Ut, si facultates suppetunt, certam pecuniæ, aut frumenti, aut vini quantitatem in eleemosynam pauperibus Christi conferat.

Ut genibus flexis, aut etiam brachiis extentis in modum crucis, certo tempore & hora præfinita, ante crucem, aliamve Sacram imaginem in Ecclesia oret.

Ut humi aliquamdiu jaceat, cubetve.

Ut flagella certis præscriptis diebus sibi adhibeat.

Ut cilicium aliquot dies induat.

Ut Religiosam aliquam peregrinationem suscipiat, sancteque conficiat.

Ut psalmos pœnitentiales, aliasque pœnitentiales preces pie recitet, aliquot dierum spatio.

Ut certas Ecclesias, puta stationales, vel præcipuas devotionis causa visitet.

Et alibi: (*in instruction. Confess.*) " faciat sacerdos, *inquit*, ut imposita pœnitentia peccatis respondeat: ita pro peccatis luxuriæ injungantur jejunia, vigiliæ, peregrinationes, cilicii usus, aliaque hujusmodi corpori macerando propria; pro avaritiæ peccato præter debitas restitutiones, eleemosynæ pro cujusque facultatibus imponantur: sanandæ superbiæ aliisque peccatis spiritualibus oratio adhibeatur, qua coram Deo vires & vigor acquiruntur, quibus, his peccatis obsistatur: pro negligentia rerum christianarum quas ignorant, conciones audiant, & per aliquod tempus doctrinæ christianæ scholas frequentent: indevotis & tepidis juvabit imponere, ut Ecclesias divinaque officia oraturi sæpius adeant. " (1)

(1) Legenda hac de re *Praxis Sacramenti Pœnitentiæ*, quæ Ludovico Haberto vulgo tribuitur, & Venetiis edita est anno 1744 ex gallico in latinum sermonem conversa, *Tract.* 5, a pag. 343 usque ad 362.

¶ Q. 8. An omittens pœnitentiam impositam peccet mortaliter?

Resp. Theologi communiter in hoc conveniunt, Pœnitentem sub lethali culpa teneri ad implendam pœnitentiam gravem injunctam pro peccatis mortalibus primo confessis: dissentiunt vero inter se, si pœnitentia tota imposita pro peccatis lethalibus, levis sit, puta recitationis *Miserere*, &c. an si tunc Pœnitens eam omittat, graviter delinquat. Negant quamplures ea ducti ratione, quod levis materia gravem non suscipiat obligationem. Quamplures etiam, & quidem ut mihi videtur probabilius affirmant, & hac ratione probant: quia pœna, sive satisfactio pro gravibus delictis primo confessis imposita, suapte natura gravis est. Nam licet Confessarius pro dictis criminibus Psalmum *Miserere*, aut orationem Dominicam duntaxat imponat; hæc tamen pœnitentia, cum sit tota pars Sacramenti, pœna gravis esset. Delicta quippe gravia nunquam antea Confessioni subjecta, de se gravem pœnam exposcunt.

Quær. 9. An Pœnitens teneatur sub gravi pœnitentiam levem implere pro peccatis venialibus, vel lethalibus jam antea confessis injunctam?

Resp. PP. Salmanticenses plures gravesque Theologos laudant, qui negantem opinionem tuentur. At adversa sententia mihi probabilior est, ac prope certa. Et ratio est: quoniam tametsi venialia peccata aut lethalia jam alias confessa Sacramenti materia necessaria non sint; si quis tamen ea Sacramento subjiciat, partes omnes implere debet, quæ ejusdem integritati necessariæ sunt. Porro satisfactio Sacramenti Pœnitentiæ pars integralis est. Igitur Pœnitens ad eam implendam adstringitur, nec citra Sacramenti injuriam eamdem prætermittit. Fateri tamen opus est leve esse peccatum levem tantum ipsius partem omittere.

Q. 10. Quo tempore tenetur Pœnitens satisfactionem exequi?

Resp. Teneri tempore a Confessario præstituto. Quod si Confessarius nullum tempus præfinivit, tenetur quamprimum commode potest.

Prioris partis ratio est; quia temporis circumstantia includitur in præcepto lato a Confessario. Quare si c. e. pœnitentia injuncta, ut jejunium, preces &c. tali diei illigetur, eam tali die, vel tempore implere debet, nec nisi urgente causa vel anticipare potest, vel postponere.

Ratio 2 est: tum quia ea est præceptorum, sicut & votorum conditio, ut si nullum præfixum tempus fuerit, quamprimum moraliter adimpleri debeant. Tum etiam quia id exigere videntur Sacramenti integritas, debitæ satisfactionis ratio, ac justa Confessarii intentio. Nec tamen mora aliqua, vel dilatio gravi culpæ subesse credendum est; neque enim vel Sacramento injuriam infert, vel damnum Pœnitenti: attendendæ nihilominus sunt circumstantiæ.¶

Q. 11. Quid agere debeat pœnitens, cui, attenta criminis gravitate, satisfactio levior imposita fuerit?

Resp. Omnino teneri ad rigidiorem satisfactionem sponte, & propria electione implendam: debet enim quisquis in Deum deliquit, se ipsum judicare, ut non dijudicetur a domino: debet fructus dignos pœnitentiæ facere, ut venturam iram effugiat: debet denique per pœnitentiam Dominum honorare, ut in semetipsum pronuntians, pro Dei indignatione fungatur: nec est quod causetur pœnitens, nullo se adstringi debito satisfaciendi, præter id quod sibi est a Sacerdote injunctum. Nam, inquit S. Thomas, (*quodlib.* 3, *qu.* 13, *art.* 1) *peccator est debitor alicuius satisfactionis dupliciter: uno modo ex injunctione Sacerdotis: alio modo, ex peccato commisso. Unde si contingat quod Sacerdos minorem satisfactionem imponet pœnitenti, quam sit illa ad quam alligatur ex quantitate sui peccati, subtracto eo quod remittitur virtute clavium, & contritionis præcedentis, nihilominus pœnitens ad aliquid ulterius obligatur, quod si in hac vita non perficiet, in purgatorio exsolvet.* Ita Præceptor Angelicus: igitur sub obtentu negligentiæ Sacerdotis, liberum se ab ampliori satisfactione putare, idem est ac si usurarius quispiam, immunem se a debito injusti fœnoris restituendi jactaret, eo quod in hunc forte confessarium incidisset, & a quo non esset hujus officii monitus: *attende tibi ipsi*, inquit S. Basilius, (*hom. in illud Apostoli*: attende tibi ipsi) *ut pro delicti proportione, hinc quoque mutueris ex admota tibi medela valetudinis instaurandæ subsidium*: *magnum est & grave peccatum? multa opus habes confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulso & continenti ieiunio*: *levis est, nec intoleranda offensio? huic quoque exæquetur pœnitentia*: *solum attende tibi ipsi, ut cognoscas animæ tuæ sanitatem, & morbum*.

Quærit. 12. Infirmis quæ satisfactio sit imponenda?

R. Vel ita gravis infirmitas est, ut salutis recuperandæ spes nulla sit: vel non est ad mortem infirmitas. Si 1, evidens est, præparationem

nem animi, qua infirmus Deo satisfacere vellet si posset, interimque morbi dolores mortemque ipsam, velut pœnas a Deo juste inflictas lubens acceptat, satisfactionis loco esse debere. Si 2, injungi satisfactio debet, gravitati criminum correspondens, non ægritudinis quidem tempore, sed simul ac convaluerit adimplenda: *pœnitentiam ne ideo nimis levem imponat*, ait S. Carolus Borrom. (*in instructionibus de visitat. & cura infirmorum*) *quod juste ab homine jacente non possit præstari; si probabile sit quod convalescet, & tunc præstare poterit, quod non potuerat jacens. Quod si credibile sit, eum non amplius surrecturum, rationes pœnitentiæ justæ eliget, quæ possint præstari a jacente; veluti magnam eleemosynam pro facultatum modo: suadebit vero semper, ut morbi afflictiones pœnitentiæ loco libenter accipiat, Dominoque pro peccatis suis offerat.*

Sæculorum præcedentium disciplina eadem fuit: " ab infirmis, *ajebat Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus*, (*in pœnitentiali*) in „ periculo mortis positis, per Presbyteros pura „ inquirenda est confessio peccatorum; non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, „ sed innotescenda: & cum amicorum orationibus, & eleemosynarum studiis pondus pœnitentiæ sublevandum: & si forte migraverint, ne . . . . a communione & consortio „ veniæ fiant alieni; a quo periculo si divinitus ereptus convaluerit, pœnitentiæ modum „ sibi a Sacerdote impositum diligenter observet ".

Longeque ante præcesserat, Concilii Carthaginensis IV, in Canone citati (*Can. si quis* : 26, *q.* 6) auctoritas: " *si* quis pœnitentiam „ in infirmitate petit, si casu, dum ad eum „ Sacerdos invitatus advenit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus „ fuerit; dent testimonium qui eum audierunt, „ & accipiat pœnitentiam: si supervixerit, „ admoneatur petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu „ sacerdos qui pœnitentiam dedit, probaverit ".

Q. 13. Utrum necesse sit absolutionem satisfactione præcedi?

℞. negative. Quamquam enim satisfactio in voto, sive satisfaciendi propositum, contritioni intime conjunctum, debeat necessario absolutioni præmitti; non idem tamen de ejus executione dicendum: cujus rei, præter quamquod argumentum non leve petitur ex Forensis judicii comparatione, in quo satisfactio sententia posterior communiter est; peremptorium sane est, quod suggerit Ecclesiæ hodierna disciplina: vel enim prævaricationis accusari tota Ecclesia debet; vel fatendum, illud quod facit, quippe prudentiæ ac judicii plenum, sine juris divini infractione fieri; atqui juxta hodiernum Ecclesiæ morem satisfactio communiter, nisi accepto reconciliationis beneficio, non impletur. Neque id ex mera Ecclesiæ tolerantia, sed ex ejus decreto fit. Hinc Sixtus IV, Pontifex Max. Concilium Complutense confirmans, hunc Petri Oxomensis errorem confixit: (*anno* 1478) *non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta*. Hinc etiam sacra facultas Parisiensis ejusdem sententiæ propositiones, affirmantes, *executionem pœnitentiæ seu satisfactionis impositæ, necessario & ex institutione Christi, ac invariabili Sacramenti natura, ita prærequiri absolutioni, ut alioqui absolutio non sit valida, nisi ejusmodi satisfactio prius completa fuerit*: damnavit, *ut temerarias & hæreticas, & a Sixto IV, contra Petrum de Osma, illiusque sequaces prædamnatas*.

Objectio.

Ex veteri, inquies, Ecclesiæ disciplina, nemini reconciliatio concedebatur, nisi prius labores pœnitentiæ canonicæ implevisset. Ergo necessario sic agendum Ecclesia sentiebat. Porro quod fuit semel necessarium fieri, tale semper futurum est.

R. 1. nego absolute ant. universaliter intellectum: quod enim primis temporibus Ecclesia non putaverit, plenam satisfactionem absolutioni debere absoluta necessitate præmitti, pleraque exempla demonstrant: sic urgente persecutione pœnitentes, antequam opera satisfactoria complevissent, ad pacem admittebantur: infirmis pariter, gravique morbo correptis, etiamsi pœnitentiæ nondum vacassent, pax & communio Corporis Christi concedebatur; ea tantum conditione, ut si convalescerent, quod ante non potuerant, post acceptam absolutionem implerent: *qui pœnitentiam in infirmitate petit*, ait Concilium Carthag. IV, (*Can.* 76) *si casu dum ad eum sacerdos venit, oppressus infirmitate fuerit, vel phrenesi correptus, suffragante eorum qui ipsum audierunt testimonio; si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia: ita ut si supervixerit, subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.*

Eodemque pertinet Concilii Arausicani primi canon 3, quo decernitur, pœnitentes in extremis reconciliatos, si incolumitati pristinæ restituantur, *in ordine pœnitentium stare debere, ut ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione*, (cæremonialis nimirum, cum jam præcessisset Sacramentalis) *accipiant*.

Quin

Quin & iis ipsis, *qui post baptismum omni tempore innocentiæ & voluptatis dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communem exposcerent*, concedi sine dilatione debere, *Innocentius* I Pontifex Max. statuit: (*Epist.* 3 *ad Exuperium*) *ut*, inquit, *homines ejusmodi, vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur*.

Parique sensu S. Leo, Summus utique Pontifex, *his qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec actionem pœnitentiæ, nec communionem denegandam*, decrevit, (*Ep. ad Theodorum Forojuliensem*) *si eam, etiam amisso vocis officio, per judicium integri sensus quærere comprobentur*.

Itaque credebat olim Ecclesia, ad essentiam Sacramenti nil facere, sive absolutionem satisfactio præcederet, sive sequeretur.

R. 2. dato ant. n. conseq. Inde enim hoc unum sequitur (quod in potestate Ecclesiæ esse, nemo sapiens negaverit) veterem disciplinam esse mutatam, & juxta morem hodiernum sufficere, si post absolutionis beneficium satisfactio compleatur, quam ante reconciliationem debere persolvi, instituto majorum sancitum erat. Nam quod in argumento asserebatur, *quod semel fuit necessarium, tale semper esse futurum*, est illud equidem in rebus ad fidem, & divinam institutionem pertinentibus axioma certissimum: at in rebus ad disciplinam spectantibus omnino falsum. Hanc enim sæpe esse mutatam, & posse etiamnum eadem fidei lege manente mutari, exempla plurima probant, quæ in omnibus fere Sacramentis occurrunt.

Q. 14. Utrum penes Sacerdotem sit, beneficium absolutionis differre, donec pœnitens satisfactionem ex toto, vel ex parte persolverit?

R. affirmative. Nam

1. Quamquam in desuetudinem antiqua disciplina abierit, neminem, nisi peracta in antecessum satisfactione absolvendi; nullo tamen Ecclesiæ decreto sancitum est, morem contrarium necessario esse tenendum. Ergo potest Sacerdos antequam absolutionem impendant, plenam satisfactionem, aut saltem partem ejus exigere, si ita emendationi & saluti pœnitentis judicaverit expedire.

2. Hujus exactionis causas urgentissimas sæpe occurrere, experientia norunt, qui frequentes assident sacro tribunali. Quoties enim contingit, ut pœnitentes accepta absolutione præcipiti, de implenda deinceps satisfactione nec cogitent quidem? quanto numero sunt, qui statim post reconciliationem redeuntes ad vomitum, injuncta opera pœnitentiæ, in statu peccati mortalis faciunt; adeoque nec faciunt quidem, indeque iram Dei provocant, unde placare debuerant? quot denique ubique occurrunt, quorum suspecta contritio & incerta conversio merito judicatur? in iis igitur & similibus casibus sapientis judicis & periti medici est, absolutionem differre, donec fuerit satisfactio persoluta: ut nimirum communionis ac pacis difficultate pœnitens humilior fiat & cautior, & fructus dignos pœnitentiæ edat, se ipsumque probet, antequam ad mensæ Domini participationem recipiatur: *de pondere æstimando delictorum*, ait Innocentius I Pontifex Max. (*Ep.* 1) *Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis; ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem*; & S. Gregorius M. (*hom.* 26 *in Evang.*) *videndum est, quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam; ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos sententia pastoris absolvat: tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur judicis*.

Q. ultimo. Utrum in Sacerdotis arbitrio sit, satisfactionem ab altero Sacerdote impositam commutare ac moderari?

R. Si causa imponendæ satisfactionis justa fuerit, nec ullus intervenerit obex qui persolutionem ejus impediat, non debere Sacerdotem, nec pro arbitrio posse sententiam alterius immutare: tota namque disciplina subverteretur, & in comtemptum hominum impœnitentium veniret divini tribunalis jurisdictio, si unicuilibet liceret consacerdotum suorum, temeraria præsumptione, judicium reformare: hinc sæculo undecimo ineunte, contra quosdam qui a Germaniæ Sacerdotibus, pœnitentia publica damnati, Romam se conferebant, ut immunitatem a satisfactione merito imposita extorquerent, in Concilio Salegunstadiensi c. 8, sic legimus constitutum: (*an.* 1022) *quia multi tanta mentis suæ falluntur stultitia, ut in aliquo capitali crimine, pœnitentiam a Sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maxime confisi, ut Romam euntibus Apostolicus omnia sibi dimittat peccata: sancto visum est Concilio, ut talis indulgentia illis non prosit; sed prius juxta modum delicti pœnitentiam sibi datam a Sacerdotibus suis adimpleant: & tunc Romam ire si velint, ab Episcopo proprio licentiam, & litteras ad Apostolicum ex eisdem rebus deferendas accipiant*.

Quod si injuncta satisfactio, vel modum discretionis excesserit, vel talis sit ut eam pœnitens, interventu infirmitatis aut alterius cujusvis obicis implere non possit: tum sane non

est

est dubium, cognita causa, & audita confessione, posse vel ex integro, vel ex parte remitti, & in aliam commutari: (cognita, inquam, causa:) novum enim hoc judicium erit. Porro, ajunt Patres Trid. (*sess.* 14, *cap.* 5) *constat Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non posse, neque æquitatem in pœnis injungendis servare posse; si in genere dumtaxat, & non potius in specie ac sigillatim, sua ipsi* (pœnitentes) *peccata declaraverint:* Ita respondet S. Raymundus: (*lib.* 3, *cap.* 66) „ ad illud quod quæritur, inquit, utrum Sacerdotes possint facere commutationes jejuniorum, vel alterius satisfactionis, ad petitionem ipsorum pœnitentium: credo breviter quod sic, dum tamen discrete & propter causam, & circa subditos suos: alias non ". Sequitur

QUÆSTIO SEPTIMA.

De indulgentiis.

QUæstioni præcedenti intime, quæ de indulgentiis nunc movetur, conjuncta est: cum enim, ut prædiximus, teneatur homo, Deo pro suis delictis, pœnis temporalibus satisfacere, nec solutio a reatu pœnæ æternæ, liberationem a debito pœnæ temporalis importet: cumque aliunde, quas Deo exhibemus satisfactiones, ita plerumque imperfectæ sint, ut a gravitate criminum adæquanda longissime distent; huic insufficientiæ Deus misericordiarum & totius consolationis providit, facta Ecclesiæ potestate, indulgentias in supplementum & subsidium pœnitentiæ concedendi.

De his, quæ earum natura sit, quæ præstantia, quæ utilitas, quæ mensura, dicere in præsenti contra hæreticos recentiores suscipimus; a quibus, uti omnis satisfactio, sic & indulgentia, cum risu impio & contumeliose rejecta: ut autem certam in his exponendis difficultatibus, quamque prætergredi nefas sit, regulam teneamus, juvat in limine ipso, Ecclesiæ de indulgentiis doctrinam proponere, quam Trid. Concilium his verbis expressit (*sess.* 25, *in decr. de indulg.*).

„ Cum potestas conferendi indulgentias a „ Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: „ Sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, „ Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, „ in Ecclesia retinendum esse docet ac præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut „ inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in „ Ecclesia potestatem esse negant: in his tamen concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, „ adhiberi cupit; ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui „ in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos & correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit, „ pravos quæstus omnes pro his consequendis, „ unde plurima in Christiano populo abusuum „ causa fluxit, omnino abolendos esse: cæteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, „ irreverentia, aut aliunde quomodocumque „ provenerunt, cum ob multiplices locorum & „ provinciarum, apud quas hi committuntur, „ corruptelas, commode nequeant specialiter „ prohiberi; mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ „ suæ colligat, eosque in prima Synodo provinciali referat: ut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad Sum. Rom. „ Pontificem deferantur, cujus auctoritate & „ prudentia, quod universali Ecclesiæ expedit, statuatur, ut ita Sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte, & incorrupte omnibus fidelibus dispensetur „.

Ita Sacrosanctum Concilium, cujus Doctrinæ summa est, 1 indulgentias concedendi potestatem a Christo Ecclesiæ datam: 2 Christiano populo esse maxime salutares: 3 in his largiendis moderationem, certosque fines esse tenendos, quos ultra nequit rectum consistere. Jam sit

CAPUT PRIMUM.

Ecclesiæ ad indulgentias concedendas, contra Hæreticos auctoritas vindicatur.

§. PRIMUS.

Notantur errores.

QUI hanc eripere Ecclesiæ potestatem attentaverint, primi Montanistæ occurrunt: cum enim peccata pleraque ob nimiam gravitatem irremissibilia esse, ut prædiximus, affirmarent; consequens erat, ut dicerent, pœnam iis debitam nulla posse satisfactione æquari; adeoque nec posse quidquam de ejus persolutione Ecclesiæ potestate laxari; sed soli Deo totum hoc judicium committendum: *at tu jam*, inquiebat Tertullianus, e Catholico Montani-
sta

sta factus, & contra Zephirinum Pontificem Max. declamans, (*lib. de pudicit. cap. ult.*) *at tu & in Martyres tuos effundis hanc potestatem: ut quisque . . . . vincula induit . . . . statim ambiunt Mœchi, statim adeunt fornicatores, jam preces circumsonant . . . & pacem ab his quærunt, qui de sua periclitantur . . . sufficiat martyri propria delicta purgasse . . . . quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei filius?*

Sæculo 3 eodem infecti errore, Novatiani fuerunt.

Sæculo 12 eamdem Waldensibus opinionem plerique adscripsisse comperiuntur: de indulgentiis quæ fiunt per Ecclesiam, ait Reynerus (*lib. cont. Wald. cap. 6*) *non credunt* . . . & Philedorphins: (*cont. eosd. c.* 40) *item reprobant Hæretici Waldenses indulgentias Prælatorum Ecclesiæ*.

Sæculo 15 Wiclefus & Joannes Hus contra indulgentias invecti pariter sunt: in articulis enim quos a Joanne Hus temerario propugnatos Concilium Constant. Sess. 15 proscripsit, hic numeratur: *item 19 articulus, in quo continetur, quod indulgentiæ Papæ sive Episcoporum, concessæ nihil prosunt*.

Sæculo 16, anno 1517, Indulgentiarum publicatio in Germaniæ partibus, jussu Leonis X Pontificis Max. facta, prima Luthero Schismatis & nefandæ hæreseos occasio fuit. Cum enim ægre ferret, hanc sodalibus suis Augustinianis, ut solitum antehac benignitate Pontificum fuerat, non esse demandatam provinciam; malo livore correptus, cœpit primum invehi contra indulgentiarum abusus; nec multo post ipsas in se indulgentias tamquam perniciosas & inutiles infamare: passim ubique qua scriptis, qua prædicatione vociferans, *seduci eos qui credunt indulgentias esse salutares, & ad fructum spiritualem utiles; nec mortuis, nec morituris prodesse; ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ, apud divinam justitiam nil valere; pias esse fraudes ad emungendam pecuniam adinventas* &c. Quorum mentio est in bulla contra illum a prædicto Sum. Pontifice Leone X lata.

Eodem tempore Lutherum Zuinglius, Calvinus, aliique discipuli ejus secuti sunt.

§. SECUNDUS.

Indulgentiarum nomen & definitio explicatur.

Quos priusquam refellimus operæ pertium est, indulgentias, unde dictæ sint, quamve naturam habeant explicare.

Indulgentia, usu Latinorum perantiquo, idem sonat ac *remissio* sive *relaxatio* pœnarum criminibus debitarum: sic enim generalem criminum condonationem, quam aliquando principes sæculi, sive occasione triumphi, sive publicæ lætitiæ causa faciebant, *indulgentiam* appellitare solemne erat, ut in Codice Theodosiano, titulo de *indulgentiis criminum*, & in jurisconsultis videre est: haud incongrue igitur a Sanctis Antistibus & Scriptoribus Ecclesiasticis ad significandam pœnarum Canonicarum relaxationem, eædem voces aptatæ, quas nemo, nisi qui ipsas in se indulgentias aspernatus fuerit, reprehendet; eoque dignior censura evadet, quod Concilia antiquissima, Sum. Pontifices, Cyprianum aliosque Patres accusabit, qui *relaxationis*, *remissionis*, *donationis*, *condonationis*, & *indulgentiæ* nomina usu communissimo frequentarunt.

Jam qui vocis *indulgentiæ* etymologiam semel intellexerit, haud difficulter in quo ejus natura posita sit, assequetur: est enim *indulgentia*, prout juxta Ecclesiæ mentem accipitur, *relaxatio pœnitentiæ a Sacerdote, aut a Canone injunctæ*: sive; *Remissio aliqua pœnæ temporalis, quæ post remissionem peccatorum luenda superest, extra Sacramentum facta, ab eo qui spiritualem jurisdictionem habet cælestem Ecclesiæ Thesaurum dispensandi*.

Explicatur definitio.

Dicitur 1 *remissio pœnæ temporalis*; æterna namque pœna, mortali peccato debita, per absolutionem Sacramentalem remittitur. Hoc ipso enim quod vincula peccati soluta sunt, peccator in Dei gratiam rediit, ejusque est amicitiam consecutus. Quod si amicus Dei, hæres ergo ejus & cohæres Christi est factus: unde sequitur, ab æterni supplicii debito esse liberatum.

Dicitur 2 *Remissio aliqua pœnæ temporalis*, non ex integro nimirum, sed ex parte facta: gravissima enim hallucinatio foret ejus qui crederet, per indulgentiam, pœnam omnem temporalem peccato mortali debitam relaxari: quod quid aliud esset, quam præceptum divinum infringere: *facite fructus dignos pœnitentiæ*, & ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus patrocinari? ideo igitur Ecclesia indulgentias elargitur, non ut impœnitentiæ faveat; sed ut vere pœnitentium zelum ac fervorem præmio quodam afficiat, & debilium impotentiæ ac infirmitati succurrat, iis in supplementum pœnitentiæ quam ex integro implere non possunt, Christi & Sanctorum merita, cælestem videlicet thesaurum divinitus sibi creditum applicando.

do. " Sunt (inquit Cardinalis Cajetanus, qui „ doctrinam hanc eximie contra Lutheri improbas declamationes defendit:) (*tract. de „ suscipientibus indulgent. q.* 1) sunt (*pœnitentes*) duplicis ordinis: quidam solliciti ad satisfaciendum per se ipsos pro peccatis suis: „ quidam negligentes satisfacere per se ipsos. „ Primi condignas pœnitentias vel petunt a „ Confessoribus sibi imponi, parati eas implere, vel sponte illas assumunt, dum continuo „ student per sua sancta opera satisfacere, jejunando, orando, eleemosynas dando &c. secundi vero levissimam pœnitentiam, aut rogant, aut læti suscipiunt; & cum illam impleverint quam sciunt esse minimam, non „ eurant amplius de satisfaciendo; & hi sunt „ quibus indulgentiæ non prosunt judicio meo. „ Nullus enim indignus aliena satisfactione, „ pro pœna sibi debita, consequitur veraciter „ fructum indulgentiæ; sed quilibet negligens „ satifacere per se ipsum, est indignus aliena „ satisfactione pro pœna propriis peccatis debita. Ergo nullus negligens satisfacere per se „ ipsum, acquirit fructum indulgentiæ. Præterea in qualibet bene ordinata Republica „ quantumcumque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi communem Thesaurum „ in cives gravatos ære alieno; negligentes „ tamen solvere, indigni censerentur adjutorio „ thesauri: ex eo enim quod possunt de suo „ solvere, & non curant, indignos se reddunt „ tali sublevamine: & nisi tales pro indignis „ haberentur, foveretur negligentia, quoniam „ alii horum exemplo ad similem negligentiam „ provocarentur: legis autem est, facere, non „ negligentes, sed virtuosos. Cum igitur Ecclesia sit a Deo ordinata, æquum non est, „ ut spiritualis dispensatio thesauri, negligentes satisfacere pro dignis habeat: hoc enim „ vere esset enervare satisfactiones pœnitentiales. Non prosunt igitur indulgentiæ negligentibus satisfacere per se ipsos, quoniam indigni sunt indulgentia . . . . parati autem ad „ satisfaciendum per se ipsos sunt, non qui negligunt per se ipsos satisfacere; sed illi soli, quorum voluntas sic est ad satisfaciendum „ parata, quod non retardat opus nisi impedita ".

Dicitur 3 *Remissio pœnæ temporalis, post peccatorum condonationem luendæ:* Principium enim est fidei certissimum, a Scriptura & Patribus, ipsoque novissime Trid. Concilio inculcatum, peccata baptizatis, per veram pœnitentiam sic remitti, ut nihilominus pœna temporali, vel in hac vita, vel in futura debeant, Dei justitia sic exigente, puniri. In hoc ergo indulgentiarum vis proprietasque consistit, quod hujusmodi pœnarum pars aliqua remittatur.

Dicitur 4 *Extra Sacramentum facta:* quod enim ut alicujus valoris sit, Sacramentum ante susceptum necessario supponit, extra Sacramentum est; atqui indulgentiarum beneficium consequi nemo potest, quin prius pœnitentiæ Sacramentum susceperit: remissio ergo hæc extra Sacramentum fit: *deinde*, indulgentia est relaxatio pœnarum, quæ juxta rigorem canonum imponi in Sacramento debuerant aut potuerant. Est ergo Sacramento posterior.

Dicitur 5 *Facta ab eo, qui spiritualem jurisdictionem habet, cælestem Ecclesiæ thesaurum dispensandi.* Non enim largitionem hanc facere, omnibus promiscue convenit, sed iis solum qui communia Ecclesiæ bona administrant: in quibus haud dubie primus est Pontifex Maximus; deincepsque sequuntur Episcopi, in sua quique diœcesi, juxta mensuram canonum, jure divino, thesauri cælestis œconomi, ut in decursu quæstionis paulo uberius ostendetur.

§. TERTIUS.

Veritas indulgentiarum adstruitur.

Sat non fuerit indulgentias, in quo eorum natura poni debeat, descripsisse; nisi earumdem veritas & existentia propriis fundamentis adstrueretur. Id quod argumentis certissimis suscipimus demonstrandum.

ARGUMENTUM PRIMUM

Ex eo quod Ecclesia indulgentias omni retro ætate concesserit.

Tota in exemplis, factisque historicis probatio ista consistet.

Primum est, incestuosi Corinthii de quo Apostolus: *sufficit illi qui ejusmodi est*, inquit, (2 *Cor.* 2, 6, *& seq.*) *objurgatio hæc, quæ fit a pluribus; ita ut e contrario magis donetis & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum caritatem: Ideo enim & scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis: cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana: non enim ignoramus cogitationes ejus.*

Is ipse Corinthius est, de quo B. Paulus prædixerat: (1 *Cor.* 5, 3, *& seq.*) *ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est,* in

in nomine Domini nostri Jesu Christi, *congregatis vobis & meo spiritu*, *tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis*, *ut Spiritus salvus sit in Die Domini nostri Jesu Christi*.

Veram porro, propriamque indulgentiam ab Apostolo esse concessam, verba ipsa quibus utitur satis superque significant: quem enim prius in nomine Domini Jesu Christi tradiderat in interitum, id est, macerationem carnis, & laboriosa opera pœnitentiæ, ut spiritus salvus fieret; eum deinceps in ejusdem Christi persona, in gratiam & communionem recipi præcipit; non quod plene satisfecerit, & pœnam nefando incestui debitam plene persolverit: *sed*, inquit, *ne abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est*, neve in desperationem incidat, si longius ejus pœnitentia protrahatur. Unde subdit: *ut non circumveniamur a Satana*, *non enim ignoramus cogitationes ejus*.

Nec putandum novam hanc Apostoli interpretationem esse, & ad defensionem recentis, ut hæretici jactitant, dogmatis adinventam. Sic enim textum ejus prioribus sæculis intellectum, Græcorum Latinorumque Patrum testimonia attestantur.

Ita sane sentit S. Joannes Chrysost. hom. 3 in 2 Ep. ad Corinthios, ubi Apostoli verba commentans: " quamvis, *inquit*, peccatum confes-„ sus fuerit (incestuosus) ipsiusque pœnitue-„ rit; ostendit tamen eum non tam pœniten-„ tiæ opera, quam gratia & beneficio veniam „ consequi. Unde subdit: *ob idque donetis & „ consolemini*; & quod sequitur, idem decla-„ rat: non enim, *inquit*, quod id promerea-„ tur, nec quod eam quam par sit pœniten-„ tiam præstiterit; sed quia infirmus est, id-„ circo hoc peto: *ne forte abundantiori tristi-„ tia absorbeatur*, *qui est ejusmodi*: quæ ver-„ ba sunt hominis, magnæ pœnitentiæ testi-„ monium ipsi tribuentis, nec eum in despe-„ rationem ruere sinentis . . . . hincque doce-„ mur, quod non solum ad peccatorum natu-„ ram, verum etiam ad mentem habitum-„ que peccantium oporteat moderari pœniten-„ tiam ".

Pari ratione Theophylactus in eundem locum: „ pulchre autem, *inquit*, dixit Apostolus: *do-„ nare* . . . attendit enim, quod non tantum „ ex penitentia sua, (Corinthius) quantum „ ex gratia & donatione dimissionem reci-„ piat ".

Consentiunt e Græcis Theodoretus & Œcumenius: e Latinis S. Ambrosius, (*lib. 1 de pœnit. cap. 6*, *& ultimo*) & S. Pacianus Ep. 3, ubi relatis Apostoli verbis *Sympronianum* ita redarguit: " vides Apostoli indulgentiam, pro-„ prias etiam sententias temperantem? vides „ mitissimam lenitatem, longe a vestro super-„ cilio separatam? longe a Novatiani fronte „ dissimilem, communi vero vitæ ac saluti o-„ mnium consulentem"?

Secundum exemplum est Martyrum, eorum videlicet, qui sæviente persecutione, propter confessionem nominis Christi in carceribus detinebantur. Ad eorum enim petitionem Ecclesia, de satisfactionis operibus, iis qui lapsi erant, impositis, plurimum relaxabat: tantumque eis honorem deferebat, ut quod perpessi ipsi fuissent, aut forent quantocyus sanguinis effusione passuri, pro aliorum quos Antistitibus commendabant, pœnitentia acceptarent: hujus indulgentiæ meminit Tertullianus in lib. ad martyres (*cap. 1*), ubi, *pacem*, inquit, *quidam in Ecclesia non habentes*, *a martyribus in carcere exorare consueverunt*: *& ideo eam etiam propterea in vobis habere*, *& fovere*, *& custodire debetis*, *ut & aliis præstare possitis*.

Ejusdem in Epistolis S. Cypriani frequentissima mentio fit. Sic Ep. 13, *qui libellum a Martyribus acceperunt*, inquit, (Epistolam videlicet commendatitiam) *& auxilio eorum adjuvari apud Dominum*, *in delictis suis possunt*, *si premi infirmitate aliqua & periculo cœperint*, *& exomologesi facta*, *& manu eis a vobis in pœnitentiam imposita*, *cum pace a martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur*.

Tertium petitur ex antiquissimis Ecclesiæ decretis, quæ Episcopis potestatem faciunt, ex Canonicis pœnitentiis aliquid pœnitentibus remittendi, si eorum vita & laudabilis conversatio favorem hunc mereatur.

„ Est autem tuæ prudentiæ, *ait S. Basilius „ in Ep. ad Amphilochium sæpe laudata*, (*Can. „* 54) pro circumstantiæ proprietate, pœnas „ intendere, vel remittere: quorum similia in „ diversis ejusdem Epist. canonibus repetit ".

„ Et in hoc quoque, *ait S. Gregorius Nys-„ senus*, *in Ep. ad Letoium*, (*Can. 4*) idem „ observabitur ab eo qui Ecclesiam administrat; „ & pro ratione conversionis, illi quoque pœ-„ næ tempus contrahetur: adeo ut novem an-„ nis in unoquoque gradu vel octo, vel se-„ ptem, vel sex, immo etiam quinque tantum „ anni ponantur, si pœnitentiæ magnitudo tem-„ pus vincat, & superet correctionis studio, „ eos qui in longo tempore præstituto, susce-„ ptas a se maculas segniter eluunt ".

Concilium Ancyranum, anno 314 celebratum: *Episcopum*, inquit, (*Can. 5*) *hanc habere licentiam oportet*, *ut perspecta singulorum conversatione*, *normam regulamque attribuat*; *id est*, *aut humanius agens secundum vitæ modum*, *tempus alicui pœnitentiæ breviter*, *aut etiam prolixius*, *quod correctioni necessarium*

 vide-

viderit, *addat: discutiatur autem omnium horum & praecedens vita & posterior* : *& ita circa eos Sacerdotalis se humanitas moderetur*... (*Can.* 22) *modus poenitentiae in Episcoporum sit arbitrio*, *ut secundum conversationem poenitentium possint & extendere tardantibus*, *& minuere studiose festinantibus*.

Concilium Nicaenum I, undecimo post anno (325) habitum: *quotquot*, inquit, (*Can.* 12) *metu & lacrymis*, *atque patientia*, *vel bonis operibus*, *rebus ipsis conversionem suam*, *non simulatione demonstrant*: *hi demum tempus auditionis implentes*, *tum demum fidelibus in oratione communicent*. *Postmodum vero licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare*.

Paria extant in Concilio Trullano Can. 12, Carthaginensi IV, Can. 75, in Epist. 1 Innocentii I, c. 7, & 79 Leonis Magni c. 5.

Pro quarto exemplo sit, mos 8 saeculo introductus, Canonicas poenitentias precibus quibusdam, aut flagellationibus, aut eleemosynis, aliisve piis operibus redimendi, cujus meminit Concilium Triburiense anno 895, (*Can.* 56) ubi caute advertendum relaxationem hanc non nisi urgente, vel itineris, vel infirmitatis, vel alia quavis rationabili causa concessam: *postquam de itinere domum revertatur*, *aut de infirmitate liberetur*, ajunt Patres Triburienses, *praedictas* (jejunii Canonici) *ferias non redimat*, *sed statuto modo poeniteat* . . . *si quis forte non potuerit jejunare*, (ait Abbas Regino in collectione manuscripta: unde pleraque doctissimus Morinus excerpsit,) *& habuerit unde possit redimere*, *si dives fuerit*, *pro septem hebdomadibus det solidos viginti* : *si non habuerit tantum unde dare possit*, *det solidos decem*. *Si autem multum pauper fuerit*, *det solidos tres* . . . *pro uno mense*, *quo in pane & aqua poenitere debet aliquis*, *Psalmos decantet mille ducentos genuflexo &c.*

Quintum deinceps sequitur, in his poenitentiarum remissionibus, quae undecimo saeculo concedi coeperunt, iis qui opus aliquod laboriosum, ad Ecclesiae utilitatem aggrederentur, quale erat contra Haereticos, Schismaticos, aut Ethnicos ferre arma, & sanctae adscribi militiae; hujus remissionis primus omnium formam dedit, & secutis Sum. Pontificibus reliquit *Urbanus II* in Concilio Claromontano an. 1095, ubi eo promovente a foederatis Christianis Principibus expeditio Hierosolymitana decreta est. „ Nos autem, *inquiebat in sacro consessu Antistes Maximus*, „ misericordia Dei & BB. Apost. Petri & „ Pauli auctoritate confisi, fidelibus Christianis qui contra eos (*infideles*) arma susceperint, & onus sibi hujus peregrinationis „ assumpserint, immensas pro suis delictis poenitentias relaxamus: qui autem in vera poenitentia decesserint, & peccatorum indulgentiam, & fructum aeternae mercedis se „ non dubitent habituros . . . " id quod legimus expresso ejusdem Concilii Canone confirmatum, his verbis: *quicumque pro sola devotione*, *non pro honoris vel pecuniae adeptione*, *ad liberandam Ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuerit* : *iter illud pro omni poenitentia ei reputetur*.

Tantum potuit Pontificis Maximi, juncta certae spei redemptionis peccatorum, & poenarum iis debitarum, exhortatio, ut ingens hominum omnis generis & conditionis multitudo militiae sacrae nomen dederit: *vacuantur urbes & castella*, inquiebat S. Bernardus (*Ep.* 246), *& pene jam non inveniunt quem apprehendant septem mulieres virum unum*: *adeo ubique viduae*, *vivis remanent viris*.

Eodem pertinent concessiones consimiles pro expeditione Hispanica contra Mauros, similibusque contra Haereticos belligerationibus, duodecimo saeculo factae, a Sum. Pontificibus *Callisto* II, *Eugenio* III, *Clemente* III &c.

Sextum, nemini non notum est, in Jubilaeo, quod anno 1300, centesimo quoque recurrente anno, iis qui ad Basilicas BB. Apostol. Petri & Pauli Romae accederent, concedendum *Bonifacius VIII* Pontifex Max. instituit: quodque deinceps *Clemens VI* ad annum quemlibet 50, *Urbanus VI* ad 33, *Paulus II ad* 25, ampliatis favoribus, contraxerunt.

„ Antiquorum habet fida relatio, *inquit Bonifacius VIII* (*in Bulla Jubilei*), quod accedentibus ad venerabilem Basilicam principis Apostolorum de urbe, concessae sunt „ magnae remissiones & indulgentiae peccatorum . . . nos de omnipotentis Dei misericordia, & eorumdem Apost. ejus Petri & „ Pauli, meritis & auctoritate confisi, de „ Fratrum nostrorum consilio, & de Apostolicae plenitudine potestatis, omnibus a praesenti anno millesimo trecentesimo, a festo „ nativitatis Dom. Nostri Jesu Christi praeterito, proxime inchoato, & in quolibet anno centesimo secuturo, ad Basilicas ipsas „ accedentibus reverenter, vere poenitentibus „ & confessis, vel qui vere penitebunt & confitebuntur, in hujusmodi praesenti, & quolibet centesimo secuturo annis, non solum „ plenam & largiorem, immo plenissimam „ omnium suorum concedemus, & concedimus veniam peccatorum ".

Septimo, non exemplum unum, sed plurium sit congeries, in innumerabilibus hujusmodi remissionibus, quas Sum. Pontifices, variis occasionibus, diversasque ob causas indulserunt, & etiam num indulgent.

Jam

Jam sic contraho argumentum: nomine indulgentiæ intelligitur *remissio aliqua pœnæ temporalis, quæ post remissionem peccatorum luenda superest, extra Sacramentum facta, ab eo qui spiritualem jurisdictionem habet cælestem Ecclesiæ thesaurum dispensandi*: atqui definitio hæc per omnes partes, in exempla adducta, & alia quæ silentio prætermisimus bene quadrat: quod quisque, quolibet eorum discusso, facile animadvertet. Ergo Ecclesia indulgentias omni retro ætate concessit: ergo earumdem concedendarum, quidquid garriat Hæreticorum insania, auctoritatem perpetuo habuit.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex Clavium potestate.

Jam si quæratur, qua revelatione Ecclesia didicerit, hac se potestate esse donatam? Respondeo, a Christo ipso Apostolos instruente sic esse edoctam: ait enim ad illos: (*Matth. 18, 18*) *amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*. Cujus sententiæ prima pars, quidquid pœnarum peccatoribus imponi potest, generaliter comprehendit, denegationem videlicet absolutionis a peccato, præcisionem a corpore mystico, ipsasque pœnas Canonicas, per quas Deo pro pœnis temporalibus sibi debitis, etiam accepto remissionis peccatorum beneficio, satisfaciant. Ergo quod sequitur: *quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*: cum verbis præcedentibus correspondeat, atque late patere debet, adeoque significat non peccata solummodo, sed & pœnas ipsas pro peccatis impositas, cum prudentia & discretione, relaxandi potestatem: & vero cum Cristus, divinus legislator, Ecclesiam instar humanarum Rerumpublicarum erexerit, formamque eo perfectiorem ei dederit, quo civitas hæc nobilior, hoc est, civitas Dei futura esset; par omnino fuit, ut in ea tribunal erigeret, ubi per judices a se constitutos legum tutamen, administratio, & moderatio foret; atqui in qualibet bene morata Republica, ligandi solvendique potestas ex æquo judicibus attribuitur; nec ita tenentur ad apicem juris, sententias suas agere, quin aliquando possint emollire legum severitatem ac relaxare, si nimirum mitigationem hanc vel conditio temporum, vel bonum commune Reipublicæ, vel accusati & convicti præcedens aliquod meritum aut præsens malefacti dolor, certis significationibus attestatus, aut altera quævis ratio requisiverit. Ergo pariter non ita putari debet Christus ligandi pœnitentes, eosdemque satisfactionis operibus coercendi potestatem sacris Antistitibus contulisse; quin similiter facultatem eis fecerit, aliquid de satisfaciendi debito, justis de causis condonandi; eoque magis, quod, ut prædiximus, tribunal Christi mansuetudine, clementia, misericordia, quovis humano tribunali longe præcellat.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex Communione Sanctorum.

Est & alterum doctrinæ fidei fundamentum firmissimum, in articulo symboli quo profitemur *communionem Sanctorum*: quem si sensu proprio, hoc est, Catholico, Lutherani & Calvinistæ intelligerent, facile evanescerent eorum contra indulgentias cavillationes: *communio* dicitur, hoc est, omnium Christi membrorum sub uno capite nexus, societas, communicatio, unio, per unum spiritum, caritatis vinculo colligata, qua fit ut omnia justorum bona opera, sive qui sunt, sive qui unquam fuerunt, sint veluti propria singulorum, & in totum corpus mirabili profluvio effundantur. Non enim Ecclesia terrenæ civitati similis est, ubi etsi iisdem omnes legibus vivant; sibi tamen plerumque quisque, & propriæ utilitati, neglectis aliorum commodis consulit; sed qualis membrorum inter se societas est, ut operatio cujusque membri cedat in totius corporis commodum; talis, longeque perfectior, membrorum Ecclesiæ reciproca conjunctio est: de hac loquebatur Apostolus, quando dicebat: (*1 Cor. 12, & seqq.*) „ sicut enim corpus unum est, & multa habet „ membra: omnia autem membra corporis cum „ sint multa, unum tamen corpus sunt; ita „ & Christus. Etenim in uno spiritu omnes „ nos in unum corpus baptizati sumus, sive „ Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi . . . nam & corpus non est unum membrum, sed multa . . . . nunc autem multa „ quidem membra, unum autem corpus. Non „ potest autem oculus dicere manui: opera „ tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: „ non estis mihi necessarii; sed multo magis „ quæ videntur membra corporis infirmiora „ esse, necessariora sunt . . . . . ut non sit „ schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra: & si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra: vos autem estis Corpus Christi, & membra de „ membro ".

De eadem Propheta Regius: (*Ps.* 118, 63) *particeps* inquiebat, *ego sum omnium. timentium te, & custodientium mandata tua*: quæ verba Sanctus Ambrosius explicans: (*ser.* 8 *in Psal.* 118) " sicut enim, *ait*, membrum „ particeps esse dicimus totius corporis: sic „ conjunctus omnibus timentibus Deum, qui „ non dicat alteri: *non es de corpore meo*: „ hoc est, non dicat pauperi dives, non ignobili nobilis, non ægro sanus, non fortis debili, non imperito sapiens dicat: *non estis mihi necessarii*: particeps Corporis Christi „ est, quæ est Ecclesia ".

Pari sensu ab eodem S. Doctore alibi dictum: (*lib.* 1 *de offic. cap.* 29) *Ecclesia in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur* . . . . . . (*lib.* 1 *de pœnitent. cap.* 15) *tota Ecclesia suscepit onus peccatoris, cui compatiendum & fletu, & oratione, & dolore est: & quasi fermento ejus se totam conspergit; ut per universos ea quæ superflua sunt in aliquo pœnitentiam agente, virilis misericordiæ aut compassionis velut collativa quadam admixtione purgentur*.

In hoc porro suffragiorum, bonorum operum, meritorum, inter omnia Ecclesiæ membra, per unum Spiritum caritatis vinculo colligata, felici commercio, fundamentum ponimus indulgentiarum, eo firmius, quod infinitis Christi meritis, unde justorum merita suum omne pretium habent, innitatur. Hic est immensus ille Thesaurus, quem, inquit Clemens VI Pontifex Max. (*in Extravag. unigenitus*) *Unigenitus Dei filius Redemptor noster militanti Ecclesiæ acquisivit, volens suis thesaurizare filiis Pius Pater: ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum Cœli Clavigerum, ejusque successores, suos in terris vicarios commisit, fidelibus salubriter dispensandum; & propriis, & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter, quam specialiter, (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum. Ad cujus quidem thesauri cumulum, B. Dei Genitricis, omniumque electorum a primo justo, usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur; de cujus consumptione vel minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita; quam pro eo quod, quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum*.

Inde sic colligo argumentum: infiniti meriti Thesaurum Christus sponsæ suæ Ecclesiæ hæreditate legavit: infiniti, inquam, quia etsi justorum quantumlibet præcellentia opera, finiti se ipsis valoris sint: quatenus tamen Christo capiti juncta sunt, & ab ejus influxu dependent, ad pretium infinitum accrescunt. Thesaurum porro hunc non voluit Christus esse otiosum & repositum in sudario: sed quemadmodum in bene constituta civitate, pecunia publica in publicos utique usus, e re nata, & urgente occasione impenditur; ita voluit Salvator sanctum ærarium pro variis corporis & membrorum necessitatibus, prudenti liberalitate profundi; atqui nulla hujus exercendæ liberalitatis urgentior causa est, quam ubi agitur de Canonicis satisfactionibus per indulgentias remittendis: hac enim œconomia fit, tum ut in præsenti tempore justorum abundantia, pœnitentium inopiam suppleat, atque ita aliquatenus æqualitas fiat; tum ut de satisfactionibus Deo debitis nihil minuatur; eo nimirum, justorum materia in subsidium pœnitentiæ misericorditer acceptante. Ergo indulgentiarum concedendarum potestas firmissimo, quippe divino, fundamento solidatur, quod machinis suis inutiliter hæretici concutere ac demoliri aggrediuntur.

COROLLARIUM.

De indulgentiarum utilitate.

Idemque sponte sequitur (quod præfracte hæresis negat) summam indulgentias importare utilitatem. Numquid enim res fructuosissima non est, quod pœnæ temporales peccato debitæ, non in foro tantum Ecclesiæ, sed etiam apud Deum, neque in hac vita tantum, sed etiam in futura luendæ, misericorditer condonentur? atqui hunc esse uberrimum indulgentiarum proventum, adstruunt verba Christi: *quæcumque solveritis super terram erunt soluta & in cœlo*: & Apostoli affirmantis se quidquid incestuoso donavit, *in persona Christi donasse*: unde manifesto eruitur, solutionem a pœnis temporalibus, non ad præsens tantum, sed etiam ad futurum sæculum pertinere: alioquin enim quomodo solveretur in cœlis, quod esset solutum in terris; & quomodo in persona Christi donaretur id, cujus sibi vindictam supremus judex in futuro sæculo reservaret? *quidam dicunt*, inquit S. Thomas, (*in* 4 *sent. dist.* 20, *qu.* 1, *art.* 3, *quæstiuncula* 2) *quod indulgentiæ non valent ad absolvendum a reatu pœnæ, quam quis in purgatorio, secundum judicium Dei meretur; sed valent ad absolvendum ab obligatione, qua Sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam*;

quam; vel ad quam etiam ordinatur ex canonum statutis. Sed hæc opinio non videtur vera. 1 Quia est expresse contra privilegium Petro datum, ut quod in terra remitteret, & in cœlo remitteretur: unde remissio, quæ fit quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei: & præterea Ecclesia hujusmodi indulgentias dans, magis damnificaret, quam adjuvaret; quia remitteret ad graviores pœnas scilicet purgatorii, absolvendo a pœnis injunctis: & ideo aliter dicendum, quod valent & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad judicium Dei, ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, & confessionem, & absolutionem: sive sit injuncta, sive non.

Hinc inter propositiones Petri Oxomensis, quas Sixtus IV Pontifex Max. *ut erroneas, scandalosas, a fidei veritate alienas, ac manifestam hæresim continentes confixit*, hæc legitur: *Romanus Pontifex Purgatorii pœnam remittere non potest.* . . . & inter varios Lutheri articulos, quos Leo X *tamquam hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensivos, & veritati Catholicæ obviantes* proscripsit, hi duo sunt: *1 indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium: 2 indulgentiæ his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.*

§. QUARTUS.

Diluuntur objectiones.

Opponunt. Indulgentiam, prout a Catholicis intelligitur, elargiri, idem est ac pœnitentiæ Sacramentum una sui parte truncare: ejus namque materia, ut prædiximus, in contritione, confessione, & satisfactione consistit; atqui indulgentia liberat hominem a debito satisfaciendi. Ergo una sui parte minuit Sacramentum, quod cum non possit Ecclesia, utique non habet concedendi indulgentias facultatem.

R. nego maj. Sacramentum enim suis partibus integrum, etiam cum indulgentiarum concessione consistere, ii soli negant, qui vel eorum naturam nesciunt, vel etiamsi sciverint, Ecclesiam calumniari non cessant.

Ad probat. concessa maj. n. min. Nego, inquam, per indulgentias liberari quemquam a debito satisfaciendi. Cui enim hoc unquam Catholicorum in mentem venit, in indulgentiis præsidium ac tutamen impœnitentiæ esse; easque non impotentiæ ac infirmitatis subsidium, sed impunitatis esse prætextum?

Haud ita sane Apostolus sentiebat, qui incestuoso Corinthio, non satisfactionem totam, sed partem ejus remisit, ne videlicet abundatiori dejectus tristitia, in laqueos incideret diaboli: *cui*, inquit *aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, ... propter vos in persona Christi* (2 *Cor.* 2, 10).

Non ita S. Cyprianus, qui non ante volebat pœnitentibus indulgentias debere concedi, quam durissimis pœnitentiæ laboribus eo favore se dignos probassent, eaque de causa martyres in carceribus detentos quam enixe poterat, hortabatur, ne omnibus petentibus libellos commendatitios indiscriminatim darent. *Oro vos quibus possum precibus*, inquiebat, (*Ep.* 10) *ut Evangelii memores, & considerantes quæ & qualia in præteritum antecessores vestri Martyres concesserint, quam solliciti in omnibus fuerint, vos quoque sollicite & caute petentium desideria ponderetis. Ipsorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis: ne si quid abrupte & indigne vel a vobis promissum, vel a nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat nobis. . . & ideo peto, ut eos quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello.* . . . & alibi: (*in tractat. de lapsis*) *si precem toto corde quis faciat*, ait, *si veris pœnitentiæ lamentationibus & lacrymis ingemiscat; si ad veniam delicti sui Dominum justis & continuis operibus inflectat; misereri talium potest. . . . potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille inflectere. Pœnitenti, operanti, roganti, potest clementer ignoscere: potest in acceptum referre quidquid pro talibus & petierint martyres, & fecerint.*

Non ita Synodi, quæ hac sola conditione posse Episcopos indulgentias concedere statuerunt, si nimirum pœnitentes conversionem suam lacrymis & durissimis satisfactionis operibus diu probassent. *Statuimus*, inquit Ancyranum Concilium, (*Can.* 5) *ut Episcopi modo conversationis examinato, potestatem habeant vel utendi clementia, vel plus temporis adjiciendi: ante omnia autem & præcedens vita, & quæ consecuta est examinetur, & sic eis clementia concedatur.* . . . hocque ipsum Synodus Nicæna declarat, (*Can.* 12) *cum iis solis humanius posse agi decernens, qui & metu, & lacrymis & tolerantia, & bonis operibus, conversionem re, non simulate ostenderit.*

Falso ergo & calumniose obtenditur, per indulgentias Sacramentum pœnitentiæ aliqua sui parte fraudatum.

Inst. 1. probando min. Quæ asserimus, inquiunt, ex antiquitate exempla, dum priscum rigorem

rigorem ostentant, eo efficacius adstruunt, successu temporum omnem satisfaciendi necessitatem esse sublatam: ex quo enim a Sum. Pontificibus thesaurus Ecclesiæ, quavis occasione apertus est, tanta remissionum ac gratiarum copia in peccatores effluxit, ut lex satisfaciendi penitus evanuerit. Ergo vera minor propositio.

R. Nego aut. Summos enim Pontifices, contra quos furiis invecta hæresis debacchatur, semper tenuisse in concedendis indulgentiis moderationem, ex eorum diplomatibus & historia Ecclesastica certum est.

Sic sæculo XI desinente *Gregorius VII* Lincolniensi Episcopo indulgentiam delictorum roganti, ea lege annuit, ut pro viribus Deo satisfaceret: *absolutionem præterea peccatorum tuorum*, inquit, *sicut rogasti, auctoritate Principum Apost. Petri & Pauli fulti, quorum vice quamvis indigni, fungimur, tibi mittere dignum duximus: si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo quantum valueris, corporis tui habitaculum, Deo mundum templum exhibueris. . . . ex quibus apparet*, ait Card. Baronius in Annalibus (*ad an.* 1073, *n.* 71) *Sedis Apostolicæ indulgentias illis communicari, qui quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt; non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus*.

Sæculo XII *Gregorius VIII* cum Beneventi Ecclesiam dedicasset: *tutius est*, ait populo, *ut agatis pœnitentiam, quam vel tertiam partem, vel aliquotam vobis remittam*: ut refert Petrus Cantor Parisiensis. (*in summa de Sacramentis*).

Eodem ævo *Gelasius II* (*vide Baronium ad ann.* 1118) in Ep. ad exercitum Christianorum: indulgentiam concedit omnibus aliquid conferentibus in hujus exercitus sustentationem cum hac clausula: *secundum laborum & beneficiorum suorum Ecclesiæ impensorum quantitatem, ad Episcorum arbitrium in quorum Parochiis degunt, pœnitentiarum suarum remissionem & indulgentiam consequantur*.

Eodem sæculo, observandæ in satisfactionum remissionibus parsimoniæ præclarum exemplum dedit Alexander III quando in dedicatione majoris Ecclesiæ Ferrariensis indulgentiam unius anni concessit: *quibus videas*, ait Card. Baronius, (*ad ann.* 1177) *usum ejus temporis, concedendi per Pontifices Romanos indulgentias, quæ unius anni terminum non excederent, præter quam in expeditione terræ sanctæ, ut constat ex aliorum etiam Pontificum diplomatibus*.

Sæculo XIII in Concilio Lateranensi IV sub Innocentio III habito (*anno* 1215) quorumdam Episcoporum in concedendis indulgentiis laxitas, proposito Pontificis Max. exemplo repressa est. *Quia per indiscretas & superfluas indulgentias*, inquit, (*in c.* 14, §. *de pœnitentiis & remissionibus*) *quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur: decernimus, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo sive a pluribus Episcopis dedicetur; ac deinde in anniversario dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat: hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteris præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur: cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare*.

Nec minor fuit *Honorii III*, *Gregorii IX*, *Urbani IV*, *Clementis IV*, & aliorum ejusdem sæculi Pontificum, in remittendis pænitentiis parcitas. *Honorius* enim, in Canonizatione S. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis, (*anno* 1225) *omnibus vere pænitentibus & confessis, qui ad Ecclesiam ubi corpus ejusdem Sancti requiescit, in die solemnitatis ejusdem, vel infra octavas cum devotione accesserint, ejus orationum suffragia petituri, viginti dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxavit*: ut in ejus bulla videre est, quæ incipit: *ineffabilis*.

Gregorius IX in Canonizatione S. Antonii de Patavio, annum unum indulgentiæ, & in Canonizatione S. Dominici annum unum, cum quadragenario dierum numero non excessit. Eamdemque in Canonizatione SS. Heduvvigis Ducissæ Poloniæ mensuram tenuit *Clemens IV*.

Urbanus vero IV diem festum SS. Sacramenti (*anno* 1264) instituens, centenario dierum numero conclusit Indulgentias iis concessas, qui hac sacra die horis canonicis interessent.

Possem aliorum paria moderationis exempla proferre, si res postularet. Sat fuerit *Clementis* VIII & *Clementis* IX summam prudentiam & antiquæ disciplinæ zelum in præsenti commendare: de primo quidem Cardin. Baronius memorata priscorum Pontificum in largiendis indulgentiis moderatione: *ad quam laudabilem antiquam formam*, inquit, (*ad an.* 847) *S. D. N. Clemens VIII non sine divino instinctu, effusas nimis indulgentiarum concessiones restringere aggressus est*: alter vero novam Cardinalium aliorumque prælatorum congregationem instituit (*anno* 1669) *cum facultate omnem difficultatem ac dubietatem in indulgentiis emer-*

mergentem, *quæ ad fidei dogma non pertineat*, (*circa graviora & difficiliora*, *Romano Pontifice prius consulto*) *expediendi* : *abusus quoque qui irrepsisse possent*. . . . . . . *corrigendi & emendandi*. . . . *falsas*, *apocryphas*, *indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi*, *impressas recognoscendi & examinandi*, *& ubi Pontifici retulerit*, *ejus auctoritate rejiciendi*. . . . . . *ac in indulgentiis concedendis moderationem adhiberi*, *omniaque pie*, *sancte*, *& incorrupte fieri curandi* (*in constitutione quæ incipit*: in ipsis).

Nec prætermittam Œcumenici Trid. Concilii longe diversum ab hæreticorum opinione de Pontifice Max. judicium. Nedum enim ejus in dispensando Ecclesiæ Thesauro prudentiam suspectam habuerit; ut e contrario præceperit abusus omnes qui in indulgentiarum dispensatione, superstitione, vel ignorantia, vel alia quavis causa, in diversas diœceses irrepserant, *ad Sum. Romanum Pontificem ab Episcopis deferendos*: *cujus auctoritate & prudentia*, inquit, (*Sess.* 25, *in decret. de indulg.*) *quod universali Ecclesiæ expedit statuatur*; *ut ita Sanctarum indulgentiarum munus*, *sancte*, *incorrupte omnibus fidelibus dispensetur*. Ergo &c.

Iost. 2. probando ant. diversorum, ut dictitant, enumeratione abusuum: sic enim de *Alexandro* III quem velut in indulgentiis concedendis parcissimum modo laudavimus, narratur, *quod singulis*, *unoquoque mense*, *primis Dominicis*, *tantum indulgentiarum Anconitanis concesserit*, *quantum arenæ possent capere ambæ manus simul junctæ*: quod quid aliud fuit, quam omne satisfaciendi debitum abolere? numeret enim qui poterit, ambabus manibus granula arenæ contenta, & subducto indulgentiarum pari calculo, dicat si audet, pœnitentibus tanto thesauro ditatis, superesse vel minimam satisfactionem luendam.

Nec minor *Urbani II* in eorum gratiam, qui contra infideles arma capesserent, liberalitas fuit: „ Nos, *inquiebat*, misericordia Dei, „ & BB. Apost. Petri & Pauli auctoritate „ confisi, fidelibus Christianis qui contra eos „ arma susceperint . . . . immensas pro suis „ delictis pœnitentias relaxamus. . . . quod „ enim immensum est, nullis terminis cir„ cumscribitur. " Cum itaque Pontifex immensas pęnitentias relaxarit, evidens est quod satisfactione nihil reliquit expiandum.

Neque dispar *Bonifacii* VIII Jubilæum instituentis prodigalitas: ille enim quasi parum foret *plenam*, *& largiorem* indulgentiam concessisse, addidit & *plenissimam*, ne nimirum putaretur, vel minimam subeundæ satisfactionis partem reliquisse : *non solum plenam*; ajebat, *& largiorem*, *immo plenissimam omnium suorum concedemus & concedimus veniam peccatorum*.

Recensere demum quis valeat abusus omnes, nimia facilitate Pontificum, in indulgentiarum largitionibus introductos? neminem namque latet, non in paucos dies, aut unum annum, pauloque amplius, ut antehac, sed in annos centenos aut millenos: immo & plura annorum millia prodigalitatem adauctam; earumque tantopere excrevisse numerum, ut vix ullum templum, ullum altare, ulla (ut loquuntur) confraternitas, ulla denique festivitas sit, cui similis indulgentiarum copia non appendatur; adeo ut cuicumque eas lucranti, plusquam moraliter certum sit, se ab omni, tum in præsenti vita, tum in futura, onere satisfaciendi esse solutum: vel ergo fatendum, satisfaciendi necessitatem indulgentiarum concessione sublatam; vel dicendum indulgentias derisorias esse, & ad piam fidelium fraudem inventas, quippe quæ concedentium facultatem excedant.

R. Hoc argumentum mendacii & fidei pessimæ plenum esse.

1. Enim mera fabula est, quæ ab *Alexandro* III dicitur Anconitanis concessio facta indulgentiarum, quæ arenam ambabus manibus comprehensam æquarent : nullum hujus tam profusæ liberalitatis extat in historia ejus temporis monumentum : quin e contra certissimum est, sæculis 11 & 12 Sum. Pontifices, ipsumque nominatim *Alexandrum* III in hujusmodi elargiendis favoribus fuisse moderatissimos: *Alexander* enim, ut prædiximus, unius anni terminum non excessit, in indulgentiis quas dedicato altari Ecclesiæ *Ferrariensis* concessit: *unde*, ait Card. Baronius in Annalibus, (*ad an.* 1177) *redarguuntur scripta*, *quibus proditur concessum ab eodem Pontifice*, *primis Dominicis singulorum mensium Anconitanis*, *tantum indulgentiarum*, *quantum arenæ possent capere ambæ manus simul junctæ*.

2. Falsum est *Urbanum* II Bulla sua omne satisfaciendi debitum sustulisse: hæc enim ejus non tam indulgentia, quam pœnitentiæ Canonicæ commutatio fuit: id quod verba ejus perspicue sonant: *fidelibus Christianis qui contra eos* (*infideles*) *arma susceperint*, *& onus sibi hujus peregrinationis assumpserint*, *immensas pro suis delictis pœnitentias relaxamus*: *qui autem in vera pœnitentia decesserint*, *& peccatorum indulgentiam*, *& fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros* .... non ergo pondus satisfactionum sublatum est, sed onus onere commutatum, & pœnis quas canones præscribebant, novum pœnæ genus est sub-

substitutum, quod *immensis*, hoc est longissimis satisfactionum Canonicarum laboribus, poterat haud immerito æquiparari. Numquid enim parva res erat, huic tam periculosæ, tam arduæ expeditioni adscribi? numquid levis momenti satisfactio dici poterat, uxorem, liberos, familiam, patriam ad vindicandam religionem libere abdicare, patrimonium, & quidquid inerat facultatum, in hoc opus profundere, itinerum terra marique innumeras patienter tolerare molestias, libertatem denique, valetudinem, ipsamque vitam pro Christo, in præparatione animi ponere? pueriliter itaque æquivocatione argumentatio illa laborat, verba Pontificis de absolutione ab omni pœnitentia interpretando; quando debere de solis pœnis Canonicis intelligi, tum res ipsa monet, tum verba ejus apertissime prædicant.

Ad 3. De *Bonifacio* VIII, par esto responsio: quam enim ille indulgentiam fecit, non inertibus & otiosis, nihilque pro Deo placando agentibus, sed iis concessam voluit, qui durissimæ peregrinationis labores, animo vere pœnitente susciperent: *nos, inquit, de omnipotentis Dei misericordia, & eorumdem Apostolorum ejus meritis & auctoritate confisi, de Fratrum nostrorum consilio, & de Apostolicæ plenitudine potestatis omnibus .... ad Basilicas ipsas accedentibus reverenter, vere pœnitentibus & confessis, vel qui vere pœnitebunt & confitebuntur, non solum plenam & largiorem, immo plenissimam omnium suorum concedemus & concedimus veniam peccatorum. Statuentes, ut qui voluerint hujusmodi indulgentiæ a nobis concessæ fieri participes, si fuerint Romani, ad minus triginta diebus continuis, seu interpolatis, & saltem semel in die: si vero peregrini fuerint, aut forenses, simili modo diebus quindecim ad Basilicas easdem accedant: unusquisque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & devotius frequentabit.*

Itaque vere pœnitentes eos Bonifacius esse volebat, qui cuperent Jubilæi esse participes. Porro sine satisfactione, ut toties dictum est, nequit pœnitentia vera consistere: jam quod ajunt, legem satisfaciendi Pontificis præscriptione sublatam: *plenissimam omnium concedimus veniam peccatorum*, ab ejus mente alienissimum est. Hoc enim unum hac voce, ut eruditi omnes consentiunt, *Bonifacius* significavit, se quidquid facta sibi divinitus facultate poterat, misericorditer dare: dare porro non poterat absolutam ab officio satisfaciendi immunitatem; quia juris divinis satisfactio res est, quæ nulla potest humana præscriptione infringi: ita mentem Pontificis Max. vetus ejusque coætaneus Glossographus explicat: mota enim quæstione, *quomodo ista se compatiantur, plenam, largiorem, & plenissimam?* Sic respondet: *dico*, inquit, *Papam interpretatum fuisse in consistorio me præsente, hanc indulgentiam adeo plenam, prout clavium potestas se extendit.*

Ad ultimum dico commentitias esse falsoque Sum. Pontificibus attributas, centum, mille, ampliusque annorum exorbitantes indulgentias, quantum a veritate Evangelii, tantum ab ipso communi sensu alienas. „ Solent nonnumquam divulgari indulgentiæ, *inquit Dominicus Soto*, (*in* 4 *sent. dist.* 21, *q.* 2, *art.* 1) quibus remittuntur quinque annorum millia aut plura pœnitentiæ, & quadragenæ totidem: ad hoc prima fronte responsio dari posset cum Gersone Cancellario Parisiensi in suo tractatu *de absolutione Sacramentali*, atque in alio *de indulgentiis*, quod istæ portentosæ indulgentiæ non emanant a Papa, sed sunt quæstorum imposturæ. Quare præfatus Doctor eas irridet: & revera tam immodicus excessus non est ferendus. Nam audiens nonnumquam indulgentias viginti mille annorum & ampliores .... dicendum quod hujusmodi portenta, numquam Papa concedere cogitavit .... præterquam quod nullatenus negari potest, quin indulgentiarum quæstores, cum sint homines non nimis ad Religionem attendentes, deridenda nonnumquam prædicent, qui ideo essent publica auctoritate cohibendi. “

Eadem *Estii*, & celebriorum Theologorum responsio est, indulgentias hujusmodi commentitias, vana superstitione & rerum & divinarum supina ignorantia, quodque turpissimum est, sordida avaritia stimulante confictas: absit ergo ut tam immoderati excessus Summis Pontificibus tribuantur, quos constat nihil hactenus antiquius habuisse, quam ut hæc tanta mala, Apostolico zelo reprimerent. Sic præter cæteros *Sixtus IV*, Indulgentias nimias, tum a se, tum a suis prædecessoribus importunitate multorum extortas deplorans, plurimas revocavit, pluribus modum posuit, (*in extravag.* 5, *de pœn. & remis. in communibus*) præmissa hac ratione: *ne cujusvis indulgentiæ, remissionis, vel facultatis, obtentu, Christifideles procliviores ad illicita in posterum committenda reddantur; aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentivum.*

Inst. 3. Multorum in Ecclesia opinio est, non scripto tantum asserta, aut scholarum disputationibus ventilata, sed ad praxim quotidie revocata, indulgentiarum, ac præcipue Jubilæi diebus, vel nullam, vel certe levissimam satisfactionem a pœnitentibus exigendam. Ergo

go revera Catholici censent, satisfaciendi debitum indulgentiarum largitione auferri.

R. dist. ant. Multorum ea opinio est, *Ecclesiasticæ disciplinæ, ac veritati manifesto contraria*, conc. *consentanea*, n. ant. & conseq.

E. R. Equidem diffiteri non possumus, tantam esse multorum qui tremendo se ministerio ingerunt laxitatem & Canonum ignorantiam, ut putent Jubilæi, aliarumque indulgentiarum temporibus, crimina quælibet, quantumvis atrocia, nullo satisfaciendi onere imposito, expiari. Verum abusus ille est, de eorum numero, quos voluit Trid. Synodus in unaquaque respective diœcesi ab Episcopis diligenter colligi, in Synodis provincialibus denuntiari, & ad Sum. Pontificem deferri, cujus auctoritate & prudentia, quod universali Ecclesiæ expedierit statuatur: (*Sess. 25, in decr. de indulg.*) viget etiamnum, æternumque vigebit, nec minus Jubilæi, quam alio quovis tempore locum habet, quod est ab eodem Concilio, consentanee ad antiquos canones constitutum: (*Sess. 14, c. 8, de pœn.*) *debent Sacerdotes, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Quod in altera quavis temporis circumstantia verum est, non minus tempore Jubilæi est certum, divinam scilicet decere clementiam, ut ibidem Trid. Patres loquuntur, (*Sess. 14, cap. 8*) *ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, velut injurii & contumeliosi Sp. Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere a peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt: neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei umquam existimata fuit, ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.*

Denique omnium temporum & circumstantiarum veritas est, ab eodem S. Concilio nullis limitibus coarctata (*Ib.*) *a Sacerdotibus satisfactionem debere imponi, quæ non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

Unde sequitur, sub indulgentiarum obtentu, crudeles confessarios esse, & gravissimam pœnitentibus inferre injuriam, quando viam relinquendo quæ semper securior Ecclesiæ visa est, peccatoribus denegant & vitæ novæ tutamen, & infirmitatis medicamentum, & quod unum eis superest medium Dei per voluntariam castigationem placandi.

Quod enim ajunt, fore inutiles indulgentias, nisi quo tempore conceduntur, ab onerosis satisfactionibus remissio fieret, tum naturæ Sacramenti, quod laboriosum baptisma est a Patribus appellatum; tum divinæ præscriptioni contrarium est, fructus dignos pœnitentiæ a peccatoribus exigenti; tum Pontificiis diplomatibus adversatur, quibus expresse declaratur, indulgentias *nisi vere pœnitentibus non concedi*; tum denique sæpe est a Sanctis Doctoribus reprehensum. „ Non potest Evan„ gelium in parte consistere, & in parte nuta„ re, *inquiebat S. Cyprianus*, (*in lib. de lapsis*) „ *eos refutans qui libellos Martyrum afferenti„ bus, omnem pœnitentiam temerario condona„ bant*:) aut utrumque oportet ut valeat, „ aut utrumque vim veritatis amittat: si ne„ gantes, rei criminis non erunt; nec confi„ tentes præmium virtutis accipient. Porro „ si fides quæ vicerit, coronatur; necesse est, „ ut victa perfidia puniatur: ita martyres aut „ nihil possunt, si Evangelium solvi potest: „ aut si Evangelium non potest solvi; contra „ Evangelium facere non possunt, (*idest ne„ minem possunt a satisfactione quam Evan„ gelium præscribit, absolute eximere*,) qui de „ Evangelio martyres fiunt .... mandant ali„ quid martyres fieri? si justa, si licita, si „ non contra ipsum Dominum, a Dei Sacer„ dote facienda sunt: mandant aliquid marty„ res fieri? sed si scripta non sunt in Domi„ ni lege, quæ mandant, ante est ut sciamus „ illos de Deo impetrasse quod postulant, tunc „ facere quod mandant: neque enim statim „ videri potest de divina majestate conces„ sum, quod fuerit humana pollicitatione pro„ missum ... nemo se fallat, nemo decipiat: „ solus Dominus misereri potest: veniam pec„ catis quæ in ipsum commissa sunt, solus „ potest ille largiri, qui peccata nostra por„ tavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tra„ didit pro peccatis nostris: homo Deo esse non „ potest major, nec remittere aut donare in„ dulgentia sua servus potest, quod in Domi„ num delicto graviore commissum est; ne ad„ huc lapso & hoc accedat ad crimen, si ne„ sciat esse prædictum: *maledictus homo qui „ spem habet in homine*. Dominus orandus „ est, Dominus nostra satisfactione placan„ dus est".

Ita S. Cyprianus, tum in libro de lapsis, tum in suis passim Epistolis eorum temeritatem deplorans, qui contra Evangelii vigorem, communicationem incautis laxabant; eosque ea de causa affirmans, non pastores esse, sed *lupos & lanios*, non custodes, sed vastatores, non ministros Christi, sed diaboli: *vitare*, inquit, *linguam diaboli: mentitur ut fallat, blanditur ut noceat, bona promittit, ut malum tribuat, vitam pollicetur, ut perimat: hoc sunt ejusmodi lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas*.

Itaque S. martyris, eademque semper doctrina Ecclesiæ fuit, indulgentias non in excidium satisfactionis, sed in subsidium ac supplementum concedi: hinc S. Carolus, magnus ille antiquæ disciplinæ reparator ac vindex, Mediolanenses populos Romam Jubilæi tempore properantes, sancte monebat, (*in Pastorali Ep.*) *ut qui vellent Jubilæum consequi, ut non solum Romam adirent, & Ecclesias Jubilæo assignatas visitarent, sanctorumque reliquias; verum etiam ut harum Ecclesiarum visitationi, veram adjungerent pœnitentiam*: ita *ut hoc iter conficerent in gratia Dei, tantaque carnis & sensuum mortificatione, ut prodesse valeret in satisfactionem peccatorum*.

Inst. 4. Saltem negare non possunt Catholici, inutiles hoc tempore ac derisorias indulgentias esse: est enim, ut prædiximus, indulgentia, pœnæ canonicæ relaxatio. Ergo ubi nulla hujusmodi pœna est, indulgentiæ non superest locus; atqui longum tempus est ex quo pœnitentiarum canonicarum usus abolitus est. Ergo nec indulgentiis est locus relictus.

R. nego ant. Et in contrarium, nusquam fuisse magis quam nostro tempore necessarias, cum omni certitudine assevero: quo enim aliquis magis debitor factus est, eo ampliori Domini, sive creditoris, indulgentia indiget, præsertim si eo redactus sit, ut solvere ad æqualitatem non possit; atqui ex quo pœnarum canonicarum observantia desiit, hoc magis peccatores Deo debitores effecti sunt, quia ab æqualitate peccatum inter & satisfactionem ponenda longo intervallo recessum est. Ergo nusquam magis quam hodie fuit indulgentiarum concessio necessaria.

Ad probat. n. ant. cum hac restrictione intellectum, quod indulgentia sit solius pœnæ canonicæ relaxatio: est enim, remissio pœnæ temporalis peccato debitę, quam etsi canones non præscriberent, Deo nihilominus persolvenda foret: id quod facile concedet, qui adverterit non ideo satisfactionem esse necessariam, quia canonibus est præscripta; sed ideo e contrario modum aliquem satisfaciendi antiquis sancitum canonibus, quia jure divino esse Deo offenso satisfaciendum, majores nostri intellexerunt; atqui quod ab initio oportuit fieri, non minus est nostra ætate necessarium, quia jus divinum semper est idem: quamquam itaque desierit rigor canonum observari, non ideo tamen cessavit debitum satisfaciendi; atque adeo ex eo quod pœnitentiarum canonicarum usus abolitus sit, nedum sequatur esse inutiles indulgentias; inferri e contra debet nusquam magis peccatores hoc subsidio & supplemento indigisse, quia numquam minus Deo offenso est satisfactum.

Inst. 5. Ipsumque quibus innituntur indulgentiæ fundamentum diruere aggredientes, nihil, inquiunt, quod in Salvatoris redundet injuriam ab ejus fidelibus admitti debet; atqui indulgentiarum opinio maximam Christo injuriam irrogat: earum namque thesaurum Catholici promiscue in Christi & Sanctorum meritis ac satisfactione reponunt; atqui commixtione hac nihil erga Christum mediatorem contumeliosius fingi potest. Numquid enim Salvator ut pro nobis satisfaceret, Sanctorum subsidio indigebat? numquid incremento aliquo aliunde emendicato egebat divinum ærarium, meritis ejus refertum, de quo quam vere, tam magnifice dictum est: *de plenitudine ejus omnes accepimus: dives est in misericordia: copiosa apud eum redemptio*? Ergo &c.

R. Concessa maj. n. min. Summa equidem Christo injuria fieret, si justorum proprium aliquod meritum, aut aliqua ad satisfaciendum pro peccatoribus sufficientia, independenter ab ejus satisfactione & meritis jactaretur; atqui doctrinam hanc velut impiam & blasphemam Catholica Ecclesia rejicit, quidquid in sanctis usquam fuit aut futurum est meriti, Christo capiti uti par est, acceptum ferendo. Ergo &c.

Ad probat. dist. maj. Indulgentiarum thesaurum Catholici promiscue in Christi & Sanctorum meritis ac satisfactione reponunt, *gradu longo dispari*, conc. *gradu eodem*, nego majorem, dist. pariter min. admixtione hac nihil contumeliosius fingi potest; *si pari gradu Christi & Sanctorum merita confundantur*, conc. *secus*, neg. min. & conseq.

E. R. Gravissima Hæreticorum hallucinatio, verius dixerim adversum Catholicam Ecclesiam calumnia est, qua fingunt a nobis Christi & Sanctorum merita in cælesti thesauro ex æquo reponi. Tantam enim utrorumque differentiam facimus, quantum Dei a creatura discrimen est: Christum, per se ipsum; sanctos, non nisi per Christum meruisse agnoscimus; neque aliam in iis ad satisfaciendum pro nobis, præter quam a capite Christo acceperunt, virtutem.

ad-

admittimus; uno verbo, quæ Sanctorum merita, Christi eadem esse profitemur, quia sine Christo merita omnino non essent: hæcque nobis causa est, merita Sanctorum, quæ utique Christi sunt, in immenso indulgentiarum ærario reponendi; ne videlicet, si Sanctorum merita subduxerimus, divitias Christi inenarrabiles aliqua sui parte fraudemus. Jam qua ratione in pœnitentes effluant, iisque in supplementum satisfactionum Deo persolvendarum attribuantur, postquam diximus communione Sanctorum hoc fieri, non est necesse repetere: suis itaque partibus Doctrina Catholica, firma solidaque consistit. Infinitis Christi meritis suus, uti par est, servatur honos; nec ideo tamen merita Sanctorum a Christo accepta despicienda putantur: & utraque demum in Thesauro indulgentiarum ponuntur, ad subsidium pœnitentiæ applicanda; quia quæ sunt propria singulorum, communia omnium divina caritas facit.

Inst. 6. Atqui nulla ratione potest meritorum Christi cum meritis Sanctorum admixtio fieri, quasi nimirum pro supplemento satisfactionum acceptari ista valeant. Ergo &c.

Prob. subs. scripturæ & SS. Patrum testimoniis, quibus significatur redemptionem a peccatis, soli Christo, ejusque sanguini debere attribui: solus enim ille, ut in actis Apost. habetur, (20, 28) *Ecclesiam acquisivit sanguine suo* . . . . solus, (1 *Tim.* 2, 6) *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* . . . . solus, (*Hebr.* 10, 14) *una oblatione consummavit in æternum sanctificatos* . . . . (1 *Joan.* 2, 2) solus *est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* . . . . solus denique est, de quo dicitur (*Apoc.* 7, 14) *quod sancti laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni.* Ad quæ respiciens S. Aug. *etsi*, inquit, (*Tract.* 84, *in Joan.*) *fratres pro fratribus moriuntur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem, nullius sanguis martyris funditur, quod fecit ille pro nobis.*

Et S. Leo Pontifex Max. (*Ep.* 99, *al.* 83) *mortis vinculum unius prævaricatione contractum, unius morte, qui solus morti nihil debuit, est solutum: effusio enim pro injustis sanguinis justi, tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.*

Ergo nulla ratione potest meritorum Christi cum meritis sanctorum confusio fieri, quasi subsidium aliquod a sanctis habere possimus: unde manifestum est, a vera fide *Clementem* VI enormiter aberrasse, quando *merita sanctorum adminiculum aliquod nobis præstare asserit* (*in extravag. unigenitus*) *& ad thesauri cumulum pertinere.*

R. Nego subs. ad probationem.

1. Dico hæc scripturæ & sanctorum testimonia ad præsentem quæstionem nil facere: sensus enim eorum est, quem nemo catholicus respuit, redemptionem a peccatis & a reatu mortis æternæ, uni Christi sanguini adscribendam: quod si juvet eadem de redemptionem a pœnis temporalibus intelligere.

2. R. Dist. antec. redemptio a peccatis, soli Christo ejusque sanguini attribui debet, *tamquam causæ principali*, conc. cum exclusione cujusvis inferioris causæ, subdistinguo: *quæ proprium aliquod meritum habeat independenter a Christo*, conc. *quæ habeat meritum aliquod a Christo acceptum*: n. ant. & conseq.

E. R. Quidquid Electi omnes, a primo justo ad ultimum meriti habent, a Christo, ut prædiximus, bonorum omnium fonte acceptum habent: at meritum tamen habent, quo non sibi solis, sed & toti Ecclesiæ corpori propter vinculum caritatis quo nobis conjuncti sunt, & ratione communionis sanctorum prodesse possint: quid ergo obstat quominus ea ipsa merita in thesaurum Ecclesiæ conferantur? numquid enim vero Christo sumus injurii, si ei quod bonum suum est vindicamus, & in ærario ejus includimus, pro diversis Ecclesiæ necessitatibus profundendum?

Nec est, quod nomen *satisfactionis* nos terreat, quasi sanctis sine dispendio *satisfactionis* Christi non possit attribui: quemadmodum enim etsi pro nobis Christus satisfecerit, tenemur tamen singuli pro peccatis nostris pœnas exsolvere, ut quæstione præcedente contra Lutheranos probatum est; & quemadmodum satisfactio nostra Christi satisfactioni non officit, quia tota vis ejus a Christi satisfactione dependet: ita nec exhibitæ ab electis satisfactiones, quas Ecclesia per indulgentias, egentibus impartitur & applicat: quod enim de satisfactionibus nostris a Concilio Trid. dicitur, idem & de meritis suis dicere electi omnes possunt & debent: (*Sess.* 14, *cap.* 8) *non ita est nostra satisfactio hæc, quam pro peccatis vestris offerimus: ut non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus: ita non habemus unde gloriemur: sed omnis gloria nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo non pro nobis tantum, sed & pro vobis satisfecimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habuerunt, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur a patre.*

Jam quod *Clementem* VI accusant, quasi sanctorum merita una cum meritis Christi in the-

saurum Ecclesiæ conferendo, utraque æquaverit; admodum puerile est, risuque magis, quam ratiocinio refutandum: neminem namque latet, pleraque sermone conjungi, quæ diversissima sunt natura & dignitate: sic enim, numquid Christus, ut *Macedoniani* hæretici delirabant, Sp. Sanctum in ordine creaturarum cum aquæ elemento locavit, quando dixit: (*Joan.* 3) *nisi qui renatus fuerit ex aqua & Sp. Sancto non potest introire in regnum Dei?* numquid Apostoli se ipsos Sp. Sancto æquarunt, quando Judæorum & Gentilium de circumcisione dissidium componendo, inquiebant: (*Act.* 15, 28) *visum est Sp. Sancto & nobis?* numquid æqualem sibi Davidem significare voluit Deus, dicendo: (4 *Reg.* 19, 34) *protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum?* numquid denique, ut ejusdem sensus pleraque alia prætermittam, auxilium Sp. Sancti, cum oratione fidelium Apostolus eodem loco ponebat, ad Philippenses sic scribens: (*Philip.* 1, 19) *scio quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem, & subministrationem Spiritus Jesu Christi?* Quemadmodum itaque in his scripturæ sermonibus sic divina humanaque miscentur, ut suus tamen Deo supra creaturam honor integer maneat; pari modo *Clemens VI*, quando sanctorum merita in Ecclesiæ thesaurum una cum Christi meritis & satisfactionibus retulit, de utrisque adæquandis nec cogitavit quidem.

Inst. 7. Atqui nullum potest sanctorum esse meritum, quo eorum pro nobis satisfactio acceptetur, & indulgentiarum subsidio applicetur: ergo &c. prob. subs. si nobis sanctorum merita possent in supplementum persolvendæ pœnitentiæ applicari, hoc certe per modum pretii fieret, quo nos a propriis debitis liberarent; atqui dici istud non potest: cui enim condignum præmium jam est a Deo justo judice retributum; non potest esse pretium quo aliena debita redimantur: atqui justi æquale meritis præmium, imo & longe supra merita in cœlo sunt consecuti: alioquin frustra Apostolus diceret: (*Rom.* 8, 18) *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis:* ergo pœnitentibus nequeunt justorum merita per modum pretii applicari: adeoque ruit indulgentiæ fundamentum.

R. Nego subs. ad probat. ut certa ab incertis, & Ecclesiæ dogmata a scholarum opinionibus discernantur:

R. 1. Nego maj. sanctorum merita adminiculum nobis præstare, & in supplementum satisfactionis applicari, est illud catholicum dogma, a quo recedere nemini salva fide permittitur: qua autem ratione, an per modum impetrationis ac suffragii, an per veram solutionem hoc fiat: hæc nimirum scholarum lis est, nondum ab Ecclesia definita; cum ea non improbante Theologos videamus diversa sentire.

Contendunt alii, inquit Jueninus Gallicani Oratorii presbyter, (*in commentario de Sacr. disser.* 13, *q.* 5, *cap.* 2) *merita sanctorum ad indulgentias conferre tantum per modum suffragii, seu Deum movere, etiam si supra condignum remunerata sint, ut in pœnæ temporalis peccato debitæ pretium applicet superabundantem filii passionem, qua ejusmodi pœna redimatur: scilicet*, inquiunt, *divinam bonitatem maxime decet, ut eorum operum intuitu, quibus sancti Deo se pergratos exhibuere, fidelibus adhuc in terra degentibus benefaciat: ut revera populo Israelitico propter Abrahamum, Moysen, & Davidem sæpius benefecisse legitur .... alii fatentur sanctorum merita concurrere ad indulgentias per modum pretii, quod pro pœna debita peccato, quoad culpam dimisso persolvantur: hincque concludunt indulgentiam, etiam qua parte applicat sanctorum merita, non esse meram absolutionem, sed etiam solutionem stricte sumptam.*

Ita prædictus scriptor: itaque ad cumulum thesauri passionis & meritorum Christi, beatæ Dei Genitricis, & omnium sanctorum merita adminiculum præstare, in Ecclesiæ dogmatibus continetur; etsi modus ipse nos lateat, quo hæc applicatio fit, aut certe non possit velut ad fidem pertinens adstrui: utra autem harum sententiarum ad veritatem magis accedat, sequens responsio explicabit: unde

R. 2. Concessa maj. n. min. ad cujus probat. data pariter maj. dist. min. justi æquale meritis præmium consecuti sunt, si eorum bona opera spectentur, quatenus a vera caritate procedebant, adeoque vitæ æternæ meritoria erant, conc. si spectentur, quatenus pœnalia & satisfactoria erant, n. min. & conseq.

E. R. Sanctos mercedem operibus suis debitam in cælis adeptos, & caritatis præmio esse donatos, negare non possumus: in illis enim impletum est, quod sibi sperabat Apostolus: (2 *Tim.* 4, 8) *reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum ejus:* ea ergo ratione, nihil est quod amplius mercedis expectent, cum præmium illud acceperint, præter quod aliud esse non potest: quod si eorum bona opera attendantur, quatenus satisfactoria & pœnalia erant, in iis ipsis a quibus fiebant, non omne præmium quod merebantur obtinuerunt; id est non tantam pœnam temporalem expunxerunt, quantam ex se expungere debuissent; idque non defectu aliquo suo, sed e contrario propter excellentiam operantium, qui ut Deum

um promererentur his satisfactionibus non egebant: quis enim dixerit beatissimam Virginem, ad adeo præcellentem sanctitatis gradum evectam, ut nusquam, ne venialiter quidem peccarit, ut pœnas temporales peccato debitas solveret, præstare Deo satisfactionem aliquam debuisse? quis dicere pariter audeat, Sanctis martyribus crudelissimos cruciatus, tot tantisque confessoribus, Anachoretis, virginibus qui angelicam magis quam humanam vitam agebant, ab omni mortalis peccati contagio liberi, necessaria titulo satisfactionis fuisse prodigiosæ pœnitentiæ opera, quæ toto vitæ decursu Deo exhibere non destiterunt? divinam itaque clementiam summe decebat, ut quod in sanctis, ut ita dixerim, superfluum fuerat, in aliorum subsidium acceptaret: illeque ipse indulgentiarum est thesaurus, Christi, tum in se ipso, tum in vivis membris suis immensa merita continens, quæ peccatoribus virtute clavium, & communionis sanctorum ab Ecclesia applicantur, & veri pretii loco sunt, satisfactiones Deo debitas adæquantis.

„ Sanctorum opera, *ait Card. Cajetanus*, „ (*Tract. de indulgent. q.* 1) quatenus meritoria fuerunt, acceperunt mercedem suam „ in ipsis sanctis . . . . quatenus vero satisfactoria fuerunt, primum quidem solverunt debitam pro illorum peccatis pœnam: deinde „ si plus pœnalitatis habuerunt, quam pœna „ ipsorum peccatis debita exigeret; remansit „ illud plus tamquam ipsis sanctis superfluum: „ & hoc plus est illud, quod a quibusdam vocatur irremuneratum in ipsis sanctis; non „ propter defectum divinæ largitatis, aut operis, aut ipsius sancti, sed propter excellentiam ipsius personæ, quæ superabundanter „ passa est voluntarie: ex eo namque quod persona patiens non habet propria pœnarum debita pro peccatis, provenit quod satisfactiones superfluæ non possunt in ipsa remunerari, seu, rectius loquendo, non possunt in „ ipsa habere effectum solutionis, & quoniam „ constat sanctos multo plus passos, quam ex „ peccatis suis deberent pati; consequens est, „ ut multa satisfactoria remanserint superflua „ ipsis sanctis . . . . superfluunt igitur multa „ satisfactoria sanctis, ultra ingens pelagus superfluentis satisfactionis Christi: quocirca ex „ meritis Christi & sanctorum, quatenus satisfactoria, superfluis, thesaurum indulgentiarum constitui intelligito, si non vis errare“.

CAPUT SECUNDUM.

Cætera ad indulgentias pertinentia breviter explicantur.

Ne quid necessarium prætermitamus, de indulgentiarum diversitate, ministro, subjecto, & conditionibus, paulisper dicendum. Sit igitur

§. PRIMUS.

De diversitate indulgentiarum.

Indulgentiam, si quantum ad essentiam spectetur, una est, relaxatio nimirum pœnæ, vel impositæ, vel, offensæ ratione habita, imponendæ: si autem major aut minor quæ fieri potest pœnarum remissio attendatur, multiplex inde divisio ejus exurgit.

Q. 1. Quid sit indulgentia plenaria?

R. Relaxationem plenam esse ejus quod luendum juxta canones supererat, & pœnæ temporalis, pœnitentiæ canonicæ, Dei judicio respondentis: unde manifestum est, non ideo plenariam dici, quod peccatorem a satisfaciendi debito plene eximat, quod esse juri divino, & institutioni Sacramenti contrarium, superius, nec semel est dictum; sed quia peccatori vere pœnitenti, & satisfactionis laboribus exercitato, quasi in subsidium & supplementum occurrit, ut ab eo quod solvendum supererat ex integro liberetur.

Q. 2. Quid sit indulgentia 7 annorum, unius anni, 40 dierum? &c.

R. Totidem annorum aut dierum relaxationem esse pœnitentiæ, quæ juxta canones imponi poterat, & Dei judicio persolvi debebat: quod si cui mirum videbitur, in tantum annorum numerum, indulgentiarum largitionem extendi, mirari desinet ubi attenderit pœnitentias canonicas in variis olim stationibus decurrendas, longe plurium annorum fuisse, totumque sæpe vitæ tempus æquasse: judicabant quippe sancti patres, Deo gravissimis offenso criminibus, non unius diei, aut paucarum horarum, sed longe protractis pœnitentiis satisfieri.

Q. 3. Indulgentia Jubilæi quid sit?

R. Eam esse quam prædiximus anno 1300 a *Bonifacio* VIII, pro centesimo quoque anno primum concessam; deinceps ad annum 50 a *Clemente* VI, ad 33 ad *Urbano* VI, & denique ad 25 a *Paulo* II, & *Sixto* IV, contractum.

Q. 4. Jubilæum cur dictum fuerit?

R. Ita dictum propter analogiam quam habet cum hebræorum veteri Jubilæo: *numerabis tibi*,

que futurum Domini judicium, neque sibi præpositum Episcopum cogitantes, quod numquam omnino sub antecessoribus factum est, cum contumelia & contemptu præpositi totum sibi vindicant?

Hinc etiam legimus in antiquis Conciliis, & Canonicis SS. patrum Epistolis, hujus largitionis potestatem solis Episcopis vindicatam. *Postmodum*, ajunt Nicæni patres, (*Can.* 12) *licebit Episcopo de his* (pœnitentibus) *aliquid humanius cogitare*. Et Concilium Ancyranum, *oportet*, inquit, (*Can.* 5) *Episcopum hanc habere licentiam*: ergo &c.

Q. 2. Utrum omnium Episcoporum par sit in indulgentiis concedendis potestas?

R. Negative. Cum enim potestas hæc in jurisdictione spirituali consistat; quo major alicujus Episcopi jurisdictio est, eo esse ampliorem necesse est largiendæ indulgentiæ facultatem. Cum ergo Sum. Pontifex, supremus Christi in terris Vicarius, & visibile Ecclesiæ caput, in tota Ecclesia jurisdictionem exerceat; cæterorum vero Antistitum, si Archiepiscopi sint, in una provincia; si Episcopi, in propria Diœcesi, jurisdictio contineatur: consequens est, non omnes Episcopos pari ad Indulgentias concedendas auctoritate pollere: *quod autem consuluisti*, inquit Alexander III Pontifex Maximus in rescripto ad Archiepiscopum Cantuariensem, *utrum remissiones quæ fiunt in dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis prosint, quam iis qui remittentibus subsunt; hoc volumus tuam fraternitatem tenere; quod cum a non suo judice ligari nullus valeat vel absolvi, remissiones prædictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus ut prosint proprii judices specialiter indulserunt.*

Hinc constitutione Martini V *in Constant. Concilio edita, suspecti de* Wiclefi *hæresi præter cætera interrogari jubentur, utrum credant quod Papa omnibus Christianis vere contritis & confessis ex causa pia & justa, possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum: & quod singuli Episcopi suis subditis, secundum limitationem sacrorum canonum possint etiam illas concedere.*

Nec minus expresse *Honorius* III ad quemdam Episcopum rescribens: *nostro*, inquit, *cap. nostra extr. de pœnitentiis & remissionibus*) *postulasti certificari responso, utrum per tuam provinciam possis concedere remissionis litteras generales? nos igitur tuæ fraternitati breviter respondemus, quod per provinciam tuam libere potes hujusmodi concedere litteras: ita tamen quod statutum generalis concilii non excedas.*

Q. 3. Utrum saltem quidquid Sum. Pontifex in universa Ecclesia, idem Archiepiscopus, aut Episcopus, in sua provincia aut diœcesi possit?

R. Negative: Sum. enim Pontifex plenitudine potestatis quam in tota Ecclesia habet, indulgentias plenarias fidelibus universis occurrente causa largitur: Archiepiscopis vero & Episcopis juxta canones, in indulgentiis concedendis non licet annum unum excedere: *quia per indiscretas & superfluas indulgentias*, *inquiunt patres Concilii IV Later. sub Innocentio III habiti*, (*cap. cum ex eo: extra de pœnitentiis & remissionibus*) *quas quidam Ecclesiarum præsules facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur; decernimus ut cum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno, sive a pluribus Episcopis dedicetur: ac deinde in anniversario dedicationis tempore*, 40 *dies de injunctis pœnitentiis remissio indulta non excedat . . . . . hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteris præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur, cum Romanus Pontifex qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare.*

Q. 4. Utrum juris divini sit illa Episcoporum a summo Pontifice differentia, in potestate indulgentias largiendi?

R. Negative: Si enim juris divini ratio habeatur, quidquid in universa Ecclesia Pontifex Max. potest indulgentiarum concedere, idem & Archiepiscopus in sua provincia, & in diœcesi quivis Episcopus potest: non enim Petro soli, sed omnibus Apostolis, quibus Episcopi successerunt; æqualiter dictum est: *quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*: eoque jure Episcopos priscis temporibus usos esse, ex historia Ecclesiastica notissimum est: ætare namque S. Cypriani e. c. indulgentiæ plenariæ obtinendæ causa ad summum Pontificem non recurrebatur; sed Episcopus quilibet vel pietatis instinctu, vel commendatitiis martyrum litteris incitatus, satisfactiones vel ex parte, vel ex integro relaxabat: idemque Ancyrani & Nicæni Concilii sæpe memorati canones persuadent: itaque solo humano & Ecclesiastico jure Episcopis est modus impositus, ut nimirum reprimerentur abusus, qui quorumdam præsulum nimia facilitate irrepserant, ut habetur in can. Lateranensi modo laudato: cujus rei aliud non contemptibile argumentum est, quod ex *Fagnani* aliorumque canonistarum sententia, Episcopi in foro pœnitentiæ, non solum 40, sed & longe plurium dierum, quin

quia & multorum annorum indulgentias, justa de causa largiri possint: quod sane non possent, si facultas hæc esset jure divino soli summo Pontifici reservata.

Q. 5. An presbyteri simplices possint ex commissione esse extraordinarii indulgentiarum ministri?

R. Non presbyteros tantum, sed & simplices Clericos posse ad hoc officium delegari: res enim fori & jurisdictionis externæ est illa potestas: ergo iis omnibus fieri valet, quibus potest jurisdictio in foro exteriori attribui; atqui non soli sacerdotes, sed & diaconi, & clerici inferiores possunt habere jurisdictionem, vel commissam, sicut Pontificii legati, vel ordinariam, sicut ad Episcopatum electi, etiam antequam ordinati fuerint: ergo &c.

Nititur responsio canone Concilii *Lateran.* IV, quo declaratur valere indulgentias ab Abbatibus concessas, modo constiterit privilegio quodam peculiari hoc iis esse permissum: *accedentibus ad nos*, ait in præfato concilio Innocentius III, *de diversis mundi partibus Episcoporum querelis, intelleximus graves & grandes quorumdam Abbatum excessus, qui suis finibus non contenti, manus ad ea quæ sunt Episcopalis dignitatis extendunt, de causis matrimonialibus cognoscendo, injungendo publicas pœnitentias, concedendo etiam indulgentiarum litteras, & similia præsumendo . . . præsenti decreto firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia se præsumat extendere . . . nisi forte quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa, super hujusmodi valeat se tueri.*

Objectio.

Contra id quod de indulgentiarum ministro ordinario dictum est, opponitur *Durandi*, *Maldonati*, & quorumdam aliorum sententia contendentium, quemlibet simplicem presbyterum, hoc ipso quod est ab Episcopo approbatus, posse indulgentias ut ordinarium ministrum concedere: ergo certa opinio nostra non est, qua facultatem hanc solis Episcopis vindicamus.

R. neg. cons. inde enim hoc unum erui potest, quod non negamus, hanc de indulgentiarum dispensatione quæstionem, utrum jure divino ad solos Episcopos spectet? nondum esse ab Ecclesia expresso canone definitam, adeoque singulare *Maldonati*, *Durandi*, & aliorum, si qui reperiuntur, judicium, a formali, ut loquimur, hæresi excusari: at non ideo assertio nostra infringitur, quam constat in scripturæ testimonio, perpetua Ecclesiæ praxi, ipsaque ratione esse fundatam: quæ sane momenta qui attente inspexerit, facile concedet potestatem indulgentias, ministerio ordinario, concedendi solis Episcopis jure divino competere: quæ vero in contrarium a prædictis scriptoribus liberius opponuntur, pari facilitate contemnet: *Durandus* enim hoc uno momento nititur, quod velit ad indulgentiarum concessionem jurisdictionem in foro interno confessionis sufficere: quod constat ex prædictis esse falsissimum: quod vero de suo *Maldonatus* adjecit, confessarium melius dispositionem pœnitentis cognoscere, quam Episcopos, hoc vere quidem dixit, sed quid ad rem? non enim cognitio illa sufficit, ad potestatem indulgentiæ largiendæ, sed jurisdictio requiritur & potestas communis Ecclesiæ ærarii dispensandi, quam sacerdos simplex non habet: deinde Episcopi licet singulorum in individuo pœnitentium dispositiones non norint; bene tamen norunt, fidelibusque significant, indulgentias, nihil nisi debitas dispositiones afferentibus profuturas: quod sufficit ut traditam sibi a Deo facultatem exerceant.

Quær. 6. Ad quos pertineat indulgentias publicare?

R. Ex decreto Concilii Trid. (*sess.* 21, *in decr. de reform. c.* 9) ad solos locorum ordinarios, non vero uti antehac factum fuerat ad eleemosynarum quæstores, hoc officium pertinere: *cum multa a diversis antea conciliis*, inquiunt patres, *tam Lateranensi, ac Lugdunensi, quam Viennesi, adversus pravos eleemosynarum quæstorum abusus remedia tunc adhibita, posterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiusque eorum malitia ita quotidie, magno fidelium omnium scandalo & querela excrescere deprehendatur; ut de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur: statuit* (*S. Synodus*) *ut posthac in quibuscumque christianæ religionis locis, eorum nomen atque usus penitus aboleatur; nec ad officium hujusmodi exercendum ullatenus admittantur, non obstantibus privilegiis, Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, piis locis, & quibusvis, cujuscumque gradus, status, & dignitatis personis, concessis, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus: indulgentias vero, aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christi fideles debent privari, deinceps per ordinarios locorum, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decernit: quibus etiam eleemosynas atque oblata sibi caritatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur: ut tandem cælestes hos Ecclesiæ Thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri, omnes vere intelligant.* Itaque in Concilio Trid.

Trid. non officium tantum, sed & nomen ipsum quæstorum abolitum est.

Q. 7. Qua primum occasione cœperit indulgentias publicandi quæstoribus provincia demandari?

℟. Verbis *Christiani Lupi*: (*dissert. de peccatorum & satisfactionum indulgentiis, c.* 4) *eleemosynaria indulgentia*, inquit, *post institutum ab Urbano II sacrum bellum cœpit admodum frequentari: dari cœpit omnibus qui sanctum illum Domini exercitum suis eleemosynis adjuvarent: extendi item ad sustentanda pauperum hospitalia, reparandas Basilicas, aliasque causas similes, & tam a Romano Pontifice, quam ab aliis Episcopis instituti sunt prædicatores, qui per singula oppida & pagos adjuvarent indulgentias suis concionibus, & pœnitentium oblationes colligerent: & hos ista ætas titulavit:* eleemosynarum quæstores: ac prædicatores quæstuarios.

De his in Concilio Later. IV mentio est (*c.* 14, §. *de pœnit. & remissionibus*), itemque formula litterarum Apostolicarum quæ iis concedi solebat describitur, his verbis concepta: *quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum: oportet nos diem messionis extremæ misericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino, cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis; firmam spem, fiduciamque rectam tenentes, quoniam* qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, *vitam æternam: cum igitur ad sustentationem fratrum & egenorum ad tale confluentium hospitale, propriæ non suppetant facultates; universitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, atque in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus de bonis vobis a Deo collatis pias eleemosynas, & gratis eis caritatis subsidia erogetis; ut per subventionem vestram ipsorum inopiæ consulatur, & vos per hæc bona & alia, quæ Domino inspirante feceritis, ad æterna possitis gaudia pervenire.*

Q. Ultimo, quæ causa fuerit quæstorum officium abolendi?

℟. Causam fuisse avaritiam, qua fidelium eleemosynas in proprium lucrum vertebant, & vanis superstitiosisque promissionibus aurum & argentum undecumque emungebant: *non sine multa temeritatis audacia, & deceptione multiplici animarum*, ait Concilium Viennense (*Clem.* 2, *de pœnit. & remissionibus*) *indulgentias populo motu suo proprio de facto concedunt, super votis dispensant, a perjuriis, homicidiis, & peccatis aliis, sibi confitentes absolvunt; male ablata, incerta, data sibi aliqua pecuniæ quantitate remittunt, tertiam aut quartam partem de pœnitentiis injunctis relaxant: animas tres vel plures parentum, vel amicorum illorum qui eis eleemosynas conferunt, de purgatorio, ut asserunt mendaciter, extrahunt, & ad gaudia paradisi perducunt; benefactoribus locorum, quorum quæstores existunt, remissionem plenariam peccatorum indulgent, & aliqui ex ipsis eos a pœna & a culpa, ut eorum verbis utamur, absolvunt.*

De iisdem *Joachimus Camerarius*: (*de bello Smalcaldico*) *venales*, inquit, *proponebantur defunctorum animæ, quas licebat redimere, certo persoluto pretio: & peccatis suis quisque qualibuscumque hanc veniam impetrare poterat, numerata pecunia, quantum institor petebat: ac nummi collecti ab illis negotiatoribus insumebantur in varias voluptates, cum de germanorum stolidorum opibus animo illi quieto delicatissime viverent: hæc autem mercatura vocabatur venia peccatorum.*

His mercedum nundinationibus (indulgentiarum venditionibus) *ait conventus Norimbergensis, in sua ad Adrianum VI legatione, simul & spoliata est ære Germania, & Christi pietas extincta, quando quolibet pro pretii quod in has merces expenderat, modo, peccandi impunitatem pollicebatur: quod enim malorum amplius jam horrebunt mortales, quando sibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedum in vita, sed & post obitum, ære ... comparari posse, a nundinatoribus illis indulgentiariis, semel persuasum habent? maxime Germani, quibus ... sub religionis personæ nihil non persuaderi difficile est, ut ingenio plane ad pietatem credulo est Germania.*

Nec prætermittendum Constant. Concilium, ubi inter articulo contra Joannem XXIII allegatos, legitur iste ordine 23: *Dominus Joannes Papa Nicolao mercatori in legatione existenti concessit, indulsit, & commisit, ut idem Nicolaus quibuscumque hominibus utriusque sexus, ad suæ libitum voluntatis deputare posset confessores, & quod hujusmodi confessores deputati absolvere possent a pœna & a culpa, certis tamen pecuniis taxatis mediantibus: quas quidem prætensas indulgentias idem mercator publicavit, & publicari fecit in certis locis, civitatibus, & villis, utpote Trajecti, Mechliniæ, Antuerpiæ, & alibi, de quibus maximas pecuniarum summas exhausit & extorsit, Christi fideles seducendo, ac statum totius Ecclesiæ catholicæ enormiter scandalizando.*

Merito itaque concilium Trid. quæstorum officium & nomen ubique abominatum extinxit.

§. TERTIUS.

De subjecto & conditionibus indulgentiarum.

Quær. 1. Quodnam sit indulgentiarum subjectum?

R. Esse omnes & solos fideles post baptismum lapsos, vereque pœnitentes: subjectum enim indulgentiæ est, quisquis a pœnis temporalibus peccato debitis, potest Ecclesiastica jurisdictione absolvi: atqui fideles omnes post baptismum lapsi, vereque pœnitentes, obtinere hanc gratiam ab Ecclesia possunt, quia omnes sanctorum communio comprehendit: indeque patet, hominem nondum baptizatum, cum nullam in Christi societate partem habeat, nec subjaceat Ecclesiæ jurisdictioni, nec Sacramentorum sit particeps, ab hoc beneficio necessario excludi: ergo &c.

Q. 2. Utrum animæ defunctorum in purgatorio detentæ, sint indulgentiarum subjectum?

R. 1. Stricte loquendo, non esse: is enim dumtaxat subjectum indulgentiarum proprie dicitur, qui a pœnis temporalibus peccato debitis clavium potestate absolvitur: atqui animæ in ignem purgatorium relegatæ, a pœnis temporalibus quas divina exigente justitia luunt, nequeunt clavium potestate absolvi: ad hoc enim opus esset, ut jurisdictioni Ecclesiæ subjacerent: porro defuncti de foro Ecclesiæ & jurisdictione non sunt, sed solum Deum judicem habent: nec enim quando dixit Christus: *quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis*: alios præter vivos, hoc concesso Apostolis privilegio, Patribus interpretibus, comprehendit: *Si aliquis eorum pro quibus Domino supplicamus*, inquit S. Leo Pontifex Max. (*dist. 91*) *quocumque interceptus obstaculo, a munere præsentis indulgentiæ exciderit; & priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit; quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit, nec necesse est nobis, eorum qui sic obierint merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservavit*; ergo &c.

R. 2. Aliquatenus tamen defunctorum animas subjectum indulgentiæ dici posse: cuicumque enim prodesse indulgentiæ possunt, & revera prosunt, nihil impedit quominus earum affirmetur esse subjectum: atqui indulgentiæ etsi mortuis per modum absolutionis nequeunt applicari, iis tamen prodesse possunt, & prosunt reipsa per modum suffragii, quod a Deo misericorditer acceptatur: nam licet de foro Ecclesiæ non sint, in communione tamen sanctorum sunt: atque adeo quemadmodum potest Ecclesia, orationes, jejunia, flagellationes, peregrinationes, eleemosynas, ipsumque sacrificium pro ipsis Deo offerre; ita nihil obstat quominus indulgentias de immenso meritorum Christi, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum omnium thesauro depromptas, ad eorum subsidium, non absolutorio judicio, sed per modum suffragii, ut prædiximus, applicet: indubitata hæc, longoque usu probata doctrina Ecclesiæ est, contra quam vanæ hæreticorum argutiæ nihil possunt: *Si enim aliquid*, inquit S. Aug. (*Epist. 54 ad Januar. al. 118*) *tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est*: hinc inter Lutheri errores, merito a Leone X Pontifice Max. damnatus hic quoque est, quo negabat *mortuis utiles indulgentias esse*.

Q. 3. Cur ergo, inquies, si indulgentiæ per modum absolutionis defunctis non conceduntur, affirmant summi Pontifices, se eas in eorum gratiam *Apostolica auctoritate* largiri?

R. Nihil hanc formulam, si bene intelligatur, veritati quam defendimus habere contrarium: *Apostolica* namque *auctoritate*, non ad defunctorum personas, soli, ut sæpe diximus, Dei judicio subditas, sed ad indulgentias respicit, quarum concedendarum Sum. Pontifex, virtute clavium, habet potestatem: eam vero potestatem erga vivos per modum judicii, erga mortuos per modum suffragii & deprecationis Ecclesia exercet; Deo nimirum supplicans, ut meritorum Christi & Sanctorum intuitu, aliquid de purgatorii pœnis relaxet, ac etiam id omne dimittat quod sanctis animabus luendum restat: est hujus rei exemplum in principe civitatis, qui cives omnes ære alieno onustos, eaque de causa in servitutem redactos ex ærario publico redimere statuerit: in hoc enim casu servos suo Domino subditos, a debito, jurisdictionis potestate absolvit: si quis autem in alienam exteri principis servitutem inciderit; poterit quidem pecuniam publicam, cujus supremus est dispensator, ad ejus redemptionem plenitudine potestatis offerre; sed non ideo eum, nisi quatenus alteri placuerit, liberabit; quia in hominem sibi non amplius subditum nihil potest: pari ratione Sum. Pontifex in gratiam vivorum & defunctorum, Ecclesiæ thesaurum distribuit; sed vivis impartitur absolvendo, defunctis opitulando; satisfactoria videlicet fidelium suffragia ad illorum solatium, vel plenam liberationem Deo offerendo.

Q. 4. Utrum indulgentiæ in gratiam defunctorum concessæ illis necessario & infallibili-

tet

ter ad relaxationem pœnarum purgatorii prosint?

R. Negative: quod enim in mera Dei misericordia positum est, Ecclesiæ suffragia acceptantis, non possumus dicere necessario fieri; atqui indulgentiæ in gratiam defunctorum concessæ, non aliter illis prosunt, nisi quatenus per modum suffragii a Deo misericorditer acceptantur: eorum enim respectu, ut prædiximus, vim absolutionis non habent: ergo effectum necessario non sortiuntur; unde dicendum eatenus prodesse defunctis, 1 quatenus Deo placet: 2 quatenus defunctis dum viverent, *prodesse sibi post hanc vitam talia meruerunt*, ut loquitur S. August. (*in lib. de cura pro mor.*)

Deinde: si indulgentiæ pro mortuis suum infallibiliter sortirentur effectum; ubi semel alicui defuncto esset indulgentia plenaria applicata, non amplius pro eo esset orandum: frustra enim & derisorie Ecclesia denuo peteret, quod infallibilliter impetratum certo sciret; atqui consequens illud christianæ pietati & Ecclesiæ praxi contrarium est: ergo &c. iis itaque minime credendum, qui virtute indulgentiæ, altari alicui privilegiato annexæ, affirmant, quoties in illo missa celebratur, animam unam a purgatorio infallibiliter liberari: hujus enim opinionis in scriptura & tota traditione nec leve vestigium est, & de earum numero est, ad quas *Clemens V* Pontifex Max. in Concilio *Viennensi* (*an.* 1311) respiciens, verbi divini præconibus, *virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ prohibuit, ne in sermonibus suis indulgentias, pronuntient indiscretas.*

Q. 5. Cur ergo hæc altaria privilegiata dicuntur?

R. Ideo sic vocari, non quia, ut indiscrete aliqui & temerario jactitant, cuilibet missæ in iis altaribus celebratæ, unius animæ liberatio certo respondet; quasi nimirum (quo nihil absurdum magis & a vero sensu religionis alienius fingi potest) virtus sacrificii a loco ubi offertur dependeat, & major sit in uno quam in altero: sed quia in iis altaribus Ecclesia specialiori quodam modo, satisfactionem Christi, & sanctorum merita in eorum gratiam applicat, pro quibus sacrificium offertur: est & altera ratio hujus appellationis, quia nimirum in iis altaribus speciali favore conceditur, missas *defunctorum* celebrare, etiam his diebus, quibus in aliis, ex Ecclesiæ præscripto, non celebrantur: quo fit ut *privilegiata* dicantur.

Q. 6. Utrum indulgentia Jubilæi non alibi quam Romæ concedatur?

R. Negative: equidem *Bonifacius* VIII, primus Jubilæi, ut prædiximus, institutor, indulgentiam hanc iis solis concessit, qui anno centesimo recurrente, Basilicas Apostolorum, personaliter ac reverenter Romæ inviserent; nulla alterius Basilicæ, aut absentium qui iter suscipere, aut perficere non possent, facta mentione: verum *Clemens* VI, præterquam quod Jubilæi tempus ab anno quolibet centesimo, ad 50 coarctavit; concessit insuper, ut ii qui arrepto itinere ad urbem, legitimo quovis impedimento pertingere non valerent, si vere pœnitentes forent, indulgentias Jubilæi consequerentur: quod deinceps exemplum secuti Pontifices Maximi, hanc gratiam novis adjectis favoribus ampliarunt: nam *Bonifacius* IX, & *Nicolaus* V, anno Jubilæi Romæ absoluto, easdem indulgentias paribusque conditionibus ad plerasque civitates; & *Paulus* denique II, ad omnes civitates, pagos, & oppida, sive motu proprio, sive rogati a Principibus extenderunt: quem hodieque vigere morem, nemo est qui nesciat.

Q. 7. Utrum quocumque prætextu datæ indulgentiæ valeant?

R. Negative. Indulgentiarum enim largitio, Sacri Ecclesiæ ærarii dispensatio est: atqui nisi ob causam legitimam spiritualis Thesaurus profundi non potest; quia alioquin non dispensatio, sed dissipatio foret: & sane qui temporalia Ecclesiæ bona, non possunt pro arbitrio dispertiri; multo minus habere hanc erga Spiritualia potestatem censendi sunt. Quemadmodum itaque Episcopi ita sunt temporalium Ecclesiæ facultatum œconomi, ut eas non debeant in usus quoslibet pro arbitrio vertere; idem a fortiori de Indulgentiis, bonis videlicet spiritualibus est dicendum. Hinc S. Thomas merito tria ad Indulgentiarum valorem requiri affirmat (*in 4 sentent. dist.* 20, *quæst.* 2, *art.* 3) *auctoritatem in dante, caritatem in recipiente, pietatem in causa*. Parique ratione Trid. Synodus, (*Sess.* 25, *in decr. de Indulgent.*) *in his concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem præcipit adhiberi.*

Jam vero quæ causæ legitimæ sint indulgentias concedendi, non est difficile definire. In hoc enim numero sine controversia ponimus:

1. Spirituale bonum Ecclesiæ Universæ, ut quando pro sopiendo Schismate, aut evertendis hæresibus, aut conciliandis principibus Deo supplicationes fiunt.

2. Spirituale pariter Monarchæ alicujus aut Principis bonum. *Dicendum*, inquit S. Thomas, (*in 4 sent. dist.* 20, *quæst.* 2, *art.* 3) *quod pro pure spiritualibus potest fieri indulgentia, & fit quandoque: sicut quicumque orat pro Rege Franciæ, habet decem dies de indulgentia a Papa Innocentio IV.*

3. Tem-

3. Temporale subsidium ad bona spiritualia ordinatum. *Temporalia ad spiritualia ordinantur*, ait S. Doctor (*Ib.*) *quia propter spiritualia temporalibus uti debemus: & ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia: sicut repressio inimicorum Ecclesiæ, qui pacem Ecclesiæ perturbant: vel sicut constructio Ecclesiarum & Pontium, & aliarum eleemosynarum collatio. Nec fit ibi Simonia, quia non datur spirituale pro temporali sed pro spirituali.*

Q. Ultimo, qua conditione possint fideles fieri indulgentiarum participes?

R. 1. Earum fructum non posse nisi ab existentibus in statu gratiæ percipi. Quamdiu enim aliquis pœnæ æternæ debitor est, manifestum est a pœna temporali peccato debita non posse absolvi. Sed quisquis peccato mortali gravatur, pœnæ eternæ debitor est. Ergo indulgentiarum fructum, pœnarum videlicet temporalium remissionem consequi nequit. Deinde nemini potest dimitti pœna, nisi cui jam culpa dimissa est. *Qui enim non est consecutus operationem Dei in remissionem culpæ*, inquit S. Thomas, (*ib. art.* 5) *non potest consequi remissionem pœnæ a ministro Ecclesiæ, neque in indulgentiis, neque in foro pœnitentiali.* Ergo status gratiæ ad indulgentiarum perceptionem est necessarius. Indeque est quod Ecclesia, nisi vere pœnitentibus contritis, & confessis, & Deo irato satisfacere proponentibus indulgentias non concedit, ut ex Pontificiis diplomatibus certum est.

R. 2. Ad Indulgentiarum perceptionem debere stationes, jejunia, orationes, eleemosynas, aliaque pietatis opera, quæ a Summo Pontifice, aut Episcopo præscribuntur, necessario observari: quæ assertio probatione non indiget. Sequitur

QUÆSTIO OCTAVA.

De forma Sacramenti pœnitentiæ, sive, de absolutione.

RES *& effectus hujus Sacramenti*, inquiunt Patres Trid. (*Sess.* 14, *c.* 3) *quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo.* Hæc enim secundum institutam a Christo legem, sine Sacerdotis absolutione, aut ejus saltem voto cum vera cordis conversione conjuncto non obtinetur. De hoc tam præcellenti beneficio, quo majus concedi a Deo non poterat, & Ecclesiæ dispensationi committi, in præsenti dicturi, totam quæstionem ad duo capita revocamus. 1. est, utrum Christus absolvendi a peccatis potestatem Ecclesiæ revera contulerit? Alterum, qua ratione ac verborum formula hæc potestas in pœnitentiæ foro sit exercenda?

CAPUT PRIMUM.

Utrum Christus absolvendi potestatem Ecclesiæ revera contulerit?

PRO certo & inconcusso fidei catholicæ principio ponimus, a nemine præter Deum peccata propria virtute remitti. Id quod tum Scripturæ auctoritas, tum summa operis difficultas, tum ratio ipsa offensæ demonstrat. *Auctoritas*, inquam: ubique enim Scriptura clamat, jus illud soli Deo primario arrogari, nec alteri cuiquam posse attribui. *Dele, o Deus, iniquitatem meam*, ait Propheta, *secundum multitudinem miserationum tuarum, amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.* Ipseque de se ipso attestans, (*Isa.* 43, 25) *ego sum, ego sum*, inquit, *qui deleo iniquitates tuas propter me.* Quorum similia quoniam ubique omnis Scripturarum pagina exhibet, inutiliter hic colligerentur. *Difficultas operis*: quid enim est peccata remittere, nisi mortuum spiritualiter excitare? Quemadmodum itaque vitam corporalem naturali morte extinctam restituere, divinæ virtutis est? ita, longeque magis, nemo potest ad vitam spiritualem, quæ in animæ cum Deo, per caritatem, intima conjunctione consistit, nisi ejus imperio revocari. Eoquepertinet præclara S. Aug. sententia affirmantis, majus opus esse, aliquem ex impio justum facere, quam ex nihilo creare cælum & terram. Cum itaque creatio nonnisi ex infinita virtute prodire possit; consequens est, ut multo magis peccatorum remissio infinitæ potestati sit tribuenda. *Ratio denique offensæ*, qua Deus summæ majestatis est læsus: unde consequens est quod ab eo solo remitti possit. Quemadmodum enim si quis Regem offenderit, a nemine præter ipsum expectare gratiam criminis potest; ita a fortiori, quæ usquam creatura reperietur, quæ illatam Regi Regum injuriam, proprio audeat arbitrio condonare? *Et vero*, inquit Trid. Concilii Catechismus, (1 *part. cap.* 11, *nu.* 3) *scelerum remittendorum eadem ratio videtur esse, quam in pecunia debita servare oportet. Quemadmodum igitur a nemine, nisi a creditore, pecunia quæ debetur remitti potest: ita cum uni Deo peccatis obstricti simus (si quidem quotidie oramus: dimitte nobis debita nostra:) perspicuum est, a nemine præter illum, peccata nobis condonari posse.*

§. PRI-

§. PRIMUS.

Ostenditur Christum absolvendi potestatem revera Ecclesiæ contulisse.

Nec minori certitudine eadem catholica fide tenendum, facultatem remittendi peccata a Christo Ecclesiæ esse concessam: quod olim Montanistæ & Novatiani negantes pro hæreticis ubique habiti sunt & damnati.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex eo quod Christus quam potestatem habebat cum Ecclesia communicaverit.

„ Hoc admirabile & divinum munus peccata remittendi, ait *Catechismus Concilii Trid.* „ (1 *part. c.* 11, *n.* 9) antequam Deus homo fieret, nulli creatæ naturæ impertitum est: primus omnium Christus Salvator noster, ut homo, cum idem verus Deus esset, hoc munus a cælesti patre traditum „ accepit": *ut sciatis* inquit, (*Matt.* 9, 6) *quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, *ait paralytico*: *Surge*, *tolle grabatum tuum*, *& vade in domum tuam*. Hancque sæpe sibi auctoritatem, quod pluribus exemplis notissimum est, in Evangelio arrogavit, ubi, quæ a prophetis fuerant prædicta, de se ipso interpretans: *Spiritus Domini super me*, inquit, (*Luc.* 4, 18, *& seq.*) *propter quod unxit me*, *Evangelizare pauperibus misit me*, *sanare contritos corde*: *prædicare captivis remissionem*, *& cæcis vitum*, *dimittere confractos in remissionem*, *prædicare annum Domini acceptum*, *& diem retributionis*. Jam sic subsumo:

Atqui potestatem hanc Christus Apostolis totique per ipsos Ecclesiæ, gradu licet dispari & inferiore communicavit: ait enim ad illos: (*Joan.* 20, *v.* 21, *& seq.*) *Sicut misit me pater*, *& ego mitto vos ...... accipite Sp. sanctum*, *quorum remiseritis peccata*, *remittuntur eis*; *& quorum retinueritis*, *retenta sunt*: gradu, inquam, dispari, nec enim æquum erat, imo nec possibile, ut potestatem excellentiæ quam habebat cum Apostolis partiretur, & qui rapinam arbitratus non fuerat esse se æqualem Deo, dignitatem suam, quam ut Deus homo habebat, ad nostram conditionem deprimeret: sed ita se gessit, quomodo Monarcha erga ministros, quomodo erga magistratus legislator, & Dominus erga famulos quorum ministerio utitur, ad id quod visum sibi fuerit exequendum: ergo &c.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex Ecclesiæ Clavibus.

Claves Regni cælorum Christo ab æterno patre primario traditas, quas suprema auctoritate regeret & administraret, inde patet quod omnis illi potestas in cælo & in terra, omneque judicium datum fuerit, & caput super omnem Ecclesiam fuerit constitutus: qua de re Sp. Sanctus in Isaia viticinans: (*Is.* 22, 22) *dabo*, inquit, *clavem Domus David super humerum ejus*: *& aperiet*, *& non erit qui claudat*: *& claudet*, *& non erit qui aperiat*: quam præcellentem prærogativam ipse sibi vindicans: (*Apoc.* 1, 17 *& seq.*) *ego sum primus*, ait, *& novissimus*; *& vivus*, *& fui mortuus* .... *& habeo claves mortis & inferni* .... (*Ib. c.* 3, 7) *hæc dicit sanctus & verus*, *qui habet clavem David*, *qui aperit*, *& nemo claudit*, *claudit & nemo aperit*. Hinc sic instauro argumentum:

Atqui easdem Regni cælestis claves Christus hinc discedens Ecclesiæ tradidit, & in perpetuum hæreditariam, velut possessionem reliquit, quando nimirum Petro dixit: (*Matt.* 16, 19) *tibi dabo claves Regni cælorum*: *& quodcumque ligaveris super terram*, *erit ligatum & in cælis*, *& quodcumque solveris super terram*, *erit solutum & in cælis*: etsi enim ad solum Petrum hæc verba direxerit, ad universam tamen Ecclesiam pertinebant: *quando ei dictum est*: tibi dabo claves Regni cœlorum, ait S. Aug. (*tract.* 24 *in Jo.*) *universam significabat Ecclesiam*: de quo si quis ambigit, conferat verba Matthæi, cum his quæ capite decimo octavo sequuntur, ubi Christus eamdem sententiam repetens: (*v.* 18) *amen dico vobis*, ait toti Apostolorum collegio, *quæcumque alligaveritis super terram*, *erunt alligata & in cælo*, *& quæcumque solveritis super terram*, *erunt soluta & in cælo*.

Tria ergo hæc pari Scripturæ auctoritate roborata consistunt, Deum potestate propria, Christum Deum hominem potestate excellentiæ, & Ecclesiam potestate ministerii per suos ministros peccata remittere.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex perpetua traditione.

Probationem hanc alibi fuse deductam, consilii nostri non est iterum in præsenti tractare: tantum rogamus studiosum Lectorem, ut ad hujus libri qu. 2, & 3 recurrat, ubi Patrum

trum auctoritate probatum est, pœnitentiam esse verum legis Evangelicæ Sacramentum, ac peccatorum quæ post baptismum patrata fuerint, remissionem divina misericordia institutum, nullumque esse quantumvis atrox flagitium, quod ministerio Sacerdotum non condonetur: itemque contraria Lutheranorum, Calvinianorum, Montanistarum, ac Novatianorum argumenta soluta sunt.

§. SECUNDUS.

Clavium notio datur.

Quandoquidem in claves Ecclesiæ oratio incidit, e re nostra est brevem earum & accuratam, quantum præsens materia patitur, notionem suggerere.

Possessio clavium, auctoritatis & dominii argumentum est: sic dominus censetur domus aut civitatis, qui clavibus earum potitur. Nec immerito, cum hoc ipso potestatem habeat, quos voluerit arcendi vel admittendi, & secretissimos quousque recessus, reserandi vel occludendi: indeque quod ubi civitas aliqua principi victori se dedit, claves ad illum in signum subjectionis transferri procurat. Cum itaque Ecclesia domus sit ac civitas Dei, merito quæ inibi auctoritas exercetur clavium nomine, usu a Scriptura accepto exprimitur.

Auctoritatem, ut prædiximus, supremam, in iis omnibus quæ pertinent ad sanctæ civitatis gubernationem, solus Deus habet. Hanc a Deo Patre Christus ut homo excellentissimo modo communicatam accepit, quando subjecit omnia sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. Eamdemque Christus Ecclesiæ impertitus est, per visibiles suos vicarios exercendam. Itaque Dei potestatem, *clavem supremi dominii*, potestatem Christi, ut hominis, *clavem excellentiæ*, potestatem Ecclesiæ, *clavem ministerii*, Theologi cum S. Thoma merito dicunt.

Claves ministerii, de quibus solis hic agimus, aliæ *ordinis*, aliæ sunt *jurisdictionis*.

Clavis ordinis est, *potestas ligandi atque solvendi, cum ordine Sacerdotali collata, qua judex Ecclesiasticus dignos recipere, & indignos excludere debet a regno.*

Clavis jurisdictionis est, *auctoritas in alterum tamquam in subditum data, per quam Sacerdos velut judex sententiam in eum rite ferre valeat, eumque ligare vel solvere.*

Qui jurisdictionis claves habet, necesse est ut ordinis habeat, sed non vicissim, si nimirum subditis careat; quod in iis contingit, qui nec pastorale beneficium habent, nec sunt ab Ordinariis approbati.

Clavis jurisdictionis iterum duplex censetur; alia ad forum interius, alia ad exterius pertinet.

Clavis fori interni, vel pastoralis beneficii collatione, vel approbatione Ordinarii ad audiendas confessiones habetur.

Clavis jurisdictionis in foro exteriori est, potestas coercendi peccatores sine vi corporali, quæ adhibetur non ut homines, sed ut crimen & error tollantur; non ut lædantur personæ, sed ut curentur; non ut perdantur, sed ut corrigantur: eaque excommunicationis, & aliarum Ecclesiæ censurarum, sive ferendarum, sive tollendarum potestas est.

Clavis jurisdictioni in utroque tum exteriori tum interno foro, altera ordinaria, delegata altera. Ordinaria iis omnibus competit, qui curam animarum & regimen habent: delegata, ad eos transfertur qui curam animarum titulo beneficii non habentes, ad audiendas confessiones ab Episcopis approbantur.

Cum jurisdictio ab auctoritate erga subditos pendeat, consequens est non in omnibus parem, sed pro gradu dignitatis esse diversam; sic enim Pontifex Max. in universa Ecclesia fori utriusque, secundum mensuram Canonum, plenissimam habet potestatem: Episcopus vero, propriæ diœceseos; parochus, parœciæ; prælatus Regularis, monasterii aut cœnobii limitibus coarctatam.

Quisquis rite semel est ordinatus, clavem ordinis inamissibiliter habet, quæ vel character ipse ordinis est, vel individue cum illo conjuncta: atque adeo etiam in hæresi & schismate, & quacumque perfidia indelebilis. Jurisdictionis vero potestas immobiliter non adhæret; quia æquum est, eos qui vel contra Ecclesiam facto schismate rebellaverint, vel errorum disseminatione, aut quovis altero scandalo turbaverint, omni jurisdictione privari.

De clavibus Ecclesiæ in præsenti sat dictum: nunc ut pergamus ad alteram partem quæstionis, sit:

CAPUT SECUNDUM.

Qua ratione ac verborum formula potestas absolvendi exerceatur.

Quæritur 1. Quæ sit forma Sacramenti pœnitentiæ?

℟. Esse verba quibus actus judicialis absolutionis a Sacerdote exprimitur: in iis enim verbis forma Sacramenti consistit, quæ effectum ejus significant, & ex opere operato producunt: atqui hujusmodi verba sunt, actum judicialem absolvendi exprimentia. Ergo &c.

Q. 2. Quot modis possit actus judicialis absolutionis enuntiari?

℟. Tri-

℟. Tribus: verbis scilicet indicativis, deprecativis, & imperantibus: forma indicativa est, quæ verbo indicativo enuntiatur; qualis est nostra: *ego te absolvo*: deprecativa, in oratione consistit, qualem Græci, ut est prædictum, (*quæst.* 4, *cap.* 2) usurpant: *Domine remitte peccata N. pœnitentis: quia tua est potentia &c.* imperans foret, si Sacerdos sic diceret: *absolvere*; vel, *esto absolutus ab omnibus peccatis tuis*.

Q. 3. E tribus absolvendi modis quis sit necessario usurpandus?

℟. 1. De forma imperante, quia nullibi, nec in Latina, nec in Græca Ecclesia locum habet, nullam debere esse quæstionem. Quamquam enim plerique contendant, validam fore, eo quod actum absolvendi vere significet, quod non negamus: fatendum tamen futuram illicitam quia contra præscriptum Ecclesiæ, & universalem consuetudinem adhiberetur, quam nemo privatus, etiam in rebus minoris momenti deserere impune potest. Quantum vero ad alios absolvendi modos spectat:

R. 2. Cum ea de re non sit una & simplex Ecclesiarum omnium disciplina; unicuique suæ Ecclesiæ morem tenendum: quod ut manifestum fiat:

Q. 4. Quæ sit forma absolvendi, in Latina Ecclesia?

℟. Esse indicativam, iis nimirum verbis expressam: *Ego te absolvo &c.* „ Docet S. „ Synodus, *ajunt Patres Trid.* (*Sess.* 14, *c.* 3) „ Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præ„ cipue ipsius vis sita est, in illis ministri „ verbis positam esse: *ego te absolvo &c.* „ quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more pre„ ces quædam laudabiliter adjunguntur: ad „ ipsius tamen essentiam nequaquam spectant, „ neque ad ipsius Sacramenti administratio„ nem sunt necessariæ . . . " Dicendum itaque ex mente Latinæ Ecclesiæ, his solis verbis: *ego te absolvo*: essentialem Sacramenti formam contineri; alias vero preces quæ fundi solent: *misereatur tui &c. Indulgentiam &c.* licet laudabiliter adjungantur, formæ tamen vim & efficaciam non habere: unde salva Sacramenti integritate sileri possunt.

Q. 5. Utrum hæ voces debeat necessario exprimi: *a peccatis tuis*?

℟. Præcepto Ecclesiastico esse necessarias, non divino: quod enim Ecclesia faciendum esse præscribit, præcepto Ecclesiastico necessarium est; atqui talis est horum verborum expressio: *a peccatis tuis*. Ergo &c. ad jus porro divinum, sive ad essentiam Sacramenti non pertinere, inde probatur quod in hac voce, *absolvo*, implicite contineantur: deinde vox *absolvendi*, sufficiens est ad exprimendum Sacramenti effectum, qui in reconciliatione & peccatorum abolitione consistit: quamquam enim ex se sit indifferens (ut tacitæ occurratur objectioni) ad significandam tum absolutionem a censuris, tum peccatorum remissionem; quatenus tamen pœnitenti applicatur, qui peccatorum confessionem proxime edidit: determinatur hac circumstantia ad eorumdem remissionem significandam, qui est proprius Sacramenti effectus. Ergo non est præcepto divino & necessitate Sacramenti, aliarum vocum expressio necessaria.

Q. 6. Utrum expressa SS. Trinitatis invocatio, per hæc verba: *in nomine Patris &c.* sit necessario facienda?

℟. 1. Apud Latinos esse præcepto Ecclesiastico necessariam, quod nemo negat.

R. 2. Non esse præcepto divino, neque Sacramenti necessitate necessaria: tum quia divinitus imperatam nec Scriptura, nec traditio suggerit; tum quia illam Græci & Orientales in Sacramenti pœnitentiæ administratione non adhibent, quos vere Sacramentum perficere nemini dubium est: tum quia per duodecim priora sæcula non fuit in usu apud Latinos.

Q. 7. Utrum persona, cui Sacramentalis absolutio datur, debeat in forma Sacramenti necessario designari, per pronomen *te*?

℟. affirmative. Sacerdotis enim absolventis operatio, judicialis sententia est, quæ in aliquem, vel alios distinctim cadere necesse est: alioquin enim vagum & indeterminatum sensum haberet, sive, ut verius loquar, nihil plane significaret. Nam quæso quis sensus horum verborum foret, *ego absolvo*: nisi ipsa, cui tantum impenditur beneficium, persona denotaretur? ergo personam quæ absolvitur debere necessario exprimi, tum ratio ipsa *Grammatices*, tum norma fori civilis, cujus instar pœnitentiæ Sacramentum, majori licet dignitate, a Christo est institutum, demonstrat: hinc declarat Concilium Trid. modo cit. formam Sacramenti in his verbis positam esse: *ego te absolvo &c.* Idemque Græci & Orientales indispensabiliter observant: quod ex eorum euchologiis certum est.

Q. 8. Utrum forma indicativa semper in Latina Ecclesia usurpata fuerit?

R. negative. Non enim videtur ante sæculum 13 communi consensione recepta & omnium usu probata. Nam

1. Toto 10 priorum Ecclesiæ sæculorum decursu, nec minimum in scriptis Patrum, aut ritualibus libris formæ indicativæ vestigium reperitur; sed sola precum mentio est, quibus pœnitentes absolvebantur: lege ac relege *Sacramentarium* Gregorii M. veterem *Ordinem* Ro-

Romanum, & alios denique omnes de re Sacramentaria libros: audacter dico, nec tibi vox una occurrit, quæ indicativam judicii formam sonet; totumque Sacerdotis ministerium erga pœnitentes absolvi meris precationibus deprehendes: sic ut exemplum unum e pluribus afferam, *Alcuinus* absolvendi ritum describens: (*in lib. de divin. offic. cap. de cœna Domini*) „ posthæc, *inquit*, egreditur pœnitens „ mane, de loco ubi pœnitentiam gessit, & „ in gremio Ecclesiæ præsentatur, prostrato „ omni corpore in terra: tunc dicantur hi „ Psalmi: *miserere mei Deus*: cum Antiphona, *Cor mundum*: deinde *Kyrie eleison*; & „ & *Pater noster*: & capitulum ad preces: „ *salvum fac servum tuum Domine*: *converte Domine*: *mittat tibi Dominus*: *illustra faciem tuam*: *Domine vide humilitatem*: „ *exaudi me Domine*, *quoniam benigna est misericordia tua*: Oratio: *adesto Domine supplicationibus nostris*, *& me qui etiam misericordia tua primus indigeo*, & reliqua. „ Alia Oratio: *præsta quæsumus Domine huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum &c.* „ alia: *Deus humani generis benignissime conditor*, *& misericordissime reformator &c.* „ alia: *Deus sub cujus oculo omne cor trepidat*, *omnesque conscientiæ contremiscunt*: „ & reliqua. Post hoc vero admoneatur a Sacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non repetat ".

Quis vero crediderit, Alcuinum, aliosque rituum sacrorum descriptores, orationibus minime necessariis tanta accuratione collectis, formam absolutam (si necessariam credidissent, aut si suo tempore viguisset) prætermissuros?

Eodem pertinet S. Aug. sæpe laudata auctoritas, in sola oratione formam absolvendi ponentis: *quid est manuum impositio*, ait, *nisi oratio super hominem?* (*lib. 3 cont. Donat. cap. 19*) hoc enim loco, ut alibi observavimus, de Sacramento pœnitentiæ loquitur, quod manuum impositionem appellat: multoque expressius in libro quinquaginta homiliarum, (*hom. 13*, *cap. 7*) verba Salvatoris expendens quibus peccatricem mulierem recepit in gratiam, observat ab eo dictum, non: *ego remitto tibi peccata tua*; sed: *remittuntur ei peccata*: qua loquendi ratione quorumdam affirmat in antecessum repressam a Christo superbiam, qui se aliquando jactaturi erant, quasi peccata ipsi remitterent: *medicus bonus*, inquit, *ægros non solum præsentes sanabat*, *sed & futuros prævidebat*: *futuri enim erant homines qui dicerent*: *ego peccata dimitto*, *ego justifico*, *ego sanctifico*, *ego sano quoscumque baptizo*. Fateor equidem accusationem hanc, Donatistas recta ferire, qui Sacramentorum virtutem & efficaciam a ministrorum meritis repetebant: at fatendum pariter hoc ejus argumentum nullius roboris futurum fuisse, si ætate S. Doctoris formam absolvendi indicativam Africana Ecclesia usurpasset: facile namque potuissent Donatistæ regere: *ecquid ergo vos Catholici forma absolvendi indicativa utimini*, *cum ministrantium merita nihil contribuere ad Sacramenti efficaciam existimetis?*

2. A 10 sæculo ad 13 fuit pariter forma deprecatoria a Latinis usurpata; ita tamen ut plerique putarent, precibus indicativam utique adjiciendam sententiam: ut constat ex libris Ritualibus, qui per id tempus in usu fuerunt.

3. Sub finem sæculi 13 solam formam indicativam habitam fuisse pro parte essentiali, testis hujus temporis scriptor S. Thomas, opusculo 22 quod *de forma absolutionis* inscribitur: cum enim Theologus quidam ejus ætatis, edita speciali dissertatione contenderet, revocandam formam deprecativam, qualis in usu antea fuerat, & indicativam respuendam, suamque sententiam *Guillelmi* utriusque Altissiodorensis & Parisiensis auctoritate muniret; sic reponit S. Doctor: (*Cap. 2*) *numquid etiam si nunc viverent*, *præjudicare possent communi sententiæ magistrorum Parisiis regentium*, *qui contrarium sentiunt*, *decernentes absque his verbis*: ego te absolvo: *absolutionem non esse per solam deprecativam orationem?* ita S. Thomas.

Ejusdemque rei testis locupletissimus est *Franciscus Mayronis* ex ordine S. Francisci, non multo post tempore insignis Theologus, in 4 sentent. dist. 14, qu. 1, ubi cum sibi objecisset quarumdam Ecclesiarum consuetudinem, quæ his verbis absolutionem exprimebant: *absolvat te Deus pater*, *Deus filius*, *Deus Sp. Sanctus*: Respondet id quidem factum ante fuisse, sed sequente judicio improbatum: *sic fiebat*, inquit, *in provincia provincia*; *sed improbata fuit ista forma*.

Q. 9. utrum solemni Ecclesiæ Latinæ decreto forma deprecativa rejecta sit?

R. Negative: a sæculo enim decimo, ad decimum tertium, quo ut prædixi forma absoluta communi consensione Latinorum est usurpata, de hac re nullius Concilii canon, aut Romanorum Pontificum decretum occurrit: quantum itaque judicare possumus, in scholis nata opinio, & magistrorum sensu probata, in Ecclesiam effluxit, tantamque paulatim auctoritatem obtinuit, ut absolutam formam debere retineri deinceps in Conciliis Florentino & Trid. decretum sit.

Q. 10.

Q. 10. Quæ Græcorum & Orientalium forma sit?

R. Semper fuisse, & etiamnum esse deprecatoriam. Nam

1. Græcorum antiquissimi hæc S. Jacobi verba: (*Ep. can.* 5, 16) *confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua*: de confessione interpretantur: ita sane Origenes, S. Joannes Chryst. & plerique alii, quibus Græci recentiores unanimi calculo assentiuntur.

2. Idipsum demonstrant omnia Græcorum & Orientalium tum antiqua, tum recentia Euchologia, quæ non aliam præter deprecativam absolvendi formam præscribunt, communiter his verbis conceptam: *ipse Domine remitte, dimitte, condona peccata hujus N. quia tua est potentia, tuum regnum &c.* recurrat studiosus lector ad quæstionem tertiam hujus libri, ubi Græcorum & Orientalium formulas fuse descriptas reperiet.

Q. 11. De Græcorum forma quid sentiendum?

R. Debere sine scrupulo approbari, tum quia ab Ecclesia Latina admittitur, quæ Græcos verum habere pœnitentiæ Sacramentum semper agnovit, & etiam num agnoscit: tum quia si propter formam deprecativam, quam solam Græci adhibent, violati Sacramenti juste redarguerentur, eadem accusatio in Latinam Ecclesiam recideret, quæ per duodecim priora sæcula, solam, ut prædiximus, formam deprecantem admisit: tum denique quia non minor est formæ deprecativæ efficacia quam indicativæ.

Q. Ultimo. Quid si latinus aliquis Sacerdos solam formam deprecativam, indicativa posthabita adhiberet?

R. 1. Gravissime peccaturum, quippe qui suæ Ecclesiæ disciplinam proterve contemneret, & se ipsum contra omnes ambitiose efferret.

R. 2. Videri nihilominus, (quidquid plerique in contrarium sentiant) validum Sacramentum futurum, nisi derisorie se hoc facere demonstraret: quo sane casu defectu necessariæ intentionis, irritum fieret Sacramentum. Nam quæ meræ disciplinæ res est, ad essentiam Sacramenti non pertinens, si non observetur, non propterea Sacramentum irritum fit; atqui Sacerdotis sententiam, Sacramenti necessariam esse partem, ad fidem hoc equidem pertinet; utrum vero verbis indicativis, aut deprecatoriis exprimi absolutionis sententia debeat, res est meræ disciplinæ, quæ nequit substantiam Sacramenti inficere: alioquin enim Græcorum & Orientalium improbanda pœnitentia foret, qui non alia quam deprecativa forma utuntur, improbandus pariter mos antiquus latinorum, quos prædiximus sola verba deprecatoria ad decimum sæculum usurpasse. Quemadmodum itaque validum foret baptisma, quod contra latinæ Ecclesiæ usum hodiernum, immersione daretur; & valida Eucharistia, quam in pane fermentato aliquis consecraret, & ordinatio Diaconi valida, quæ fieret sine libri Evangeliorum porrectione, &c. ita nullum videtur esse dubium quin validum foret pœnitentiæ Sacramentum quod forma deprecatoria administraretur. Numquid enim Sacramentorum essentia a locis dependet, quasi quod Constantinopoli validum est, & a Pontificibus Maximis pro vero Sacramento habetur, Romæ invalidum sit futurum? Illicitum itaque (quod revera foret,) hoc Sacramentum dici deberet, sed non propterea pro nullo habendum. Hanc autem Responsionem, sensu, ut loquuntur, speculativo accipi volumus: in praxi enim nec tutam, nec sequendam esse sentimus.

CAPUT TERTIUM. ¶

De absolutione per litteras, sive per internuncium data.

PLures antiqui Theologi censuerunt tum licitam tum validam esse confessionem peccatorum inter absentes factam sive per litteras, sive per internuncium, itemque absolutionem Sacramentalem eodem modo tributam. Quam sententiam jam penitus antiquatam, & cum suis Authoribus pene sepultam, e tumulo eduxerunt nonnulli scriptores ad finem vergente sæculo decimo sexto, immo etiam publice prædicarunt tum veterum Authoritate, tum nonnullis vetustissimis exemplis suffulti. Horum plura refert Morinus *l. 8 c.* 25, quibus ipse quoque permotus eo loci contendit validam olim fuisse absolutionem datam absentibus. Verum adversum hos duo statuo pro quæstione hac dirimenda.

§. PRIMUS.

Confessio facta per litteras Sacerdoti absenti nec licita, nec Sacramentalis confessio est cui absolutio impendi valide possit.

Prob. 1. Ex Constitutione Clementi VIII edita *die* 20 *Junii an.* 1602, ubi hæc leguntur. „ Proposita quæstione, utrum liceat per „ litteras, seu internuncium Confessario ab„ senti peccata Sacramentaliter confiteri, & „ ab eodem absente absolutionem obtinere?

„ Sanctissimus D. N. auditis votis Patrum „ Theologorum, & re cum illustrissimis, ac „ Reverendissimis DD. Cardinalibus mature, „ ac diligenter considerata, hanc propositio- „ nem, scilicet, *licere per litteras, seu in- „ ternuntium Confessario absenti peccata Sa- „ cramentaliter confiteri, & ab eodem absen- „ te absolutionem obtinere*, ad minus uti fal- „ sam, temerariam, ac scandalosam damna- „ vit, ac prohibuit; præcepitque ne deinceps „ ista propositio publicis, privatisque lectio- „ nibus, concionibus, & congressibus docea- „ tur, neve unquam tamquam aliquo casu pro- „ babilis defendatur, imprimatur, aut ad pra- „ xim quovis modo deducatur. Quod siquis il- „ lam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, „ aut etiam de ea disputative tractaverit, ni- „ si forsan impugnando, vel ad praxim seu „ directe, vel indirecte deduxerit; præter ex- „ communicationem latæ sententiæ, quam ip- „ so facto incurrat, & a qua non possit, præ- „ terquam in articulo mortis, ab alio, qua- „ cumque etiam dignitate fulgenti, & S. R. „ Ecclesiæ majori Pœnitentiario, nisi a pro „ tempore existente Romano Pontifice absol- „ vi, aliis etiam pœnis arbitrio infligendis „ subjaceat." Ex quibus evidentissime patet hujusmodi Confessionem nec licitam esse, nec Sacramentalem, atque adeo irritam omnino & invalidam sacerdotis absolutionem.

P. Franciscus Suarez T. 4 in 3 p. disp. 21, sect. 4, Clementinum Decretum ita ausus est interpretari, ut prohibuerit quidem doctrinam expositam *collective, & complexive*, sive copulative, non *divisive*, & separatim acceptam. Ita enim scribit: „ existimo tamen „ non fuisse mentem Sanctissimi de hac opi- „ nione tractare; sed solum de illa, quæ di- „ cit, Sacramentum Pœnitentiæ posse perfi- „ ci, ac consummari inter absentes: atque „ illam particulam & non esse *divisive*, sed „ *complexive* sumendam; præcipue illud dam- „ nasse propter eos, qui dicebant, absolutionem „ posse dari in absentia. Moveor tum ex „ circumstantiis litteræ. Nam si aliud voluis- „ set potius, id explicuisset per particulam „ *vel*. Item hoc clare indicat illud singulare „ signum demonstrativum, *hanc propositionem*. „ Nam ex eo constat, solam hypotheticam „ propositionem per modum unius damnari. „ Tum præterea, quia illa erat controversia, „ de qua tractabatur. Tum denique quia sola „ illa opinio est aliena ab usu Ecclesiæ: hæc „ autem est illi, & Decretis conformis. Ni- „ hilominus declarationem hanc ejusdem Pon- „ tificis censuræ subjicio &c."

At tantum abest, quod hæc P. Suarez interpretatio judicata fuerit Ecclesiæ menti *conformis*; ut tria Decreta a Congregatione S. Officii sub Paulo V prodierint, quibus penitus rejecta est, ac eliminata. In primo enim expresse dicitur *Sanctissimum decrevisse dictam interpretationem P. Suarez ad supradictum Decretum non subsistere, & ideo amovendam esse ab ejus libro juxta Decreta alias facta a fel. Record. Clemente Papa VIII.* In altero vero hæc prostant: *Ex libro P. Francisci Suarez Jesuitæ disp. XXXIII, sect. 1, n. 12, amoveantur infrascripta verba, videlicet*, atque ex hac resolutione. . . . . *usque ibi*. . . . in absentia Confessoris. . . . . *Idem P. Suarez corrigat suum librum, & antequam evulget, ostendat huic Congregationi*. Demum in tertio hæc inter alia leguntur: *Sanctissimus decrevit ex Tom. 4 P. Suarez &c. sectionem 4, cui titulus est*, utrum de necessitate confessionis &c. *totam esse amovendam, nec aliam ejus loco subrogandam*. Ex quo palam fit quam cordi fuerit sedi Apostolicæ, ut doctrina, etiam juxta intrepretationem P. Suarez, prorsus abrogaretur, nec quovis modo a Theologis sustineretur.

2. Idem constat ex cap. *quem pœnitet* de Pœnit. dist. 1, ubi hæc habentur: *Præcepit Dominus mundandis, ut ostenderent ora sacerdotibus, dicens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scripturam manifestanda*.

3. Ex Catechismo Concilii Trident. eadem tradente p. 2, c. 5, *num*. 52. Ac demum ex ipsa ratione: tum quia confessio talis sit oportet, per quam Sacerdos certior reddatur tam de peccatis a pœnitente revera commissis, quam de præsenti, dum absolutionem impendit, ejus dispositione, sive dolore, & emendandæ vitæ firmo proposito. Id autem in Confessione peracta per internuncium, aut per litteras haberi nequit: siquidem, præterquam quod litteræ possunt esse vel confictæ, vel interpolatæ, ac negare Pœnitens potest a se fuisse conscriptas; eo temporis intervallo, quo vel nuncius, vel litteræ mittuntur; potest voluntatem mutare, aut a proposito melioris vitæ desciscere, ut observat Dominicus Soto dist. 18, q. 2, art. 6. Tum etiam quia Confessio est quædam personalis actio, per quam peccator tamquam reus sistitur ante Tribunal Ecclesiæ, ut ab ipsa per ejus ministrum judicetur, quemadmodum declarat Trid. Synodus *sess*. 14, *cap*. 2: item absolutionis verba personam solvendam demonstrant, eamque præsentem indicant: quam rationem illustrat V. Cl. Sylvius in comment. a. 3, q. 9 supplem., ubi D. Thomas illam ita proponit, nostramque, immo Ecclesiæ doctrinam confirmat his verbis: „ Confessio non solum est actus virtutis,

„ tutis, sed etiam pars Sacramenti. Quamvis „ autem ad eam, secundum quod est actus „ virtutis, sufficeret, qualitercumque fieret, „ etsi non esset tanta difficultas in uno mo- „ do, sicut in alio; tamen secundum quod „ est pars Sacramenti, habet determinatum „ actum, sicut & alia Sacramenta habent de- „ terminatam materiam. Et sicut in baptis- „ mo ad significandam interiorem ablutionem, „ assumitur illud Elementum, cujus est ma- „ ximus usus in abluendo; ita in actu Sacra- „ menti ad manifestandum ordinarie assumi- „ tur ille actus, quo maxime consuevimus „ manifestare, scilicet proprium verbum. „ Alii enim modi sunt inducti in supplemen- „ tum istius."

§. SECUNDUS.

Etiam ante Clementis VIII Decretum Confessio facta per litteras, vel internuncium irrita, ac nulla erat.

Hæc propositio est præsertim contra Morinum, qui, ut jam advertimus, quamvis nunc temporis talem confessionem invalidam esse consentiat; olim tamen ante Clementis Decretum eam valuisse defendit.

Probatur 1. SS. Ecclesiæ Patres universim docent peccatorum confessionem significatam esse in Leprosis, quibus Christus injunxit, ut ostenderent se Sacerdotibus, & in Lazaro, quem antea solvi voluit a discipulis institis, quibus obvolutus erat: quæ plane officia non per litteras, aut internuncium, sed per præsentium opus peracta sunt. Unde in cap. laudato *quem pœnitet* statuitur confessionem faciendam esse *corporali præsentia*, hac adhibita ratione, quia Dominus mundandis præcepit, ut Sacerdotibus ora propria detegerent. Non me quidem latet hujusce canonis Authoritatem parvipendi ab adversariis, quod a Gratiano excerptum fuerit ex libro *de vera, & falsa Religione*, qui Augustini fœtus genuinus minime creditur ab Eruditis, ut ille putavit. Verum quidquid sit de hujus libri scriptore; certum est ejus testimonium in Canone fuisse confirmatum, & ejusdem rationem canoni insertam ab aliis Patribus fuisse productam. Quare ipsus Authoritas, ab ipso Magistro sententiarum, & S. Thoma probata, rejicienda non est.

2. Trid. Synodus Sess. 14, Cap. 2, hæc habet: *Christus Dominus eos, qui se post baptismum crimine aliquo contaminaverint, ante hoc Tribunal* (Pœnitentiæ scilicet) *tamquam reos sisti voluit*. Ex quibus sic arguere licet: Sisti in judicio, si proprie loquamur, non est per litteras ad judicium deferri, sed ante Tribunal Judicis præsentari, ut consentiunt Jurisconsulti apud Brissonium *de verborum signif.* Si igitur ex Concilio Trid. constat Christum Dominum *voluisse, ut crimine aliquo post baptismum contaminati se sisterent tamquam reos ante tribunal pœnitentiæ*, aperte colligitur id nonnisi corporali præsentia fieri posse, non autem per litteras, aut internuncium.

3. Authoritate præstantissimorum Theologorum, qui hanc sententiam docuerunt, ut inter alios, Angelici Præceptoris supra laudati, & Synodi Nemausensis an. 1284 celebratæ, quæ, ut habetur in Collect. Lab. T. 9, 11 prope finem, inter cætera Confessionis præcepta, *item*, inquit, *non debet* (Pœnitens) *confiteri per Nuncium, nec per Scripturam, sed viva voce, ore proprio, & præsentialiter, ut qui per se peccavit, per se ipsum confiteatur, & erubescat.*

4. Suffragatur etiam ipsum Decretum Clementis VIII, & impensa cura Sedis Apostolicæ in damnanda, ac prohibenda sententia eorum Theologorum, qui opinionem aliorum quorumdam jam obsoletam suscitare nitebantur. Non enim credibile est S. Sedem tanto studio, tot repetitis Constitutionibus eam sententiam damnaturam fuisse, statim ac denuo in lucem producta fuit, si licitam ac validam Confessionem per litteras antea peractam credidisset.

5. Demum probat. satis luculenta ratione. Nam Sacramentalis Confessio debet esse contritionis actualiter in corde vigentis argumentum, & propositi in animo perseverantis indicium. Hoc autem, ut jam adnotavi, convenire neutiquam potest relationi criminum factæ per Epistolas, sive internuncium, ut patet. Ergo &c.

Objicies 1 plura exempla Confessionum, quæ per litteras factæ olim fuerunt. Insigne inprimis exemplum est, quod profertur ex Ep. quam conscripsit Robertus Episcopus Cenomanensis gravi infirmitate decumbens ad Episcopos extra muros Andegavis commorantes cum Principe Carolo obsidente Normannos, in qua delictorum suorum absolutionem poposcit: quam absolutionem concesserunt Episcopi per per aliam Epistolam e loco obsidionis datam: & utraque habetur Tom. 3 Conciliorum Galliæ. Alterum est Alcuini, qui in Epistola 63 ad Hadrianum Papam eum rogavit, *ut juberet salutiferæ pietatis verbo a peccatorum vinculis esse solutum*. Tertium exemplum Confessionis, & absolutionis per litteras subministrat Hidelboldus Episcopus Suesssonensis,

sis, quem absolvit Hincmarus, ut observat Sirmondus in *Notis* ad 3 volumen Conciliorum Galliæ, & constat ex Ep. ipsius Hincmari 40. Plura alia exempla Morinus affert hujusce generis, ut Potamii Episcopi Bracarensis, qui per litteras absolutionem impetravit a Patribus Concilii Toletani 10: Gregorii VII, qui non semel per litteras eamdem absolutionem largitus est: ac demum Alexandri III, qui absolutionem per Epistolam impendit S. Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi, uti referunt Card. Baronius ad an. 1164, & Mathaus Paris.

R. Ex omnibus his productis exemplis nihil extundi posse, quod propositioni nostræ refragetur. Respondere enim in primis generatim possumus juxta ea, quæ docet Morinus l. 10, C. 22, N. 6, litteris Pontificum ad absentes eatenus absolutionem concedi, quod *per indulgentiam expungitur pœnitentia canonica*; vel ea prætermissa pœnitens vigore illarum litterarum a Sacerdote possit absolvi, cui tamen præsenti confiteri debet. Addendum prætetea hujusmodi plures saltem absolutiones, de quibus fit mentio, intelligi commode posse a censuris, aut ad instar earum, quæ in aliquibus solemnitatibus quorumdam Ordinum subditis impenduntur cum facultate qua a legitimo Ministro absolvi valeant, supposita tamen Sacramentali Confessione. Id luculenter evincitur ex ipsa Epist. in objectione laudata Hincmari ad Hidelboldum, in qua prope eidem confessionem injungit inquiens: *Specialiter, ac singillatim Deo, ac Sacerdoti satage confiteri*, satis insinuans confessionem scripto peractam nequaquam sufficere ad ejus justificationem, ac salutem. Paria habentur in litteris Apostolicis Alexandri III ad S. Thomam Cantuariensem; ita enim absolutionem largitus est Summus Pontifex: *Si aliquid te recolis commisisse, de quo propria te debeat conscientia remordere; quidquid sit, Sacerdoti, qui discretus, & providus habeatur, tibi consulimus per pœnitentiam confiteri*. Ex ipso etiam Baronio ad ann. citatum liquet, eam Sum. Pontificis Epistolarem absolutionem fuisse a censura, quam S. Archiepiscopus se incurrisse metuebat, quod ab aliquibus deceptus Henrico II Anglorum regi adhæsisset. Atque ex his soluta remanet objectio, quæ ex productis exemplis conficitur, quin opus sit eadem singillatim expendere, ac discutere.

Objices 2. Matrimonium valide contrahitur inter absentes per procuratores. Ergo etiam inter absentes per litteras aut internuncium confici poterit Sacramentum Pœnitentiæ. Ex illo namque consequitur non esse de Sacramentorum novæ legis natura, ut solis præsentibus conferantur.

R. Juxta diversam, quæ de Ministro Sacramenti Matrimonii viget inter Theologos opinionem. Nam si sequaris eos Authores, qui sustinent Parochum ministrum esse hujus Sacramenti, dicendum est illud non confici, cum per procuratores initur contractus, sed cum Sponsi coram Sacerdote consensum innovant. Quod si tibi magis arrideat eorum sententia, qui defendunt ministros hujusce Sacramenti ipsos esse contrahentes; asserendum pariter est, tunc solum Sacramentum confici, quando Sponsi consensum per alios præstitum confirmant, sibique mutuam tradunt in corpus suum potestatem. Adeoque ruit objectio quocumque ex capite.

Objicies 3. Sacramentum Pœnitentiæ est quodam judicium, aut ad instar judicii peragitur. Atqui judicium exerceri rite potest etiam inter absentes, prout sæpe contingit in judiciis forensibus. Igitur

R. Absolutionem Sacramentalem non esse actionem dumtaxat reconciliantem in foro externo, sed effectricem gratiæ, interiorem mundationem producentem, & exigentem pœnitentium dispositionem Sacerdoti cognitam, qui ante se consistentes solvat a peccatorum nexibus. Quare judicium istud longe diversum est ab eo, quod in foro Sæculari exercetur: in quo etiam unum peccatum sine alio condonatur, & non confitenti absolutio conceditur, immo sine etiam proposito ullo emendationis peccatum aliquando dimittitur. Non est ergo urgenda similitudo judicii Sæcularis cum judicio Sacramentali, seu quod fit in Sacramento pœnitentiæ.

Objicies 4. Ad absolutionem excommunicationis, aliarumque censurarum non requiritur eorum, qui absolvuntur, præsentia. Ergo neque ad absolutionem culparum.

R. Excommunicatio, tametsi feratur ob peccatum, & contumaciam, est tamen censura Ecclesiastica separans a Communione & a participatione Sacramentorum, nec peccatum est, sed peccati pœna, adeoque ad ipsius, aliarumque censurarum absolutionem non requiritur quidquid necessarium est ad absolutionem a culpa: & impendi potest nedum absentibus, verum etiam repugnantibus, & ipsis quoque defunctis, quod plane nemo dixerit de Sacramentali absolutione a peccatis. Sequitur ¶

QUÆ-

QUÆSTIO NONA.

De Ministro Sacramenti pœnitentiæ.

Palmaris Waldensium & Wicleffistarum, ut sæpius observavimus, error fuit, bonos Laicos, non malos Sacerdotes, jus absolvendi habere. Affirmavit pariter Lutherus, spectato jure divino, fidelem quemlibet posse credentes absolvere. Contra illos sit

§. PRIMUS.

Ostenditur solos Sacerdotes legitimos Sacramenti pœnitentiæ esse Ministros.

Fidei sententia est, in Concilio Trid. confirmata, sess. 14, cap. 1, & 6, Can. 10 his verbis: „ si quis dixerit Sacerdotes qui in „ peccato mortali existunt, potestatem ligan„ di & solvendi non habere; aut non solos „ Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed „ omnibus & singulis Christi fidelibus es„ se dictum: *quæcumque ligaveritis super ter„ ram, erunt ligata & in cœlo, & quæcum„ que solveritis super terram, erunt soluta „ & in cœlo, & quorum remiseritis pecca„ ta, remittuntur eis, & quorum retinueri„ tis, retenta sunt*: quorum verborum virtu„ te quilibet absolvere possit peccata, publi„ ca quidem per correptionem dumtaxat, si „ correptus acquieverit; secreta vero per „ spontaneam correptionem: anathema sit.

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

Testimonia Scripturarum ex Matthæi 16 & 18, & Joannis 20 certissimum hujus veritatis præbent argumentum: ii enim soli legitimi Sacramenti ministri sunt, quibus solis ligandi solvendique potestas, & remittendi aut retinendi peccata, divinitus est concessa; atqui solis Apostolis, eorumque legitimis in Sacerdotio successoribus, quos in Apostolorum persona alloquebatur, potestatem hanc Salvator attribuit. „ Dominus autem, ait Concilium Trid. „ (*Sess.* 14, *c.* 1) Sacramentum pœnitentiæ „ tunc præcipue instituit, cum a mortuis ex„ citatus, insufflavit in discipulos suos dicens: „ *Accipite Sp. Sanctum, quorum remiseritis pec„ cata, remittuntur eis; & quorum retinue„ ritis, retenta sunt*. Quo tam insigni facto „ & verbis tam perspicuis, potestatem remit„ tendi & retinendi peccata, ad reconcilian„ dos fideles post baptismum lapsos, Aposto„ lis & eorum legitimis successoribus fuisse „ communicatam, universorum patrum con„ sensus semper intellexit: ergo &c. “

PROBATIO SECUNDA

Ex traditione.

Deinde illud dogma certa & indubitata fide tenendum est, quod in divinis Apostolicisque traditionibus continetur; atqui solos Sacerdotes habere jus administrandi pœnitentiæ Sacramentum, docet perpetua & numquam interrupta traditio. Nam

1. Antiquissima Græcorum Euchologia & Ritualia Latinorum, quoties dandæ reconciliationis modum & formam præscribunt, nemini præter Sacerdotem ministerium illud attribuunt.

2. Conciliorum plena in hoc dogmate consensio est. Quoties enim in illis de clavium potestate mentio fit, solis Sacerdotibus earum ministerium vindicatur.

3. Patres ubique clamant, absolvendi potestatem solis Episcopis & presbyteris esse concessam.

Sic S. Cyprianus: *confiteantur singuli*, inquit, (*lib. de Lapsis*) *quæso vos dilectissimi delictum suum, dum ..... remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est .... pœnitenti, operanti, roganti, potest clementer Deus ignoscere, potest in acceptum referre, quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.*

Et S. Ambrosius, potestatem peccata remittendi expendens: *hoc*, inquit (*lib.* 1, *de pœnit. cap.* 2) *jure vindicat Ecclesia, quæ veros Sacerdotes habet: hæresis vindicare non potest, quæ Sacerdotes Dei non habet.*

S. Joannes Chrysost. (*lib.* 3 *de Sacer. cap.* 5) *terram incolentibus commissum est, ut ea quæ in cælis sunt dispensent &c.*

Innocentius I Potifex Max. (*Ep. ad Decent. c.* 7) *cæterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis: ac tunc jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.*

S. Leo Magnus: (*Ep.* 82) *mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus pœnitentiæ actionem darent, & eosdem salubri confessione purgatos, ad communionem Sacramentorum, per januam reconciliationis admitterent.*

S. Aug. docens quandonam Episcopo & Ministris fugere liceat, imminente persecutionis periculo: *an*, inquit, (*Ep.* 228, *al.* 180) non co-

cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quatenus in Ecclesiæ fieri soleat ab utroque sexu, atque omni ætate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium, & quorumdam quanta blasphemia, de absentia ministrorum? . . . . . Sic autem ministri adsint, pro viribus quas eis Dominus subministrat; omnibus subvenitur: alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur.

Quorum similia alii quos sæpe laudavimus passim affirmant: ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex Theologica ratione:

Nec deest plausibile rationis argumentum ex fidei doctrina petitum: conveniens namque erat, ut iis solis in mysticum Christi corpus tribueretur auctoritas, quibus solis ad corpus ejus naturale consecrandum potestas committebatur; atqui solis Sacerdotibus dictum a Christo, quando Eucharistiæ Sacramentum instituit: *hoc facite in meam commemorationem*. Ad illos ergo pariter hæc ejus verba directa sunt: *Accipite S. Sanctum: quorum remiseritis peccata &c. Dicendum, inquit S. Thomas*, (*Supp. quæst. 8, art. 1*) *quod gratia quæ in Sacramentis datur, a capite in membra descendit: & ideo solus ille minister est Sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super Corpus Christi verum, quod solius Sacerdotis est, qui consecrare Eucharistiam potest: ideo cum in Sacramento pœnitentiæ gratia conferatur; solus Sacerdos minister est hujusmodi Sacramenti: & ideo ei soli facienda est Sacramentalis confessio, quæ ministro Ecclesiæ fieri debet.*

§. SECUNDUS.

Proponuntur & resolvuntur objectiones.

Opponitur. Liceat baptizandi potestas in Evangelio solis videatur Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus tradita; potest tamen quilibet homo saltem in casu necessitatis conferre baptismum. Ergo a pari in casu simili potest omnis homo a peccatis absolvere.

R. Nego conseq. & paritatem. Disparitas est, inquit S. Thomas, (*ib. ad 2*) *quia baptismus est magis Sacramentum necessitatis quam pœnitentia, quantum ad confessionem & absolutionem: quia quandoque baptismus prætermitti non potest sine periculo salutis æternæ, ut patet in pueris qui non habent usum rationis. Sed non est ita de confessione & absolutione, quæ tantum ad adultos pertinet, in quibus contritio cum proposito confitendi, & desiderio absolutionis sufficit ad liberandum a morte æterna* . . . ita Angelicus Doctor. Cur autem baptismus possit a quolibet in casu necessitatis conferri, pœnitentia non possit; non aliunde quam a suprema Dei voluntate repeti debet ejus voluntas, quam ab Ecclesia magistra exquiri. Si enim in dijudicandis Religionis dogmatibus humana ratio contra scripturæ & traditionis tramitem audiretur, funditus omnia ruerent, nedum defendi valide possent.

Inst. 1. Atqui de pœnitentia ac de baptismo idem judicium esse debet: ergo &c.

Pr. subs. auctoritate S. Jacobi. *Confitemini*, inquit, (*Ep. cap. 5, v. 16*) *alterutrum peccata vestra*. Unde sic enascitur argumentum: qui potest præfici audiendæ confessioni, potest pariter absolvendi ministerium exercere; atqui Beatus Jacobus cum indefinite loquatur, audiendi confessiones potestatem omnibus facit: ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & ad argumentum inde ductum:

1. Concessa maj. n. min. hæc enim verba: *confitemini alterutrum*: istis immediate conjuncta sunt: *infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum .... & oratio fidei salvabit infirmum .... & si in peccatis sit, remittentur ei*. Ergo his verbis: *confitemini alterutrum*: hoc unum significatur, solis Sacerdotibus confessionem esse faciendam, quibus solis auctoritas absolvendi commissa est: „ confitemini alterutrum, *inquit Hugo a* „ *S. Victore*, hoc est homines hominibus, oves „ pastoribus, subjecti prælatis, Laici Sacerdo- „ tibus, ii qui habent peccata, iis qui pec- „ cata dimittendi habent potestatem " ... & vero hoc argumentum quam tenue sit & imbecillum vel inde patet, quod verba Jacobi Latini, & Græci plerique omnes de pœnitentiæ Sacramento plena consensione intellexerint; atqui nemini unquam in mentem venit, ex hac Apostoli sententia eruere, posse quemlibet indifferenter esse reconciliationis ministrum; sed hæc potestas solis semper est Sacerdotibus vindicata: ergo &c.

2. Dist. maj. qui potest præfici audiendæ confessioni *Sacramentali*; potest absolvendi mi-

ministerium exercere, conc. *confessioni non Sacramentali*, n. maj. Et eadem distinctione ad minorem applicata, n. conseq. confessio Sacramentalis est, qua quis ideo vulnera conscientiæ aperit, ut Ecclesiæ clavibus, & ministrorum Christi jurisdictioni semetipsum subjiciat. Cæterum si quis laico vel inferiori ministro, peccata ex humilitate declaret, cum confessio hæc Sacramentalis non sit, non inde sequitur, quod qui audire peccata potuit, habeat absolvendi auctoritatem. Unde si eo sensu textus Apostoli explicetur, palam est nihil difficultatis habere.

Inst. 2. S. Aug. Ambrosius, & alii passim Doctores affirmant, potestatem ligandi atque solvendi bonis omnibus divinitus esse concessam, impiis denegatam: ergo &c.

R. Dist. ant. simul & explico mentem Patrum: affirmant bonis omnibus convenire potestatem ligandi atque solvendi, *via impetrationis* conc. *Sacramentaliter*, n. ant. & conseq.

E. R. Modus absolvendi alius Sacramentalis, alius impetratorius est, in justorum gemitibus & orationibus consistens. Primus solis Sacerdotibus convenit, quibus dictum est: *Accipite S. Sanctum* &c. Secundus cuilibet justo sive in terris degenti, sive in cælis regnanti merito vindicatur; quia justo cuilibet convenit, Deum pro peccatoribus obsecrare. Hinc in hymno de B. Virgine dicitur: *solve vincla reis ... nos culpis solutos mites fac & castos ...* & in hymno Apostolorum: *Nos a peccatis omnibus solvite jussu quæsumus*. De hoc absolvendi modo debent intelligi, quæ ex Patribus opponi possunt, eoque magis quod aliunde constet, Ambrosium, Aug. & alios, solis Sacerdotibus clavium & absolvendi Sacramentaliter ministerium vindicasse.

Inst. 3. saltem Diaconis hæc potestas in absentia Sacerdotum negari non posse videtur: ergo &c.

Prob. subs. variis momentis.

1. S. Cyprianus: *occurrendum puto*, inquit, (*Ep.* 13) *fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus exceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint; ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum, cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt.*

2 Synodus *Eliberitana* sub initium 4 sæculi habita, can. 32 decrevit, *posse diaconum si Sacerdos jusserit, dare pœnitentibus Communionem*, reconciliationem scilicet.

3. *Alcuinus*, *Ordo Romanus*; & plerique alii priscæ ætatis scriptores, statuunt *in absentia Episcopi & presbyteri, a Diacono deberi suscipi pœnitentes, & Sancta Communione donari*: ergo &c.

R. nego subs. ad probat. admitto auctoritates, & dist. conseq. Diaconis convenit auctoritas absolvendi, *a censuris & pœnis canonicis*, conc. *absolvendi a peccatis*, subdist. *absolutione cæremoniali & deprecatoria*, conc. *absolutione Sacramentali*, n. conseq.

E. R. Absolutio altera est a censuris & pœnis satisfactoriis, altera a peccatis. Datur absolutio a censuris, quando solvitur aliquis a vinculo excommunicationis, suspensionis, aut interdicti; absolutio a pœnis satisfactoriis fit, quando alicui remittuntur pœnæ, quibus ad rigorem Canonum erat obnoxius.

Absolutio a peccatis est, quando a reatu peccatorum quis liberatur: eaque iterum duplex: altera Sacramentalis, quæ a Sacerdote virtute clavium per modum veri judicii pronunciatur, his aut similibus verbis: *ego te absolvo*: altera mere cæremonialis, qua minister non tam absolvit pœnitentem, quam intercessor est apud Deum, ut absolvatur: quomodo quando laicus Sacerdoti sacrum operanti ministrans, audita ejus confessione respondet: *misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam*: hoc posito dico,

1. Diaconos olim habuisse potestatem absente Episcopo ac Presbytero, absolvendi ab excommunicatione, aliisque censuris Ecclesiasticis, nec mirum: cum etiam hodie ab Archidiacono eadem absolutio dari possit, licet in solo Diaconatus ordine sit constitutus. Immo ex constitutionibus Apostolicis certum est, olim Diaconos, absente Presbytero excommunicandi auctoritatem habuisse; (*Const. Apost. lib.* 8) atque adeo absolvendi, cum ad eumdem pertineat absolvere, cujus est ligare.

2. Potuisse similiter Diaconos in casu necessitatis, & in Episcoporum ac Presbyterorum absentia, absolvere pœnitentem, si mors aut persecutio immineret, a pœnis canonicis & satisfactoriis. Cum enim hæc absolutio, eo maxime tempore quo vigebat pœnitentia publica, ad forum externum pertineret; Diaconis, immo & ministris inferioribus committi poterat illius impartiendæ officium.

3. Fateor a Diaconis pœnitentes a peccatis aliquatenus absolutos: sed nego absolutionem hanc Sacramentalem fuisse, quippe quæ clavium potestate non niteretur, quam ex Scriptura & traditione constat solis Presbyteris esse conces-

concessam. Non ergo Sacramenti pars, sed simplex cæremonia erat, ad fidem & contritionem excitandam pie instituta.

Inst. 4. Atqui absolutio data a Diaconis putabatur, vereque erat Sacramentalis. Ergo &c. prob. subs. ex verbis S. Cypriani supra relatis. *Occurrendum*, inquit, *puto Fratribus nostris*, *ut . . . . si Presbyter repertus non fuerit*, & *urgere exitus cœperit*, *apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint*; & *manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace*, *quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt*.

Hinc sic arguitur:

Absolutio Sacramentali remissioni per omnia similis putabatur, vereque erat Sacramentalis; atqui talis erat absolutio facta a Diaconis: eam enim, non secus ac in Sacramento pœnitentiæ, exomologesis, sive peccatorum declaratio præcedebat: deinde manuum impositio sequebatur quam Diaconus in Sacerdotis absentia, ritu simillimo faciebat ad pœnitentium reconciliationem: ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. auctoritatem recipio: & n. maj. inde assumptam: non enim, ut sæpe observavimus, ab eo quod exterius fit, ratio Sacramenti dependet: sed spectandum a quo, quo fine, & erga quem fiat: habenda nimirum ratio ministri, propositi, & subjecti: ita ut, si neque minister sit idoneus, nec Sacramentum fieri intendatur, nec subjectum capax ejus suscipiendi, hoc ipso Sacramentum non sit, quantumlibet externam ejus speciem imitetur: sic enim e.c. quando olim fœminæ Diaconissæ consecrabantur, idem pene ritus, qui in ordinatione Diaconorum observabatur, ut libro octavo dicemus: hæc tamen consecratio nec verus erat Diaconatus, nec Sacramentum verum; propterea quod fœminis sacræ ordinationis incapacibus conferretur; similiter antiquitus fideles in absentia Sacerdotum certis diebus conveniebant, ut sacræ Liturgiæ ritus, affectu pietatis, modo quo poterant convenientiore ræpresentarent atque imitarentur: proponebant scilicet panem & vinum: verba Evangelica ad sacrificium pertinentia recitabant, longasque preces fundebant: tamen nec vere conficiebant Corpus & Sanguinem Christi, nec verum sacrificium offerebant; quia rei sacræ solis Sacerdotibus attributæ potestatem non habebant: similiter ergo dicendum absolutionem datam a Diaconis, etiam si Sacerdotali penes externum ritum foret in omnibus similis, & subjectis ejus capacibus conferretur; hoc ipso tamen Sacramentalem non fuisse, quo a Diaconis clavium ministerii incapacibus fieret.

Inst. 5. Illa absolutio vere erat Sacramentalis, qua idem obtinebatur effectus, ac si a Sacerdote data fuisset; atqui ex S. Cypriano per absolutionem a Diaconis factam idem obtinebatur effectus, ac si a Sacerdote data fuisset: *apud Diaconum quoque*, inquit, *exomologesin facere delicti sui possint*, *ut veniant ad Dominum cum pace*: ergo &c.

R. Data maj. dist. min. per absolutionem Diaconis factam idem obtinebatur effectus, ac si a Sacerdote data fuisset, *quantum ad liberationem a censuris*, conc. *quantum ad remissionem peccatorum*, & *reconciliationem cum Deo*, subdist. *ex opere operantium*, conc. *ex opere operato*, n. min. & conseq.

E. R. Vere, ut prædiximus, a censuris & pœnis satisfactoriis Diaconi in casu necessitatis absolvebant. Quantum vero pertinet ad peccata, ea quidem ut modo dicebamus, per modum impetrationis aliquatenus dimittebant, non vero Sacramentaliter. Itaque quod accepta a Diaconis reconciliatione, *ad Dominum pœnitentes cum pace* venirent, non erat ille effectus actioni Diaconorum, sive operi; absolutioni nimirum ab illis acceptæ, attribuendus, sed operi operantium, pietati scilicet & fervori pœnitentium, quem vehementissimum fuisse dubitare non possumus, cum tanta, anteactis pœnitentiæ laboribus, contritionis cum Sacramenti percipiendi voto conjunctæ, tamque splendida signa dedissent.

Inst. 6. *Gratianus*, *Magister sentent.* & plerique alii veteres Scriptores, absolutioni a Diaconis, imo & a Laicis in casu necessitatis acceptæ, tantum virtutis attribuunt, quantum absolutioni Sacerdotali: ergo &c.

R. Nego ant. Qui enim volunt absolutionem hujusmodi non valere, nisi quatenus adeundi Sacerdotis, & Sacramenti ab eo suscipiendi votum conjunctum habet, eamdem profecto ei virtutem non tribuunt. Atqui hæc est *Gratiani*, *Magistri sentent.* & aliorum doctrina. *Tanta vis est confessionis*, ait iste, (*lib.* 4 *sentent. dist.* 17) *ut si deest Sacerdos*, *confiteatur* (*pœnitens*) *proximo . . . . Et si ille cui confitebitur potestatem solvendi non habet*, *fit tamen dignus venia*, *ex desiderio Sacerdotis*, *qui socio confitetur turpitudinem criminis . . . .* Nec alia *Gratiani* in Decreto, aliorumque sententia est, quorum verba describit *Morinus* l. 8 de pœnit. c. 23, & 24.

Instab. 7. Vel fatendum absolvendi ministerium Diaconis ex officio convenire; vel si hoc eis jus detraxerimus, erit pariter simplicibus presbyteris, ex antiqua disciplina denegandum. Illi enim non habebantur pro veris Sacramenti ministris, quibus prohibitum erat pœnitentes absolvere; atqui simplicibus presbyteris olim vetitum erat pœnitentes absolvere. Qua de re audiendus iterum S. Cyprianus supra laudatus

datus (*Ep.* 13): *occurrendum tuto*, inquit, *fratribus nostris, ut . . . . si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari eis martyres litteris ad nos factis desiderarunt.*

Nec minus evidens est alterum ejusdem S. Martyris testimonium, ubi (*Ep.* 13) quorumdam presbyterorum audaciam vellicans, qui jus absolvendi sibimet arrogare præsumpserant: *audio quosdam de presbyteris*, inquit, *nec Evangelii memores, nec quid ad nos Martyres scripserint cogitantes, nec Episcopo honorem Sacerdotii sui & Cathedræ reservantes, jam cum lapsis communicare cœpisse, & offerre pro illis, & Eucharistiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem pervenire. Nam cum in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur justo tempore, & exomologesis fiat, inspecta vita ejus qui agit pœnitentiam: nec ad communicationem venire quis possit, nisi prius illi ab Episcopo & Clero manus fuerit imposita: quanto magis in his gravissimis & extremis delictis, caute omnia & moderate, secundum disciplinam Domini observari oportet?*

Inde sic instauratur argumentum:

Illis vetitum erat absolvere, ad quos recurrere nisi in casu necessitatis non permittebatur, quique in his circumstantiis nihil plus habebant quam Diaconi. Atqui ad presbyteros recurrere, in solo casu necessitatis permittebatur, nec plus eis in iis augustiis, quam Diaconis tribuebatur, nisi quod pro honore Sacerdotii ministris inferioribus præferebantur: ergo &c.

R. Nego ant. Ad probat. concessa maj. dist. min. simplicibus presbyteris vetitum erat absolvere pœnitentes, *privatos, qui nimirum pœnitentiam secreto agebant*, n. *pœnitentes publicos*, subdist. vetitum erat *Ecclesiastico Canone*, conc. *jure Divino*, n. min. & conseq.

E. R. Nihil hoc argumento jactatur, nisi quod ultro concedimus, nimirum pœnitentes publicos absolvendi, solis Episcopis antiquitus potestatem Canone Ecclesiastico reservatam. *Exigebat enim Ecclesiæ disciplina*, inquit Morinus, (*lib.* 9, *cap.* 23) *ut publicæ pœnitentiæ rei ab Episcopo, aut illius jussu reconciliarentur*. Eoque pertinet Canon. 3 Concilii II Carthag. his verbis conceptus: *ab universis Episcopis dictum est . . . . reconciliare quemquam in publica Missa presbyteris non licere*. Hinc pristinis illis sæculis, summa Episcoporum erga pœnitentes vigilantia & cura fuit, utrum imposita satisfactionis opera diligenter & animo vere contrito implerent. Hinc solis Episcopis in Concilio Nicæno (*Can.* 12) legimus potestatem factam aliquid de severitate pœnitentiæ relaxandi. *Liceat Episcopo*, inquit, *aliquid humanius de iis statuere*.

Neque tamen hinc sequitur simplices presbyteros jus absolvendi non habuisse suæ ordinationi annexum: quomodo non sequitur ministros baptismi ordinarios non fuisse, quia primis sæculis a solis fere Episcopis baptisma solemne conferebatur. Pro certo namque tenemus eos secreto pœnitentibus absolutionem dedisse, ut ex auctoritatibus in probationem adductis est manifestum, quin & publice pœnitentibus dare pariter potuisse, quia divinum jus disciplina contraria non infringit.

Indeque patet ad argumentum sequens responsio. Admissis enim auctoritatibus, & concessa majore, dist. primam partem minoris: ad presbyteros recurrere in solo casu necessitatis permittebatur, & *hæc erat meræ disciplinæ præscriptio*, conc. *ad jus divinum pertinere putabatur*, n. min. & conseq.

Alteram vero argumenti partem qua dicitur, nihil plus presbyteris quam Diaconis esse tributum, pariter dist. *quantum ad dispensationem ab Ecclesiastica Regula*, secundum quam soli Episcopi publice pœnitentes absolvebant, conc. *habita ratione divini juris*, quasi non magis presbyteris quam Diaconis competeret auctoritas absolvendi, n. min. Utraque solutio ex dictis patet, nec majore indiget explicatione.

Inst. 8 & ultimo. Atqui existimabat S. Cyprianus, absolvendi potestatem solos Episcopos jure divino habere: ergo &c.

Prob. subs. ex ejus verbis supra relatis: *Audio*, inquit, *quosdam de presbyteris, nec Evangelii memores . . . Nec Episcopo honorem Sacerdotii sui & Cathedræ reservantes, jam cum lapsis communicare cœpisse &c.* Censebat ergo S. Martyr absolvendi potestatem, ad honorem Episcopatus & Cathedræ jure divino pertinere.

R. Nego sub. ad probat. admissa iterum auctoritate, n. conseq. cujus falsitatem textus ipse & scopus S. Doctoris demonstrat. Agitur hic de quibusdam presbyteris, qui contra Evangelii vigorem, pacem indulgentia præcipiti dabant, & auctoritatem a pœnis Canonicis absolvendi solis Episcopis ad honorem Cathedræ, Canone Ecclesiastico reservatam, temerario usurpabant. Nihil ergo ad præsentem quæstionem hæc argumentatio facit. Tantum enim de

jure divino agimus, quo contendimus cum ipso S. Cypriano, potestatem absolvendi Sacerdotio esse necessario annexam: nec negamus ejus exercitium primis temporibus solis Episcopis, ex disciplina Ecclesiastica communiter attributum.

§. TERTIUS.

Resolvuntur pleræque quæstiones apprime necessariæ.

Quæritur 1. Utrum hoc ipso quod aliquis est Sacerdos, valide absolutionem impartiri possit?

R. Negative. Nam præter potestatem ordinis quam omnis & quilibet Sacerdos, sua ordinatione acceptam habet, omnino necessaria est potestas jurisdictionis, quam non omnes, ut prædictum est, indifferenter habent. Ita definitum in Concilio Trid. (*Sess. 14, cap. 7*) *quoniam igitur*, inquit, *natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Ita S. Synodus: & sane cum pœnitentiæ ministerium ad modum forensium judiciorum exerceatur; de utrisque debet, saltem in hac parte, idem censeri. Atqui in causis forensibus non omnis Judex habet exercendi in quemlibet judicii potestatem, sed in eos tantum qui sibi subditi sunt. Sic enim e. c. Senatus Mediolanensis causas non usurpat, quæ intra Senatus Tauriensis jurisdictionem continentur; nec vice versa: ergo &c.

¶ Quæritur 2. An saltem quilibet simplex Sacerdos absolvere possit a peccatis venialibus?

Antequam respondeo, præmitto id quod legitur in Decreto Innocentii XI, circa frequentem Communionem edito die 12 Februarii an. 1679, ubi sub initium refert abusum hunc, quo *quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.* Ac postea circa finem hæc statuit: *Non permittant ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi & Confessarii etiam regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, scient Deo Optimo Maximo se rationem esse reddituros, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes etiam Regulares, etiam S. J. facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc decretum per Sedem Apost. specialiter tributa.* Hoc posito:

Quidquid contra sentiant aliqui mollioris Ethices Theologi, Resp. Illicitam, & invalidam esse absolutionem a peccatis venialibus a simplici Sacerdote, sive non approbato ab Ordinario tributam. Ratio est: quia nullibi constat sacerdotes hac jurisdictionis potestate donatos vel a Christo Domino, vel ab Ecclesia. Non a Christo, a quo duntaxat Potestas Ordinis omnibus sacerdotibus collata est cum dependentia ab Ecclesiæ Prælatis quoad ejus exercitium. Sed neque ab Ecclesia. Potius enim oppositum ex illa evincitur: cum voce Innocentii XI hujusmodi confessiones prohibuerit; & sacerdotes eas temere audire præsumentes gravi pœnæ per Episcopos, aut Ordinarios irrogandæ subjecerit. Profecto absurda omnino & periculo exposita est hæc confessionum venialium peccatorum auditio. Difficillimum quippe est discernere inter veniale, ac mortale: pluresque leve esse crederent, quod reipsa grave est, adeoque ex hac falsa persuasione absolutionem impenderent super materia, de qua certo ipsis judicare non licet, carentque judicandi, & absolvendi potestate, præter alia inconvenientia, quæ facile ex illius sententiæ praxi consequerentur.

Inquies: D. Thomas *q. 8, suppl. a. 3*, etiam Laico concedit, ut audire valeat venialium confessionem. Ergo id multo magis conveniet simplici sacerdoti.

R. S. Doctorem eo loco non loqui de confessione Sacramentali, seu quæ sit pars Sacramenti Pœnitentiæ, sed de Confessione, quæ causa humilitatis peragitur, & ad ea quæ *Sacramentalia* appellantur, revocatur. Id liquet ex verbis ejusdem. Ibi enim ait: *per peccatum veniale homo, nec a Deo, nec a Sacramento Ecclesiæ separatur. Et ideo non indiget novæ gratiæ collatione ad ejus dimissionem, neque indiget reconciliari Ecclesiæ. Et propter hoc non oportet, quod venialia aliquis sacerdoti confiteatur. Et quia ipsa confessio laico facta Sacramentale quoddam est, & est ex charitate procedens, talibus natum est veniale remitti, sicut per tunsionem pectoris, & per aspersionem aquæ benedictæ.*

Atque hoc sensu intelligendæ & explicandæ sunt quædam locutiones, aut monita, quæ leguntur in quibusdam antiquis: ut illa, quæ habetur in *Regulis brevior.* S. Basilii: *honestius, cautiusque per Antistitem seniori confessio fiet, qui multa experientia edoctus possit & pœnitentiæ, & correctionis modum suggerere.* Cui paria sunt exempla Confessionis per Abbatissam factæ, quæ proferunt Mabillonius Præf. 1 in sæc. 3, & Martene de antiquis Rit. T. 2, pag. 39. Nam hujusmodi confessiones humilitatis causa factæ sunt, non autem ad Pœnitentiæ

tiæ Sacramentum pertinebant, nisi forte alio peccata fratrum aut sororum annunciante, rata ipsi haberent, & coram sacerdote confirmarent. ¶

Quæritur 2. Quis sacerdos jurisdictionem habeat?

R. Jurisdictionem habere,

1 Eos omnes quibus cura animarum incumbit: quales sunt Pontifex Max. Episcopi, Parochi, & alii denique quibus animas regere ex officio aut beneficio convenit.

2 Eos omnes qui ad audiendas confessiones ab iis immediate delegantur, qui ex officio jurisdictionem exercent. Hinc jurisdictio, ut prædiximus, duplex: ordinaria, & delegata.

Unde sequitur, eos, qui nec curam animarum ex officio habent, nec sunt a superioribus delegati, cum jurisdictionem nullam habeant, non posse a peccatis absolvere, quamdiu ab Ordinariis locorum non fuerint expresse & specialiter approbati.

Objectio.

Dices. Omnibus indiscriminatim Sacerdotibus quando consecrantur ab Episcopis dicitur: *Accipite Sp. Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Habent ergo omnes æquale jus absolvendi.

R. Dist. conseq. habent omnes æquale jus absolvendi: *Si ratio potestatis ordinis habeatur*, conc. *Si potestatis jurisdictionis*, n. Solutio patet ex dictis.

Dices iterum. Inutilis ergo potestas est ordinatione accepta, cum in actum reduci sine nova jurisdictione non possit.

R. Nego cons. inutilis enim ea potestas censenda non est, quæ nisi præcederet, jurisdictionis potestas dari non posset; atqui nisi Sacerdos ordinis potestatem ante haberet, jurisdictionem ad audiendas confessiones non posset Ecclesiastica ulla auctoritate recipere. Ergo nedum inutilis, omnino necessaria est dicenda. Nam quemadmodum si Rex alicui faceret potestatem forensia judicia exercendi; nec tamen ei subditos assignaret, sed eorum determinationem pro-Regi in Provincia constituto permitteret, non censeretur potestatem inutilem concessisse; ita nec Episcopus inutiliter novis Sacerdotibus dicit: *Accipite Sp. Sanctum &c.* licet subditos eis nondum assignet, sed eorum determinationem vel sibi, vel alteri reservet in posterum.

Dices 3. Distinctio hæc duplicis potestatis, ordinis nimirum & jurisdictionis, primis Ecclesiæ temporibus vix cognita erat: ergo nec etiamnum locum habet.

R. 1. Nego ant. ab ipsis enim Ecclesiæ primordiis magna fuit patrum in hujus duplicis potestatis distinctione diligentia. Nam nec Episcopi poterant extra suas Diœceses ordinationes facere, & Episcopalia munia obire; nec Parochi suarum parœciarum limites, ad curam animarum prætergredi. Quorsum vero, nisi quia duplicis potestatis distinctio observabatur?

R. 2. Transeat ant. & neg. cons. ideo enim primis temporibus erga simplices presbyteros duplicis hujus potestatis distinctio communiter non fiebat, quia nemo promovebatur ad Sacerdotium, quin simul alicui addiceretur Ecclesiæ, & ad regendam plebis aliquam portionem destinaretur: quo fiebat, ut uno eodemque tempore utramque potestatem Sacerdotes reciperent. Quia vero successu temporis prodigiose numerus Sacerdotum accrevit, cum omnibus qui ordinabantur, cura animarum non potuerit demandari: ideo cœpit duplicis potestatis distinctio majori fieri cautione, ne videlicet qui sine beneficio, soloque patrimonii titulo, aut nutu Episcoporum ordinarentur, jus sibi Sacri pœnitentiæ ministerii arrogare præsumerent.

Quæritur 3. Utrum Sacerdos in una Diœcesi ad audiendas confessiones approbatus, hoc ipso possit in aliis Diœcesibus sine nova aliorum Episcoporum approbatione confessiones excipere?

R. Negative. Quam enim habet jurisdictionis sive clavium delegatam potestatem, ab Episcopo acceptam habet; adeoque major in illo esse non potest, quam in Episcopo approbante. Atqui Episcopus in alienas Diœceses jurisdictionem non habet: ergo eam conferre nemini potest: alioquin enim plus dare posset, quam ipse haberet, quod absurdissimum est. Unde quorumdam contraria sententia asserens, *Regulares ordinum mendicantium semel approbatos ab uno Episcopo, ad confessiones audiendas in sua Diœcesi, haberi pro approbatis in aliis Diœcesibus, nec nova indigere Episcoporum approbatione*, ab Alexandro VII Pontifice Max. & a Clero Gallicano, *tamquam falsa, saluti animarum perniciosa, & ordinis perturbativa*, damnata est.

Quæritur 4. Utrum in una Diœcesi approbatus, pro semper, & quoad omnes ejusdem personas approbatus censendus sit?

R. Negative. Sacerdotes enim de quibus in præsenti agimus, non habent ordinariam, seu annexam beneficio, sed delegatam jurisdictionem. Atqui natura delegatæ jurisdictionis in eo consistit, ut præscriptos a delegante limites non excedat, sed quantum ad tempus, locum, & personas, & materiam restringi possit. Ergo non ideo aliquis pro semper approbato

bato haberi debet, quia semel fuerit approbatus: sed standum omnino est terminis ab Episcopo delegante præstitutis. Quod qui negant, jus ipsum naturale offendunt, veramque totius Regiminis ideam evertunt. Quid enim si quis a Republica, vel a Principe, ad exercendam loci alicujus temporariam præfecturam fuerit delegatus; numquid ideo præfectus semper & ubique, etiam Principe renuente, futurus est? Quod si nemo sapiens dixerit, neque etiam admittet in Regimine spirituali quod in suis quique Diœcesibus Episcopi habent, a Sp. Sancto positi ad regendam Ecclesiam Dei. Hinc temeraria quorumdam præsumptio, affirmantium, *ubi Concilium Tridentinum receptum est, non posse Episcopos restringere vel limitare approbationes quas Regularibus concedunt, ad confessiones audiendas*, a Clero primum Gallicano, ac postmodum ab Alexandro VII velut *falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim & Schisma inducens, Sacro Concilio Trid. & Sedi Apost. injuriosa repressa est*.

Quæritur 5. Utrum Sacerdos titulo beneficii habens ordinariam in sua Parochia jurisdictionem, per totam Diœcesim sit approbatus?

R. 1. Negative, si juris ratio habeatur. Quam ille possidet jurisdictionem limitibus Parochiæ continetur, nec potest ultra effundi. Ergo in alienis Parochiis sine Episcopi approbatione, nequit pœnitentiæ ministerium exercere, pari ratione qua nequit Episcopus in Diœcesi aliena Episcopalia munia pro arbitrio exercere. " Hinc Sacra Eminent. Cardinalium „ congregatio interrogata, an provisus de Ec„ clesia Parochiali per concursum, censendus „ sit approbatus idoneus minister ad audien„ das confessiones in illa Diæcesi in qua il„ lam Parochiam obtinet? Respondit censeri „ dumtaxat in ea civitate vel oppido, ubi si„ ta est Parochialis, non autem passim per „ totam Diœcesim: " ut refert *Piasecius* in praxi Episcopali, *part*. 2, *c*. 1, *n*. 10.

R. 2. Ex vi consuetudinis & taciti Episcoporum consensus, censeri Parochos in tota Diœcesi ad audiendas confessiones approbatos, ita ut in omnibus Parochiis de solo consacerdotum consensu, etiam si specialem ab Episcopo approbationem non obtinuerint, valeant confessiones excipere: cujus consuetudinis hæc origo fuit. Usus jam pridem invaluit, ut presbyteri simplices, sive sæculares, sive Regulares, titulum beneficii ac proinde jurisdictionem ordinariam non habentes, hoc ipso quo essent ab Episcopis ad sacrum ministerium deputati, per totam late diœcesim approbati censerentur reveraque essent: iniquum porro videbatur, ut quæ, jurisdictionem ordinariam non habentibus, concedebatur facultas, ministris ordinariis negaretur, itaque haud immerito ab Episcopis est concessum, ut parochi eodem privilegio uterentur: sua tamen stetit Episcopis illæsa auctoritas, qua possunt consensum hunc revocare, & parochos propriis limitibus continere.

Q. 6. Utrum hoc ipso quod aliquis vel ordinariam, vel delegatam habet jurisdictionem, possit ab omni indifferenter peccato, sine nova concessione absolvere?

R. Negat. requiritur enim prætereа potestas absolvendi a casibus reservatis; ita Concilium Trid. (*Sess*. 14, *c*. 7) „ magnopere vero, *in„ quit*, ad christiani populi disciplinam per„ tinere, Sanctissimis patribus nostris visum „ est, ut atrociora quædam, & graviora cri„ mina, non a quibusvis, sed a summis dun„ taxat Sacerdotibus absolverentur: unde me„ rito Pontifices Max. pro suprema potestate „ sibi in Ecclesia universa tradita, causas ali„ quas criminum graviores, suo potuerunt pe„ culiari judicio reservare; neque dubitandum „ est, quando omnia quæ a Deo sunt, ordinata „ sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua „ cuique diœcesi, in ædificationem tamen, „ non in destructionem liceat, pro illis in „ subditos tradita, supra reliquos inferiores „ Sacerdotes auctoritate, prætertim quoad il„ la quibus excommunicationis censura anne„ xa est: hanc autem delictorum reservatio„ nem, consonum est divinæ auctoritati, non „ tantum in externa politia, sed etiam co„ ram Deo vim habere . . . (*ibid. Can*. 11) „ si quis dixerit Episcopos non habere jus re„ servandi sibi casus, nisi quoad externam po„ litiam, atque ideo casuum reservationem „ non prohibere quominus sacerdos a reserva„ tis vere absolvat: anathema sit ".

Q. 7. Si urgeat casus necessitatis, utrum possit sacerdos quilibet, etiam non delegatus, & a quolibet peccato absolvere?

R. Affirmative: semper enim Ecclesia intellexit, in casu necessitatis posse a Sacerdote quolibet absolutionem ab omni peccato, sine ulla exceptione impendi: „ pie admodum, *a„ junt Patres Trid*. (*ibid. cap*. 8) ne hac ipsa „ occasione aliquis pereat, in eadem Eccle„ sia Dei custoditum semper fuit, ut nulla „ sit reservatio in articulo mortis: atque ideo „ omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, a „ quibusvis peccatis, & censuris absolvere pos„ sunt: extra quem articulum Sacerdotes, cum „ nihil possint in casibus reservatis, id unum „ pœnitentibus persuadere nitantur, *ut ad* Su„ periores, & legitimos judices pro beneficio „ absolutionis accedant ".

Q. 8. Quid utilitatis casuum reservatio habeat?

R. Plu-

R. Plurimum habere. Nam

1. Quemadmodum veniæ facilitas incentivum peccandi est, sic ejusdem obtinendæ difficultas magnam vim habet ad peccati voluntatem imminuendam: atqui hoc ipso quod casus aliquis est Episcopo reservatus, hoc difficilior ejus remissio fit, cum non a quolibet obvio Sacerdote, sed a solo Episcopo, vel ab aliquo ad hoc officium ab eodem specialiter deputato sperari queat: ergo animum peccare volentem difficultas hæc ab executione operis retrahit, atque adeo, ut loquitur Concilium Trid. *ad disciplinam Christiani populi pertinet*.

2. Non mediocre fidelibus procurat bonum, qui eis peccati horrorem incutit; atqui dum sibi summi pastores casus aliquos reservant, fidelibus peccati horrorem incutiunt: hinc enim fit ut intelligant, nefanda debere esse delicta, quorum cognitionem Episcopi inferioribus Sacerdotibus subtrahunt, & ad suum immediate tribunal evocant: ergo &c.

3. Quo gravior morbus est, eo peritiori medico indiget ut sanetur: quod si ubi de morbis corporalibus agitur nemo negat, multo magis est in spiritualibus admittendum; atqui hic est casuum reservationis scopus, ut morbi animi graviores eorum curentur industria, qui cæteris peritiores, pro loci dignitate merito præsumuntur. Ergo &c.

Q. 9. Quid facto opus sit, ut casuum reservatio fidelibus revera utilis sit?

R. Hæc potissimum observanda.

1. Cavendus in casuum reservatione excessus, quorum si numerus indiscrete, & sine causa excresceret, hæ exceptiones odiosæ populis, & contemptibiles fierent, nedum retraherent a peccando.

2. Raro admodum & paucis facultas a peccatis Episcopo reservatis absolvendi concedi debet: nisi enim Episcopi in hac deleganda potestate, admodum fuerint moderati, ut eam non nisi paucis, iisque pietate, eruditione, ac prudentia præcellentibus communicent: omnis quæ ex hac disciplina oriri utilitas potest, protinus . . . evanescet, nullusque ejus profectus futurus erit.

Q. 10. Utrum a casibus Episcopo reservatis possit aliquis, non obtenta ejus speciali approbatione absolvere?

R. Negative: non enim potest cum aliquo vel levissimo fundamento propugnari sententia, quæ disciplinam Ecclesiasticam enervat, & Episcopalem destruit auctoritatem; atqui hujusmodi opinio est, quæ affirmat, Apostolico privilegio posse quosdam non obtenta ab Episcopo facultate, a casibus ei reservatis absolvere: quid enim aliud hoc est, nisi Episcopi auctoritatem despicere, & contra ejus imperium insolenter insurgere? hinc inter propositiones ab Alex. VII Pontifice max. damnatas (*an.* 1665, *die* 24 *Septembris*) hæc ordine 12 legitur: *mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate:* idemque Pontifex in decreto ad Episcopum Andegavensem, hanc propositionem: *Regulares habent potestatem absolvendi sæculares a peccatis Episcopo reservatis; etiamsi ab Episcopo auctoritas illa ipsis indulta non fuerit*: damnavit *ut falsam, auctoritati Episcoporum, & sedi Apostolicæ injuriosam*.

Consulantur de hac re Decreta Synodorum Mediolanensium 3, titulo 8, & 5, c. 10, sub S. Carolo habitarum.

Q. 11. Utrum casuum reservatio ab antiquo obtineat?

R. Affirmative. Nam

1. Non sine fundamento asseritur Episcopis gravium criminum absolutionem fuisse primis temporibus reservatam: tunc enim ut prædiximus ii soli pœnitentiæ tempus moderabantur, & pœnitentes absoluto satisfactionis curriculo Ecclesiæ reconciliabant: quod si per se ipsos, aliis impediti curis, præstare non poterant, negotium hoc simplicibus presbyteris committebant: quod quid aliud erat, quam sibimet cognitionem graviorum criminum reservare? cum itaque pluribus sæculis disciplina vigerit publicam pro delictis gravibus pœnitentiam agendi, fatendum ex consequenti, reservationem quorumdam criminum sive casuum, hodie ab Episcopis fieri solitam, non nisi exiguam pristinæ disciplinæ particulam esse.

De Sum. Pontifice dubium non est, quin sibi pro loci dignitate, potuerit pariter casus plurimos reservare, ut quo difficilior esset aditus ad veniam obtinendam, eo magis fideles ab eorum perpetratione retraherentur: nec exempla desunt, quamquam propter præcedentium sæculorum obscuritatem non longe petita: sic in Concilio Londinensi, an. 1143 præside Willelmo Wintoniensi Episcopo, decretum est, ne aliquis qui Ecclesiam cœmeteriumque violaverit, vel in clericos, aut viros Religiosos manus injecerit violentas, ab alio quam ipso Papa possit *absolvi* . . . alterum suppeditat ejusdem sæculi scriptor *Ivo* Carnotensis, Ep. 160. Quidam nobilis audacia inaudita mutilaverat Religiosum Presbyterum. Indixerat ei Ivo ad crimen deflendum quatuordecim annorum pœnitentiam: correctioni se ultro subjecerat nobilis, pœnitentiam injunctam susceperat. Cum vero in decursu pœnitentiæ iterato institisset, ut pro sua adversum quemdam inimicum suum defensione, sibi liceret

arma portare, quorum usu interdictus absolute fuerat: *Ivo* causam censuit ad Sum. Pontificis arbitrium deferendam. „ Reservantes „ itaque hanc indulgentiam, *inquit*, Apostolicæ moderationi, ad Apostolorum eum limina „ direximus, quatenus & fatigatione itineris „ hujus, peccatum diluat, & apud pietatis „ vestræ viscera, misericordiam, quam Deus „ vobis inspiraverit, inveniat “.

Q. 12. Utrum liberum unicuique sit, quemvis presbyterum ab Episcopo approbatum, ad faciendam ei confessionem eligere?

℟. Affirmative. Quisquis enim jurisdictionem habet vel ordinariam, vel delegatam, potest in confessarium eligi; atqui Sacerdos quilibet hoc ipso quod est ab Episcopo approbatus, jurisdictionem habet, sin minus ordinariam, saltem delegatam, sive sæcularis sit, sive Regularis; ergo habita juris communis ratione eligi potest.

Q. 13. Utrum Regula hæc universaliter, absque exceptione sit vera?

℟. Negative: fidelis enim quilibet tenetur semel in anno peccata sua confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri de ejus licentia. Ita in Concilio *Lateran. IV* sub Innocentio III constitutum: „ omnis utriusque sexus fidelis, *in*„ *quit*, (*can.* 21) postquam ad annos discre„ tionis pervenerit, omnia sua peccata confi„ teatur fideliter proprio Sacerdoti, & injun„ ctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus „ adimplere, suscipiens reverenter ad minus „ in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi „ forte de consilio proprii Sacerdotis ob ali„ quam rationabilem causam, ad tempus ab „ ejus perceptione duxerit abstinendum . . . . „ Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit ju„ sta de causa sua confiteri peccata, licen„ tiam prius postulet & obtineat a proprio „ Sacerdote: cum aliter ille ipse non possit „ solvere vel ligare “.

Q. 14. *Proprii Sacerdotis* nomine quis intelligendus?

R. (Quidquid olim aliqui senserint, & etiamnum plerique contendant) proprii Sacerdotis nomine Parochum, eum nimirum qui ordinariam jurisdictionem exercet, ex mente Concilii & *Innocentii III* intelligi necessario debere, nec nisi absurdissime sumi posse pro quolibet sive ordinariam, sive delegatam jurisdictionem habente. *Proprius* enim *Sacerdos* in hoc Canone opponitur alieno. Si itaque *proprius* dicatur, qui vel ordinariam, vel delegatam jurisdictionem habet, sequitur ut *alienum* pro eo accipiamus qui nullam omnino habet. Unde Canonis sensus erit: *Si quis alieno*, hoc est omni jurisdictione carenti, *voluerit sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat a proprio Sacerdote*: quo nihil absonum magis.

Hunc sane quem prædiximus, laudati canonis legitimum esse sensum non ambiget, qui ad disciplinam antiquam attendet, quæ sæculo decimo-tertio adhuc vigebat, qua nimirum cautum erat, ut non omnes indifferenter, sed soli Parochiani presbyteri, specialiter ad curam animarum tamquam proprii Sacerdotes populo præpositi, pœnitentiæ & reconciliationis ministerium exercerent. Sicuti enim iis solis Sacramentorum & verbi divini dispensatio, ita pœnitentiarum reconciliatio, quæ Sacri ministerii non infima pars est, competebat. Omnium itaque intra cujusque Parochiæ fines, sive Sacerdotum, sive inferiorum Clericorum, sive Laicorum proprius Sacerdos cui confiteri tenebantur, non alius erat quam Parochus, qui vel per se confessiones audiebat, vel aliquem de consacerdotibus suis, quos in eadem gerenda provincia coadjutores habebat, ad hoc officium deputabat. Parochorum porro proprius Sacerdos erat solus Episcopus: quin & ipsis etiam Episcopis necesse erat, confitendi causa ad Metropolitanos recurrere, donec iis a *Gregorio IX* indultum est, (*c. fin. de pœnit.*) ut non requisita proprii Superioris licentia, quem vellent sibi discretum pœnitentiæ ministrum eligerent. (*Vide Cabassutium, in juris Canonici Theoria & praxi, l. 3, c. 8, n. 4*)

Accedit auctoritas S. Thomæ qui nomine proprii Sacerdotis proprium cujusque Parochum intelligit, (*in suppl. 3 partis qu. 8, art. 5*) multoque gravior Martini IV Pontificis Max. in Bulla qua Fratribus Minoribus concessit facultatem fidelium confessiones excipiendi, (*ann. 1281, IV idus Januarii in Constitutione quæ incipit ad uberes*) expresse decernentis, ut qui peccata sua apud Fratres Minores deposuerint, *suis presbyteris Parochialibus confiteri, saltem semel in anno, prout Concilium generale statuit, teneantur* . . . Item *Benedicti XI* in constit. quæ incipit, *Inter cunctos*: “ ubi, districte injungimus, *in*„ *quit*, ut fratres ipsi, confitentes attente „ moneant, & in suis prædicationibus exhor„ tentur, quod suis Sacerdotibus semel confi„ teantur in anno, asserendo id ad animarum „ profectum procul dubio pertinere . . . & „ *Sixti IV* in Extrav. *Vices illius*, præcipien„ tis, ut Religiosi mendicantes desistant præ„ dicare, quod Parochiani non sunt obligati „ saltem in paschate proprio Sacerdoti confi„ teri “.

Eademque Conciliorum Provincialium, canonis Lateranensis interpretatio fuit.

Qui proprio Sacerdoti semel in anno confes- *si*

si non fuerint, *inquit Concilium Biterrense*, *an.* 1246 *celebratum*, (*can.* 42) *vel alii de ejusdem Capellani licentia speciali*, *ad Sacramenta Ecclesiastica minime admittantur*.

Et Concilium Arelatense an. 1275, (*can.* 16) *Si contigerit*, ait, *quod viri Religiosi*, *aut alii confessiones audiant*, *præsertim in Quadragesima*, *de Parochia alicujus*, *nomina confitentium*, *infra Octavam Paschæ*, *in scriptis tradant proprio Sacerdoti*, *ut sic Parochialis Sacerdos certitudinem habeat de confessione subditorum*, *ad fraudulentas quorumdam Parochianorum versutias*, *& animarum pericula evitanda*.

Synodus Coloniensis an. 1280, (*c.* 8) *si quis proprio Sacerdoti Parochiali*, *ad minus semel in anno plene & integre confessus non fuerit*, *præcipimus quod Sacerdos in Pascha ei Sacramentum minime administret*.

Synodus Lingonensis an. 1452, præcipit ut Ecclesiarum Rectores annis singulis statutum Concilii Lateranensis publicent & exponant, videlicet, *quod omnis utriusque sexus fidelis semel in anno*, *a suo proprio curato Sacerdote pœnitentiam debet recipere*, *& Sacramentum Eucharistiæ ad minimum in Paschate*.

Et denique, ut multa alia sileam, Concilium Mediol. I sub S. Carolo, (*par.* 2, *tit.* 6),, Innocentii III Constitutionem, *inquit*, in „ generali Concilio editam, qua sancitum est „ ut fideles, saltem semel in anno, proprio „ Parocho peccata sua confiteantur, inviolate „ omnes servent. "

Q. 15. Utrum Canon Lateranensis ita de Parochis intelligi debeat, ut Summus Pontifex, Episcopi, & ab iis absque ulla restrictione temporis approbati, exclusi significentur?

℟. Negative. Sic enim Parochorum est auctoritas vindicanda, ut Summo Pontifici, Episcopis, & Sacerdotibus quos ad excipiendas, sine limitatione temporis, confessiones delegaverint, jus suum & dignitas sarta tectaque maneant. Alioquin enim sub obtentu disciplinæ, ordo ipse disciplinæ everteretur, si nimirum Pontifex Max. supremam in Universa Ecclesia habens auctoritatem, & Episcopi in suis quique Diœcesibus primi communesque Pastores, Parochorum certis anni diebus arbitrio subjicerentur, & ab iis cogerentur licentiam exercendi ministerii emendicare, & quasi precario obtinere. Dubium itaque non est, prædicto canone Sum. Pontificem, Episcopos, & Sacerdotes ab iis specialiter pro paschatis tempore, vel sine temporis limitatione approbatos non esse exclusos; atque adeo qui apud ipsos peccata deposuerunt, præscriptum canonis implevisse.

Et sane quod in administratione pœnitentiæ Episcopus per se ipsum potest, hoc ipsum pariter per delegatos a se specialiter Sacerdotes exequi valet: idemque de Pontifice Max. multo magis debet admitti; atqui quovis anni tempore potest Episcopus, qua late Diœcesis patet, inconsultis Parochis confessiones excipere. Quidni ergo posset ad idem officium Sacerdotes idoneos, iisdem conditionibus delegare? Poterit scilicet presbyter alienus, modo ab Episcopo approbatus, de licentia Parochi, in Paschate confessiones audire, & non poterit quem Episcopus sine restrictione ad hoc officium destinaverit, sine nova Parochi approbatione jussa Summi Pastoris implere? Quo fiet ut major in inferiore sit, quam in Superiore potestas: quam autem sit a mente Later. Concilii hæc interpretatio aliena, canon ejus decimus manifestum facit, quo præcipitur, tam in *Cathedralibus*, *quam Conventualibus Ecclesiis viros idoneos ordinari*, *quos Episcopi possint coadjutores & cooperatores habere*, *non solum in prædicationis officio*, *verum etiam in audiendis confessionibus*, *& pœnitentiis injungendis*, *ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum*.

Nec aliter Canonem: *Omnis utriusque sexus*: Synodi Concilio Later. posteriores intellexerunt. Sic Synodus *Nemausensis* an. 1284, postquam *proprium Sacerdotum* Parochum esse declaravit, casus nonnullos excipiens, in quibus, *sine licentia proprii Sacerdotis*, *potest aliquis alieno presbytero confiteri*: *primus est*, inquit, (*Tit. de pœnit.*) *cum Episcopus hoc alicui specialiter delegavit*.

Synodus *Suessionensis* an. 1502, *nullus*, inquit, *ad audiendas confessiones*, *præter voluntatem Rectorum Ecclesiarum Parochialium recipiatur*: *nisi super hoc a Sum. Pontifice vel a nobis licentiam obtinuisse constiterit*.

Synodus *Trecensis* an. circiter 1530, *sunt autem aliqui presbyteri*, inquit, *qui in die Paschæ inhibent Parochianis suis sub pœna excommunicationis*, *ne corpus Christi recipiant*, *nisi fuerint sibi*, *vel potestatem ab eis habentibus confessi*: *quæ quidem inhibitio temeraria videtur*; *quia quamplurimi Sacerdotes & Religiosi habent potestatem a Domino nostro Papa*, *seu Domino Episcopo Trecensi audiendi confessiones omnium sibi peccata sua confiteri volentium*, *pœnitentiasque injungendi & absolvendi*. *Quare præcipimus omnibus presbyteris*, *ut de cætero faciendo tales inhibitiones*, *adjungant ista verba*: Vel alteri qui super hoc habet potestatem.

Synodus altera *Suessionensis* 1561, *neque*, inquit, *cuilibet Sacerdoti confitendum est*, *sed proprio curato*, *vel ab eo commisso*, *aut commissis Vicariis*, *vel Superioribus curati*, *ut* Epi-

Episcopo, Papæ, aut per eos ad hoc commissis.

Concilium provinciale Rothomagense, *an.* 1581, *nullus*, inquit, (*c.* 37) *Sacerdos, atque etiam Regularis, ne quidem in suo Conventu audeat, maxime per omne tempus Quadragesimæ, & Octavas Paschæ, audire confessiones quorumcumque, & aliquem absolvere, nisi de licentia Episcopi expressa, atque etiam in scriptis habita.*

Idemque in concilio Aquensi an. 1585, Camerac. an. 1586, & aliis plerisque statutum.

Nec est quod existimetur, Responsionem hanc cum præcedenti pugnare, qua diximus nomine *proprii Sacerdotis* Parochum debere intelligi. Hoc enim dictum a nobis sine exclusione Romani Pontificis, & Episcoporum, quos proprios utique esse Sacerdotes, & ovium communes præcipuosque pastores, nemo prudens negaverit. Quod si Pastores sunt, possunt utique ovibus vel per se ipsos immediate, vel per substitutos coadjutores independenter a Parochis, de rebus ad salutem pertinentibus providere. Hinc Synodus *Lingoniensis* an. 1452. Canonem: *Omnis utriusque sexus*: expendens: *ne remaneat aliqua hæsitatio*, inquit, *quis proprius dicatur Sacerdos, declaramus, prout Doctores & jura declarant, quod proprius Sacerdos est Papa, eius legatus, Episcopus, & pœnitentiarius Diœcesanus, & ejus Vicarius generalis, & ille cui cura Parochialis Ecclesiæ est commissa, sive Rector, sive Vicarius* ... Parique sensu Synodus Tolosana an. 1530, *injungimus*, ait, *omnibus confiteri volentibus, ut proprio Sacerdoti confiteantur. Proprium Sacerdotem dicimus Summum Pontificem, Episcopum, Vicarios illius, Rectorem & ejus Vicarium, & generaliter omnes Sacerdotes a prædictis legitime deputatos.*

Quod si conqueratur aliquis, hujusmodi delegationibus sine Parochorum consensu factis, disciplinam & jurisdictionem Ecclesiasticam enervari; quodque pejus est, fraudulentis malorum Christianorum versutiis locum dari, ut impune magno suo malo, a Sacramento Pœnitentiæ suscipiendo abstineant, & alibi confessos se esse sua peccata mentiantur: facile animi anxietatem deponet, si attenderit huic inconvenienti esse provisum, & quotidie provideri. Vel enim *alieni* Sacerdotes, cum exceptione Paschalis temporis approbantur, ita ut sine Parochorum consensu nequeant his diebus confessiones excipere, quod sapienter a pluribus Episcopis observatur: eoque casu disciplinæ Ecclesiasticæ nihil timendum, omnisque malorum fraudulentia præcavetur: vel, sine restrictione temporis aut ab Antistitibus approbatio datur; tuncque debent delegati Sacerdotes dare exceptæ confessionis testimonium, ad proprios Sacerdotes deferendum, ut nimirum de observata a suis Parochianis lege Ecclesiastica certiores fiant; & tuto eos ad participationem Corporis Christi admittant. *Confessarius Sacerdos*, *inquit Concilium Aquense anno* 1585 habitum, (*c. de pœnitentia*) *quicumque sit, etiam Regularis, ne auditæ confessionis testimonium scriptum, aut impressum, manu sua, suoque sigillo signatum, sibi peccata confessis dare recuset, tum in Paschate, ut Parochis; tum ægrotationis tempore, ut medicis, quod debent, eos præstitisse plane constet. Confitentium præterea Paschæ tempore nomina & cognomina, ut fraudi multiplici occurratur, in librum certum, notato etiam die & mense referat: quem librum Episcopo petenti, pro debito caritatis studio, non modo deneget, sed prompte ostendat, atque exhibeat, tradatque.*

Uno verbo, ut in Spiritu Christi, hoc est in caritate omnia fiant, non graventur Parochiani presbyteri, sibi in qualecumque pastoralis officii onerisque levamen, Sacerdotes alienos ab Episcopis provideri, eo maxime tempore quo tenentur fideles omnes ex Ecclesiæ præscripto ad pœnitentiæ Sacramentum accedere: modum suum recognoscant subsidiarii Sacerdotes, memineritque se non ordinariam, sed delegatam jurisdictionem habere, adeoque Parochorum auctoritate inferiorem; atque ita facile cessabunt dissidia, tam sæpe, tamque gravi cum fidelium scandalo, sæculares inter & Regulares enata.

Quæritur ultimo. Confessariorum quæ dotes esse debeant?

R. Verbis Sancti Caroli. *In iis probandis*, inquit, (*Concilii* 1 *Mediol. p.* 1) (qui videlicet ad confessiones audiendas sunt admittendi) *hanc rationem habeant Episcopi, ut pii, bene morati, docti, prudentes, patientes, de animarum salute solliciti, & fideles custodes sint eorum, quæ in confessione dicuntur: provecta etiam ætate, præsertim illi, quibus confessiones mulierum erunt audiendæ.* Quarum conditionum explicatio longam tractationem requiret. Quoniam vero a plerisque materia hæc summa ubertate, parique eruditione est occupata, & ad finem hæc nostra de pœnitentia dissertatio properat, aliunde poterit a studioso Theologo, majorique fructu, exquiri. (1) Jam sit

QUÆ-

(1) *Qui plura de hoc argumento desiderat, consulat laudatam* Praxim Sacramenti Pœnitentiæ, *maximeque Tomum 9 Theologiæ Christianæ P. Danielis Concinæ, ubi libro 2, totam prio-*

QUÆSTIO DECIMA.

De subjecto Saramenti Pœnitentiæ.

CUm pœnitentia, ut est sæpe dictum, sit secunda post naufragium tabula; sequitur ejus esse subjectum, quisquis in vitæ præsentis procelloso mari naufragium fecerit, & innocentiam baptismo acceptam perdiderit, ut nimirum ejus ope emergat, & in justitiam Deique amicitiam restituatur: nihil habet veritas illa difficultatis: sed quæritur quoties homini post baptismum lapso sacra tabula pateat? an semel tantum, an e contrario sæpius ad illam recurri possit? Pro cujus dubii resolutione sit

§. PRIMUS.

Ostenditur, sæpius ab uno eodemque homine pœnitentiæ Sacramentum suscipi posse.

Fidei catholicæ doctrina hæc est: „ si quis „ dixerit, *inquit Concilium Tridentinum*, (*ses.* „ 14, *c.* 1) in catholica Ecclesia pœnitentiam „ non esse vere & proprie Sacramentum; pro „ fidelibus, quoties post baptismum in pecca- „ ta labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Chri- „ sto Domino nostro institutum: anathema „ sit. "

Et vero ideo aliqua Sacramenta rite semel accepta repetere nefas est, quia indelebilem in anima imprimunt characterem; atque adeo in aliquo suo effectu perpetuo manent; atqui pœnitentia characterem non imprimit: ergo non sicut baptismus, confirmatio, & ordo, repeti non potest.

Deinde: veritas hæc sponte fluit ex his scripturæ oraculis, quæ sæpe sunt inculcata, tum ad probandam summam Dei erga pœnitentes clementiam; tum ad utriusque, interioris & exterioris pœnitentiæ efficaciam adstruendam: nam

1. Christus ligandi & solvendi potestatem Apostolis & eorum successoribus tanta liberalitate communicavit, ut nullis eam limitibus coercuerit: *quodcumque*, inquit, *solveritis erit solutum: quorum remiseritis peccata remittentur eis* &c. (*Matt.* 11, & 18, *Joan.* 20)

2. Idem salvator: *estote*, inquit, (*Luc.* 6, 36) *misericordes, sicut & pater vester misericors est .... dimittite, & dimittemini: date & dabitur vobis*: atqui quam hominibus erga se invicem misericordiam præcipit, alte adeo extendit, ut nullum miserendi faciat finem: quærenti enim Petro: (*Matt.* 18, 21) *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies? respondet Jesus: non dico tibi, usque septies, sed usque septuagies septies*: nimirum innumerabilibus vicibus, & quoties fratrem peccare contigerit: ponitur enim numerus certus & definitus, pro incerto & indefinito: ergo multo magis his verbis adstruxit Christus, patrem cœlestem toties ad misericordiam inflectendum, quoties ad illum peccator reversus per veram pœnitentiam fuerit: alioquin enim non erat dicturus: *estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.*

Insuper, idem evincunt Ecclesiæ preces quas pro omnibus peccatoribus, quantumvis sæpe relapsis anxie fundit; frustra enim peteret, quod non esse concedendum sciret.

Præterea, hujus rei præclarum est argumentum, perpetua Ecclesiæ praxis: nemini enim unquam, post acceptam pacem reverso ad vomitum spes veniæ sublata est, aut janua reconciliationis occlusa, modo veræ pœnitentiæ signa daret.

Concinit denique doctrina patrum: *non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione*, inquit Tertullianus, (*lib. de pœn. c.* 7) *si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit: pigeat sane peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari: neminem pudeat iteratæ valetudinis, iteranda medicina est: gratus in Dominum extiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaveris: offendisti; sed reconciliari adhuc potes: habes cui satisfacias, & quidem volentem: id si dubitas, evolve quæ spiritus Ecclesiis dicat ..... (Apoc.* 2 *&* 3) *omnes ad pœnitentiam commonet, sub comminationibus quidem: non comminaretur autem non pœnitenti, si non ignosceret pœnitenti: dubium, si non & alibi hanc clementiæ suæ profusionem demonstrasset, non ait*: qui ceciderit resurget, & qui aversatus fuerit, convertetur? *ille est scilicet, ille est, qui misericordiam mavult, quam sacrificium: lætantur cœli & qui illic angeli pœnitentia hominis: heus tu peccator, bono animo sis: videbis ubi de tuo reditu gaudeatur.... illum etiam mitissimum patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, & post inopiam pœnitentem libens suscipit; immolat vitulum præopimum, convivio gaudium suum exornat: quid ni? filium enim invenerat, quem amiserat: cariorem senserat, quem lucrifeceerat: quis ille nobis intelligendus*

priorem dissertationem insumit in explicandis dotibus, quibus pollere debet Confessarius, ut rite ac recte officio suo perfungatur.

pater? Deus scilicet, *tam pater nemo*, *tam pius nemo*: *is ergo te filium suum*, *etsi acceptum ab eo prodegeris*, *etsi nudus redieris*, *recipiet*, *quia redisti*; *magisque de regressu tuo*, *quam de alterius sobrietate lætabitur*; *sed si pœniteat ex animo*, *si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares*, *si porcos immundum relinquas pecus*, *si patrem repetas vel offensum*: deliqui, *dicens*, pater, nec dignus jam ego vocari filius tuus.

S. Joannes Chrysost. (*Parænesi*, *ad Theodorum*) „ talis est erga homines pietas Dei : „ numquam spernit pœnitentiam, si ei sincere & simpliciter offeratur : etiamsi ad „ summum quis perveniat malorum, & inde „ tamen velit reverti ad virtutis viam : suscipit libenter & amplectitur, & facit omnia quatenus ad priorem revocet statum."

S. Aug. (*Serm.* 351, *al.* 59, *inter homil.* 50) „ si jam de sanitate desperans addis peccata peccatis, sicut scriptum est : *peccator* „ *cum venerit in profundum malorum*, *contemnit*; noli contemnere, noli desperare : „ clama etiam de profundo ad Dominum, & „ dic ei : *de profundis clamavi ad te Domine*: de tali profundo Ninivitæ clamaverunt, „ & hanc propitiationem invenerunt, faciliusque evacuata est comminatio prophetæ, „ quam humiliatio pœnitentiæ. Hic fortasse „ dicis: sed ego jam baptizatus sum in Christo, a quo omnia mihi peccata præterita „ dimissa sunt, vilis factus sum nimis, iterans vias meas, & canis horribilis oculis Dei, „ conversus ad vomitum suum : quo ibo a „ spiritu ejus, & a facie ejus quo fugiam ? „ quo, frater, nisi ad ejus misericordiam pœnitendo, cujus potestatem peccando contempseras? nemo enim recte fugit ab illo, „ nisi ad illum, ab ejus severitate, ad ejus „ bonitatem. . . . quidquid feceris, quæcumque peccaveris, adhuc in vita es, unde te „ Deus omnino, si sanare nollet, auferret : „ cur ergo ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit ? qui enim clamando „ non tibi persuasit ut non recederes, parcendo clamat ut redeas."

Poteram argumentum sexcentis similibus patrum testimoniis roborare, si res postulasset : unum addidisse sufficiat angelicum præceptorem, iterari posse sæpius pœnitentiam affirmantem, & cur iterari possit, causas convenientissimas afferentem : *erroneum est dicere*, inquit, (3 *part. qu.* 84, *art.* 10, *& in* 4 *sent. dist.* 15, *qu.* 1, *art.* 4) *quod pœnitentia non possit iterari*, *& misericordiæ Dei contrarium*: *causa autem quare iteretur*, *cum baptismus non iteretur*, *est quadruplex*: *prima est*, *quia pœnitentia non imprimit characterem sicut baptismus*; *character enim indelebilis est*: *secunda*, *quia baptisma est contra morbum non iterabilem*, *scilicet originale peccatum*; *pœnitentia autem contra actuale peccatum quod iteratur*: *tertia causa est*, *quia baptismus habet totam efficaciam a passione Christi*, *sine actu nostro*; *& ideo quia passio est una tantum*, *& baptismus est unus*: *sed pœnitentia etiam requirit actum nostrum*; *& ideo ratione ejus iterationem suscipit*: *quarta*, *quia baptismus est generatio spiritualis*; *sed pœnitentia est quædam sanatio spiritualis*: *semel autem aliquis generatur*, *sed pluries curari*, *sive sanari potest*, *quamdiu in hac vita vivit*.

§. SECUNDUS.

Solvuntur quædam objectiones.

Opponitur: quem semel vere pœnituit, denuo peccare non potest: ergo pœnitentiæ Sacramentum ab uno eodemque sæpe in vita suscipi nequit.

Prob. ant. quem vere pœnituit, caritate divina donatus est: atqui caritas semel habita amitti non potest: cum igitur peccatum & caritatem in eodem simul subjecto esse repugnet, fatendum veræ pœnitentiæ semel actæ, non posse peccatum succedere.

R. Nego ant. ad probat concessa maj. n. min. quamvis enim caritas quantum in se est, & quatenus a Spiritu Sancto procedit, habeat summam stabilitatem; tamen ratione subjecti a quo recipitur, & propter ejus mutabilitatem amitti potest: „ dicendum, *inquit S. Thomas*, (2, 2, *q.* 34, *art.* 4, *in c.*) quod per „ caritatem Spir. Sanctus in nobis inhabitat : „ tripliciter ergo possumus considerare caritatem: uno modo, ex parte Sp. Sancti moventis „ animam ad diligendum Deum : & ex hac „ parte caritas impeccabilitatem habet ex virtute Sp. Sancti, qui infallibiliter operatur „ quodcumque voluerit. . . . alio modo potest „ considerari caritas secundum propriam rationem: & sic caritas non potest aliquid, „ nisi quod pertinet ad rationem caritatis ; „ unde caritas nullo modo potest peccare, „ sicut nec calor potest infrigidare, . . . tertio modo potest caritas considerari ex parte subjecti, quod est vertibile secundum arbitrii libertatem: & sic est in subjecto amissibiliter."

Inst. 1. Probando min. *omnis qui natus est ex Deo*, *peccatum non facit*, ait Scriptura, (1 *Joan.* 3, 9) *quoniam semen ipsius in eo manet*, *& non potest peccare*, *quoniam ex Deo*

natus

natus est: ergo caritas semel habita, scriptura teste, amitti non potest.

R. Cum Angelico Doctore, (*ib. ad* 1) dist. ant. & iis verbis exprimitur, quantum possit Sp. Sanctus, *cujus conservatione a peccato reddatur immunes, quos ipse movet, quantum ipse voluerit*, concedo: & iis verbis declaratur fieri non posse, ut qui semel caritatem accepit, ab ea per peccatum deflectat, nego ant. & conseq. eo loci nihil aliud intendit Apostolus, quam quod non possit peccatum cum motione efficaci ad bonum, & gratia sanctificante consistere, quod nemo negat: cæterum hoc argumentum, & ejusdem generis alia, si quid contra pœnitentiæ iterationem probarent, pari ratione conficerent, nec semel quidem hoc Sacramentum pro iis qui post baptismum lapsi fuerint, institutum; atqui in argumenti hypothesi caritas per baptismum accepta perdi non posset: ergo nec semel quidem homo baptizatus pœnitentia indigeret, quia labi in peccatum non posset.

Inst. 2. Atqui hæc est natura caritatis ut numquam possit amitti: ergo &c. prob. subs. ex S. Aug. *dilectio*, inquit ille, (*lib. 8 de Trin. cap.* 7) *si non est vera, dilectio dicenda non est*: atqui ait alibi S. Doctor, (*Epist. ad Julianum Comitem*) *caritas quæ deficere potest, numquam vera fuit*: ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. concessa maj. dist. min. cum S. Thoma, (*ib. ad* 2); caritas quæ deficere potest, ex ipsa ratione caritatis, numquam vera fuit, conc. quæ deficere potest propter mutabilitatem subjecti, numquam vera fuit, n. min. & conseq. *dicendum*, inquit, *quod caritas quæ deficere potest ex ipsa ratione caritatis, vera caritas non est: hoc enim esset, si hoc in suo amore haberet, quod ad tempus amaret, & postea amare desineret: quod non esset veræ dilectionis: sed si caritas amittatur ex mutabilitate subjecti, contra propositum caritatis, quod in suo actu includitur: hoc non repugnat veritati caritatis.*

Inst. 3. Atqui homo habens caritatem, mutabilitatem non habet, qua ad peccatum inflecti queat: ergo &c. prob. subs. homo ad peccatum non inclinatur, nisi motivo aliquo: atqui caritas excludit omne peccandi motivum, scilicet amorem sui, rei illicitæ cupiditatem, & quidquid hujusmodi est divinæ legi contrarium: ergo &c.

R. Nego subs. ad prob. concessa maj. dist. min. cum S. Thoma, (*ib. ad* 4) caritas excludit omne peccandi motivum, *ratione sui actus, idest, quando actu non agit*, conc. *quando actu agit*, n. min. & conseq. *dicendum*, inquit, *quod caritas, secundum rationem sui actus excludit omne motivum ad peccandum: sed quando contingit quod caritas actu non agit, tunc potest intervenire aliquod motivum ad peccandum: cui si consentiatur caritas amittitur*: cur autem non semper actu in homine operetur, adeoque non habeatur inamissibiliter, hoc ideo contingit, quia caritas viæ non replet totam potentialitatem rationalis animæ, quomodo replet in patria, *ibi*, inquit S. Doctor, (*ib. in c.*) *caritas inamissibiliter habetur, ubi id quod convenit caritati, non potest videri nisi bonum, scilicet in patria, ubi Deus videtur per essentiam. . . & ideo caritas patriæ amitti non potest: caritas autem viæ, in cujus statu non videtur ipsa essentia Dei, quæ est essentia bonitatis, potest amitti.*

Inst. 4. Quidquid sit de caritatis amissibilitate; certum tamen aliunde videtur, eum quem semel vere pœnituit, non peccare in posterum; nam qui cor habet vere mutatum, id omnes præstat quod Christus vere pœnitenti præscribit; atqui nil magis Christus homini pœnitenti commendat, quam ut ab omni peccato desistat: *vade*, inquit ad mulierem adulteram, (*Joan.* 8, 4) *& jam amplius noli peccare*: ergo &c.

R. Nego ant. ad prob. concessa maj. dist. min. Christus homini pœnitenti præscribit, ut cesset in posterum ab omni peccato, id est, ut firmum habeat de cætero non peccandi propositum, conc. ita ut si in posterum peccet, certum fuerit pœnitens, n. min. & conseq.

E. R. Vera pœnitentia duobus potest accipi modis: 1 quatenus falsæ opponitur, vere propter Deum peccata detestanti: 2 quatenus habet adjunctam perseverantiam, hominemque absque ulla interceptione peccati perducit ad finem: quos secundo modo pœnitet, non dant secundæ pœnitentiæ locum, quia numquam a caritate desciscunt, & ad illos proprie pertinet Christi verbum: *vade & noli amplius peccare*: quos vero prima ratione penitet, secundæ penitentiæ locum dant; non quod veram habuerint pœnitentiam, sed quia a proposito in posterum non peccandi, vel infirmitate, vel passionum illecebris, vel dœmonis tentationibus victi deflectunt.

Inst. 5. Atqui vera pœnitentia talis esse debet: ut si quis in pasterum de novo peccaverit, vere numquam pœnituisse sit signum: ergo &c. prob. subs. ex libro *de vera & falsa pœnitentia*, qui vulgo S. Aug. adscribitur: scriptor ille, quisquis sit, verba Christi modo laudata interpretans: *dixit*, inquit, (*cap.* 13) *vade & amplius noli peccare: non dixit, ne pecces: sed nec voluntas peccandi in te oriatur: quod quomodo servabitur, nisi dolor continue in pœnitentia custodiatur?* pauloque inferius,

ferius, absque intermissione dolendum esse de peccatis, ex ipsa nominis pœnitentiæ significatione colligit: *pœnitere*, inquit, (*ib. cap.* 19) *est pœnam tenere: ille autem pœnam tenet, qui semper vindicat, quod commisisse se dolet*: ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. auctoritatem recipio, & dist. conseq. talis esse debet vera pœnitentia, ut si quis in posterum denuo peccaverit, vere numquam pœnituisse sit signum, ea scilicet pœnitentia quæ importat perseverantiam & conjunctionum cum fine, conc. vere non pœnituisse, pœnitentia spectata secundum essentiam, & quatenus præcise est virtus, n. conseq.

E. R. Pœnitentia duo importat: 1 quatenus virtus est, debet esse dolor propter Deum conceptus, de peccato commisso, cum proposito in posterum non peccandi: 2 finis intuitu eam constantiam exigit, quæ pœnitentem cum fine conjugat: & ad exitum usque perduret: utrumque in præcepto divino continetur, quod dictum est: *nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*: ut enim homo in peccatum lapsus non pereat, tum necesse est, ut vere pœniteat, tum ut ad finem usque, sin minus actu, saltem habitu in pœnitentia perseveret, ut docet S. Thomas (2 *part. qu.* 84, *a.*9) hoc tamen inter utrumque discrimen est; quod si desit primum, veræ ratio pœnitentiæ consistere absolute non possit: si vero secundum defuerit, non continuo inferri debet, veram pœnitentiam non fuisse: exemplo aliarum virtutum responsio illustratur; sic enim caritas v. g. (idemque de cæteris dictum puta) duo exigit; primum, ut super omnia Deus ametur: secundum, ut ad finem usque ametur: quorum si primum defuerit, ne nomine quidem caritatis est digna: si vero secundum, hoc est, si homo mundanis tentationibus superatus, contempto creatore, convertatur ad creaturas, non fuit quidem caritas perseverans, sed caritas tamen fuit: dico itaque, verba in objectione laudata debere de pœnitentia perseverante intelligi.

Inst. 6. Atqui absolute negant Sancti Patres, veram esse pœnitentiam, quæ perseverantiam conjunctam non habet: ergo &c.

Prob. subs. diversis eorum testimoniis: *pœnitere*, ait S. Gregorius M. (*Homil.* 34 *in Evang.*) *est ante acta peccata flere, & flenda non committere.*

Isaias de peccatoribus dicit, inquit S. Isidorus, (*lib.* 2 *de summo bono*, *cap.* 16) *lavamini, mundi estote: lavatur & mundus est, qui & præterita plangit, & flenda iterum non committit: lavatur & non est mundus, qui plangit quæ gessit, nec deserit; & post lacrymas, ea quæ defleverat repetit.*

S. Aug. (*Serm.* 7 *de tempor.*) *ista est vera pœnitentia, quando sic convertitur quis, ut non revertatur; quando sic pœnitet, ut non repetat*: ergo &c.

R. Nego subs. & testimonia patrum explico. Pœnitentia ex S. Gregorio, est anteacta peccata flere, & flenda non committere; *conjunctim cum iis quæ deflentur*, conc. *divisim*, quasi nimirum vere illum pœnituisse dici non possit, qui in peccatum infirmitate relabitur, n. S. Gregorii sensus est, pœnitentiam debere omnem peccati affectum & effectum excludere: magis enim Dei derisio, quam lamentatio de peccato foret, si quis hoc ipso tempore quo adulterium defleret, adulterio se, aut alio quovis mortali peccato contaminaret: unde subdit: *qui sic alia deplorat, ut alia tamen committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat*: cæterum quem vere semel pœnituit, non posse labi iterum in peccatum, & *divisim*, rursus deflenda committere, nec negat Sanctissimus Pontifex, nec ullus probatus scriptor negasse comperietur.

Ad S. Isidorum, & S. Aug. par esto responsio: *lavatur & mundus est, qui & præterita plangit, & flenda iterum non committit*, secundum præsens propositum, id est, cui inest vera in posterum non peccandi voluntas, conc. quasi mundari omnino non potuerit, qui sinceram non peccandi voluntatem in posterum perdidit, n. *vera pœnitentia est, quando sic convertitur quis, ut non revertatur*; vera, inquam, ex parte finis & ratione perseverantiæ, concedo: quasi ex defectu perseverantiæ, consequens futurum sit, quod numquam fuerit vera, n. ant. & conseq. solutio patet ex dictis.

Inst. 7. Quibusdam olim peccatoribus venia, etiam in extremo mortis periculo negabatur: ergo non putabant patres posse pœnitentiam sæpius iterari, & omni tempore reconciliationem concedi debere.

R. 1. Dato ant. n. conseq. hujus enim severitatis causa erat, non quod patres existimarent, pœnitentiam non posse sæpius iterari; sed quia pœnitentiæ ad extremum vitæ tempus procrastinatæ plurimum, nec immerito, diffidebant: *pœnitentia quæ ab infirmo petitur*, inquit S. Aug. (*serm.* 57 *de tempore*) *infirma est; pœnitentia quæ a moriente petitur, timeo ne ipsa moriatur* .... & Faustus Rhegiensis, insultare, *inquit*, (*in Ep. ad Paulinum*) Deo videtur, qui illo tempore ad medicum venire noluit, quo potuit; & illo tempore tunc incipit velle, quo non potest.

R. 2 In majoribus & insignioribus Ecclesiis, Re-

Romana, *Africana*, & aliis, criminum quantumlibet gravium reis, numquam veniam esse negatam, modo legitima pœnitentia præcessisset: si quis Episcopus aut presbyter, ait canon inter Apostolicos 51, *a peccato revertentem non recipit, sed rejicit, deponatur; quia Christum contristat dicentem*: gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, magis quam super 99 justis qui non indigent pœnitentia: *& auctor constitutionum Apostolicarum*: *pœnitentes*, ait, *recipe, ne aliquando tamquam desperantes nequitiæ se dedant*.

Inst. Ultimo: quibus ad pœnitentiam ne aditus quidem patebat, ab omni spe reconciliationis dejecti erant; atqui olim relapsis ne aditus quidem dabatur ad pœnitentiam: ergo &c.

R. Concessa maj. dist. min. relapsis nullus aditus erat ad pœnitentiam *publicam*, conc. ad pœnitentiam *occultam*, n. min. & conseq equidem quamdiu rigor pœnitentiæ publicæ viguit, in pluribus saltem locis, disciplina Ecclesiastica cautum erat, ut semel tantum concederetur; quia grave scandalum prævidebatur futurum, si quis emenso publicæ pœnitentiæ cursu, rediret ad vomitum, eaque de causa iterum pœnitentiæ stationes decurreret: sed numquam clausa cuiquam est privatæ pœnitentiæ janua: immo semper a patribus peccatores quantumvis sæpe relapsi, ad arripiendam secundam post naufragium tabulam invitati: quem in sensum S. Ambrosius: *merito*, ait, (*lib. 2 de pæn. cap. 10*) *reprehenduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo: nam si vere agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent: quia sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur: nam quotidiani nos debet pœnitere peccati: sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum*.

§. TERTIUS.

Resolvuntur aliquæ quæstiones.

Q. 1. Utrum statim atque pœnitens peccata sua declaraverit, reconciliationis beneficio sit donandus?

R. Negative: non enim ad obtinendam peccatorum absolutionem, confessio sufficit; sed necessarium præterea est, ut qui confitetur vere doleat, & signa veræ contritionis ostendat: alioquin enim præcipitata absolutio, perniciosa magis quam utilis est futura: *si pœnitens nullam contritionem ostendat*, inquit S. Carolus (*par. 4, de Sacr. pœnit.*) *eum minime Sacerdos absolvat: sed tamen salutaribus consiliis, & bona opera præscribendo juvet . . . . cavendo ne quemquam asperius tractans, culpa sua inducat, ut vel desperet, vel a confessione abhorreat*.

Itaque non obviis quibusque absolutio concedenda; sed iis omnibus neganda, quorum nulla fictaque conversio est: iis differenda, quorum dubia & incerta: meminerint qui tremendo assident tribunali, divinum se ministerium exercere; non esse in hominis potestate, Domini leges infringere, non esse servum Domino suo majorem, nec ampliorem legati esse potestatem, voluntate principis; atqui leges a Christo præscriptæ necessario exigunt, ut iis solis peccata misericorditer condonentur, qui ea oderunt, qui malum cogitationum suarum auferunt, non solum ab oculis hominum, sed etiam ab oculis Dei, qui omni eliminata occasione peccandi discunt bene facere, qui promptum ad omnia præcepta implenda animum gerunt, qui denique in toto corde ad Deum, a quo aversi fuerant, convertuntur: ergo &c.

Q. 2. Quibus speciatim differenda absolutio vel neganda?

R. Diversa hominum genera, hac regula comprehendi, quæ indicasse sufficiat: casus enim conscientiæ minutim resolvere, nostri instituti non est.

1. Iis neganda aut differenda, qui mysteria religionis, & prima fidei rudimenta ignorant: quisquis enim voluntarie in statu mortalis peccati est, hoc ipso indignum se absolutione Sacramentali esse demonstrat: sed qui præcipua religionis mysteria, & prima fidei rudimenta ignorat, in statu mortalis peccati est, nec quidquam aliud nisi vanum Christiani nomen ostentat: quomodo enim Deum unum in substantia, trinum in personis adorat, qui neque si unus in personarum trinitate sit Deus, agnoscit? quomodo aut credere aut sperare in eum, aut amare potest, de quo ne cogitat quidem? quomodo gratia mediatoris est dignus, qui neque Deum verum, neque quem misit Jesum Christum cognoscit? *quicumque*, inquit S. Carolus Borromæus, (*in instructionibus confessorum*) *rationis usum attigerit, sub reatu peccati mortalis, omnes Symboli Apostolici, cujus in Ecclesia solemnis est usus, articulos scire tenetur, saltem quoad substantiam: item Dei & Ecclesiæ præcepta, quæ sub mortali peccato observanda sunt, & quæ vulgo doceri solent in scholis doctrinæ Christianæ: si confessarius pœnitentem repererit istorum omnium ignarum, nec ad ea quamprimum discenda dispositum; non debet eum absolvere*.

Hinc inter propositiones ab *Innocentio XI*, Pontifice Max. damnatas, (*die 2 Martii ann.* 1679) hæc leguntur:

64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis*

vis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

65. *Sufficit illa mysteria semel credidisse.*

2. Iis neganda qui voluntario in proximo peccandi occasione versantur: nemo enim nisi vere contritus ad reconciliationem admitti potest: sed qui voluntario in peccandi proxima occasione versatur, vere contritus non est; quia amat peccandi periculum: porro, inquit sapiens, (*Eccl.* 3, 27) *qui amat periculum peribit in illo:* deinde absolutionis est incapax qui peccandi retinet voluntatem, sed qui in proxima peccandi occasione versatur, peccandi retinet voluntatem; vult enim tentare Deum, quasi nimirum debitor alicui gratiæ esset: ergo &c. *nec ii*, ait S. Carolus, (*in instruct. confess.*) *possunt absolvi, qui sincerum propositum non habent, peccata mortalia, & eorum occasiones fugiendi . . . peccati mortalis occasiones vocantur, quidquid ad peccandum inducit, aut ex sua natura, aut ex parte pœnitentis, qui in ea occasione positus ita peccare consuevit, ut probabile sit ex suo pravo habitu, illum in eadem peccata lapsurum, si in illa occasione perseveret.*

Hinc ab Innocentio XI Pontifice Max. sequentes propositiones confixæ sunt: (*die* 2 *Martii an.* 1679)

„ 61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quin imo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit".

62. „ Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit".

63. „ Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi".

Dixi, iis absolutionem negandam qui *voluntario* in occasione peccandi morantur: si enim talis occasio sit, quam pœnitens nec deliberato quæsiverit, nec possit sine summa difficultate, scandaloque gravi deserere; ut si e.c. paterna ipsa domus filiæ familias peccandi occasio sit, nec inde possit patre & matre renuentibus secedere: tum sane summa Sacerdotis cautione & prudentia opus est, ne id exigat quod vix possibile esse intelligit: satisque ei, judicio sapientum futurum est, si absolutionem differat, donec pœnitens certa conversionis argumenta dederit; eique interim hanc vitæ rationem præscribat, qua importunam ac præsentem valeat superare tentationem.

3. Iis neganda, qui proximum vel in fama, vel in bonis læserunt, nisi debita restitutio aut satisfactio prius intercesserit: „ pessimum hominum genus commemoras, *ait S. Augustinus*, (*Ep. ad Macedonium* 153, *al.* 54) „ cui pœnitendi medicina omnino non prodest: „ si enim res aliena propter quam peccatum „ est, cum reddi possit non redditur, non „ agitur pœnitentia sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, „ nisi restituatur ablatum: sed, ut dixi, cum „ restitui potest".

„ Caveant confessores, *ait Synodus* 1 *Mediolan. sub. S. Carolo*, ne ante debitam satisfactionem illos absolvant, quibus, cum facultas adsit aliena restituendi, vel legata quæ „ ad pias causas facta sunt, persolvendi, illisque ut id facerent, superiori confessione „ præceptum sit; præstare tamen neglexerunt".

4. Iis neganda, qui vel apertas vel occultas cum proximo inimicitias gerunt, & renuunt reconciliari: qui enim Dei vult esse inimicus, indignus reconciliatione est: sed quamdiu homo contra hominem inimicitiam exercet, Dei inimicum se profitetur, cujus caritas, scriptura teste, in eo esse non potest, qui fratrem non diligit: *deinde* hac sola conditione spes veniæ peccatoribus data est, si nimirum fuerint erga proximum indulgentes: *dimittite, & dimittemini*, ait Christus in Evangelio: *si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra:* indeque est, quod ab ipso Christo edocti, quotidie dicimus: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

5. Iis omnibus differenda, qui peccandi consuetudinem habent, donec emendationem probaverint: nemini namque absolutio concedenda nisi vere pœnitenti, verumque habenti in posterum non peccandi propositum; atqui propositum hoc se non habere demonstrant, qui in eadem semper, sine emendatione, peccata labuntur: donec ergo Sacerdoti constet, eos in melius vitam mutasse, beneficio absolutionis carere debent: „ differenda est absolutio, *ait* „ *S. Carolus* (*in instruct. confess.*) donec aliqua emendatio appareat, iis pœnitentibus, „ qui licet se peccatum dimissuros polliceantur; confessarius tamen probabiliter judicat „ ad illud reversuros: cujusmodi sunt . . . qui „ in eadem peccata frequentius relapsi, in iis „ a multis annis perseverarunt; nec diligentiam ullam adhibuerunt, ut se emendarent".

Hinc ab *Innocentio XI* (*ib.*) propositio sequens damnata est.

„ 60. Pænitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appare-

„ at,

„ at, nec est neganda, nec differenda absolu-
„ tio: dummodo ore proferat se dolere, & pro-
„ ponere emendationem".

Q. 3. Utrum confessarius teneatur pœnitentem interrogare?

R. Teneri, quia medicus & judex est: "di-
„ ligens inquisitor & subtilis investigator, *ait*
„ *author libri de vera & falsa pœnitentia* (*c.*
„ 10) sapienter & quasi astute interroget a
„ peccatore, quod forsitan ignorat, vel vere-
„ cundia vellet occultare: cognito itaque cri-
„ mine, varietates ejus non dubitet investiga-
„ re, & locum & tempus &c."

Cui subscribens S. Thomas: *Sacerdos*, inquit, (*in* 4 *sent. dist.* 19) *debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione, quasi medicus vulnus, & judex causam: quia frequenter quæ præ confusione confitens taceret, interrogatus revelat* . . . . quanta autem prudentia in hujusmodi inquisitionibus opus sit, ib. explicans: *in iis faciendis*, inquit, *tria sunt attendenda*: 1 *ut quilibet peccator interrogetur de peccatis, quæ consueverunt in hominibus illius conditionis abundare*: *non enim oportet, quod a milite quæratur de peccatis clericorum aut religiosorum, aut e converso*: 2 *ut non fiat explicita interrogatio de peccatis, nisi de illis, quæ omnibus manifesta sunt; de aliis autem adinventionibus peccatorum, ita debet a longinquo fieri interrogatio, ut si commisit, dicat; si non commisit, non addiscat*: 3 *ut de peccatis præcipue carnalibus, non descendat nimis ad particulares circumstantias; quia hujusmodi delectabilia, quanto magis in speciali considerantur, magis concupiscentiam nata sunt movere, & ideo potest contingere, ut confessor talia quærens, & sibi, & confitenti noceat: quare ubi speciem peccati, & circumstantias magis aggravantes detexerit, non amplius pœnitentem interrogare debet*.

Q. 4 Utrum statim atque mortaliter aliquis peccavit, confessionis præcepto obligetur?

R. Negative: „ eadem ratio esse videtur de
„ confessione & de baptismo differendo, *ait S.*
„ *Doctor*, (*in* 4 *sent. dist.* 17, *q.* 3, *a.* 1) quia
„ utrumque est Sacramentum necessitatis, ad
„ baptismum autem percipiendum non tenetur
„ aliquis statim postquam habet propositum ba-
„ ptismi; ita quod peccet mortaliter, nisi sta-
„ tim baptizetur: nec est aliquod tempus de-
„ terminatum, ultra quod si baptismum dif-
„ ferat, peccatum mortale incurrat: sed po-
„ test contingere, quod in dilatione baptismi
„ mortale erit peccatum, vel non erit, & hoc
„ pensandum est ex causa dilationis, unde si
„ causa dilationis baptismi mortale peccatum
„ annexum habeat, utpote si propter contem-
„ ptum, vel aliquid hujusmodi baptismum dif-
„ ferat, dilatio erit peccatum mortale, alias
„ non: & ideo idem videtur esse de confessio-
„ ne, quæ non est majoris necessitatis quam
„ baptismus: qui ergo statim oblata opportuni-
„ tate non confitetur, etiam si major opportu-
„ nitas non expectetur, non peccat mortaliter;
„ sed quando ex articulo temporis necessitas
„ inducitur: quia præcepta affirmativa non obli-
„ gant ad statim, sed ad tempus determina-
„ tum; non quidem ex hoc quod tunc com-
„ mode impleri possunt . . . . . sed ex hoc
„ quod tempus necessitatem urgentem ad-
„ ducit".

Q. 5. Utrum ad plures annos remitti absque peccato confessio possit?

R. Negative: præceptum namque Ecclesiæ est, unicuique impositum, Concilii Lateran. IV decreto, semel in anno faciendæ confessionis: *ad confessionem dupliciter obligamur*, ait S. Thomas: (*ib.*) *uno modo ex jure divino, ex hoc quod est medicina: & secundum hoc non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantum qui peccatum mortale incurrunt post baptismum: alio modo ex præcepto juris positivi: & sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiæ edita in concilio generali sub* Innoc. II, *tum ut quilibet se peccatorem recognoscat*, quia omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, *tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedant, tum ut Ecclesiarum Rectoribus sui subditi innotescant*.

Q. Ultimo. Utrum præcepto confessionis annuæ confessione sacrilega satisfiat?

R. Negative contra quosdam, quorum ab Alex. VIII Pont. Max. damnata falsa doctrina est, (*ann.* 1665, *die* 24 *Septembris*) his verbis concepta: *qui facit confessionem voluntarie nullam; satisfacit præcepto Ecclesiæ*: & vero ejusdem naturæ est confessio quam Ecclesia præcipit, ac illa quæ in divinis præscriptionibus continetur: cum præceptum Ecclesiæ, divini mandati, ad certum tempus præfinitio sit: atqui præcepto divino, confessione sacrilega satisfieri non potest, cum confessio ex divina lege vera non sit, nisi quam contritio comitatur, quæ est Sacramento essentialis: ergo &c.

Non desunt equidem aliæ ad subjectum pœnitentiæ, nec parvi momenti pertinentes quæstiones: quoniam vero earum resolutio in optimis Christianæ Ethicæ tractatoribus facile reperitur, jamque limites hujusce tractationis excessimus, præsenti libro canonum Tridentinorum de pœnitentiæ exscriptione finem ponemus.

Canones Tridentini de pœnitentiæ Sacramento.

Canon I. Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia, pœnitentiam non esse vere & proprie Sacramentum, pro fidelibus quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo D. nostro institutum: anathema sit.

Canon II. Si quis Sacramenta confundens, ipsum baptismum, pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit: quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint: atque ideo pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari: anathema sit.

Canon III. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: *non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium: anathema sit.*

Canon IV. Si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata: anathema sit.

Canon V. Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium: anathema sit.

Canon VI. Si quis negaverit, confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia ab initio semper observat, & observavit, alienum esse ab institutionem & mandato Christi, & inventum esse humanum: anathema sit.

Canon VII Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium non esse jure Divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur; etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta, & circumstantias quæ peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia: anathema sit.

Canon VIII. Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes & singulos utriusque sexus Christifideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, & ob id suadendum esse Christifidelibus, ut non confiteantur tempore quadragesimæ: anathema sit.

Canon IX. Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata confitenti; modo tantum credat se esse absolutum; aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit: anathema sit.

Canon X. Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus & singulis Christifidelibus esse dictum: quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo; & : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: *quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata; publica quidem, per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem: anathema sit.*

Canon XI. Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus sacerdos a reservatis vere absolvat: anathema sit.

Canon XII. Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse: anathema sit.

Canon XIII. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad

quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri, pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus; atque adeo optimam pœnitentiam esse tantum novam: anathema sit.

Canon XIV. Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes: anathema sit.

Canon XV. Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; & propterea sacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi; & fictionem esse quod virtute clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat: anathema sit.

FINIS LIBRI SEXTI.

LIBER SEPTIMUS.

DE

SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

" Clementissimus Redemptor noster, ait Concilium Trid. (*Sess.* 14, *in proœmio doctrinæ* " *de Sacr. extr. unct.*), qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis ad- " versus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in " Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros dum viverent, ab " omni graviore spiritus incommodo possent: ita Extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ, " tamquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per " omnem vitam quærat, & captet, ut devorare animas nostras quoquomodo possit: nullum " tamen tempus est, quo vehementius ille omnes versutiæ suæ nervos intendat, ad per- " dendos nos penitus, & a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam " cum impendere nobis exitum vitæ perspicit ".

Ideo vero pœnitentiam immediate extrema unctio sequitur, quia, inquiunt ibidem Patres, *pœnitentiæ, & non pœnitentiæ tantum, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativa a Patribus est existimata*. Immortales Deo Optimo Maximo gratias, qui, ut baptismi Sacramento, aditum nobis ad veram vitam patefecit; ita ut ex hac mortali vita decedentes, expeditiorem ad cœlum viam teneremus, hoc tam salutiferum Sacramentum instituit. Pariquedecausa *Lutheranis*, *Calvinistis*, & similibus novissimorum temporum pestibus, ira, odium, indignatio, & bonorum omnium anathema, quibus non satis fuerat pœnitentiam sustulisse, nisi etiam appendicem ejus ex albo Sacramentorum delere, sacrilegis conatibus attentarent. Quod quam parum eis feliciter cesserit, sequentium quæstionum explicatio demonstrabit.

1. *Erit, utrum Extremæ Unctioni ratio veri Sacramenti conveniat?* 2. *De materia ejus*: 3. *De forma*: 4. *De auctoritate, & ministro*: 5. *De subjecto, & necessitate*. 6. *De effectibus*. 7. *De ritibus in ejus administratione observandis*.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum Extremæ Unctioni ratio Sacramenti conveniat?



Ictitium Sacramentum, ait impiissimus proditor veritatis Calvinus, (*lib.* 4 *instit. c.* 19, §. 18) *est extrema unctio histrionica hypocrisis, qua citra rationem & sine fructu Apostolos referre* (Catholici) *volunt*: nec dispar Lutheri, quamquam verbis paulo mitioribus concepta, sententia: *ungendorum infirmorum ritui*, inquit, (*in lib. de Captiv. Babyl.*) *duas additiones se se dignas addiderunt Theologi nostri*, (Catholici:) *unam, quod Sacramentum appellant; alteram, quod extremam faciunt* . . . *igitur unctionis extremæ nostrum Sacramentum non damno; sed hoc esse, quod ab Apostolo Jacobo præscribitur, constanter nego* .... *numerabimus tamen ipsum inter ea Sacramenta, quæ nos constituimus, ut sunt salis & aquæ consecratio & aspersio*: unctionis usum celebratum a Patribus, antiqua victus auctoritate *Chamierus*, in Gallia, Calvinistarum quondam minister fatetur: *hoc*, inquit, (*lib.* 4 *de Sacr. cap.* 21) *non imus inficias; neque enim tam ignota nobis historia Ecclesiæ, sed quæstiones distinguimus: & quamvis credamus perperam continuatum usum, post sublatum donum sanationum; sicut perperam continuata lumina medio die, ex primo usu nocturno, & linguæ Latinæ, ex Latinorum consuetudine: tamen non tam sumus faciles, ut persuaderi possimus, omnes ritus usurpatos in Christianorum usu, fuisse Sacramenta, vel eorum luminum exemplo, quorum necessitate manifeste sublata, necesse fuit allegorias comminisci*. Ita præfati hæretici, quorum insaniam, Lutherani omnes, ut prædiximus, & Calvinistæ secuti sunt.

In illud ergo præsertim disputatio suscepta incumbet, ut ostendamus extremam unctionem, nec fictitium esse Sacramentum, nec nostrum, non nostrum, inquam, id est, minime a nobis inventum. Aliunde enim, quippe a Christo, hæreditario jure acceptum, non

non secus ac cætera divina mysteria, nostrum est. Jam sit

CAPUT PRIMUM.

Extremam Unctionem verum ac proprie dictum legis novæ Sacramentum esse monstratur.

IN fidei dogmatibus sententiam hanc contineri, Concilium Œcumenicum Trid. solemniter definivit.

„ Si quis dixerit, *inquit* (*Sess.* 14, *can.* 1) „ extremam unctionem non esse vere & proprie Sacramentum, a Christo Domino Nostro institutum, & a Beato Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum: „ anathema sit.

„ Si quis dixerit, (*ibid. can.* 2) sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, „ nec remittere peccata, nec alleviari infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum „ fuerit gratia curationum: anathema sit.

„ Si quis dixerit, (*ib. can.* 3) extremæ unctionis ritum & usum, quem observat S. „ Rom. Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni: anathema sit “.

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

Hujus veritatis primum testimonium petimus ex auctoritate Scripturæ: *infirmatur quis in vobis*? ait ore B. Jacobi Sp. Sanctus, (*Ep. canon. c.* 5, 14) *inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*: *& oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*; *& si in peccatis sit, remittentur ei*. Ejusdem sacri ritus præmonstratio aliqua in Evangelio, & forma præcesserat, ubi de Apostolis legitur: (*Marc.* 6, 12, *& seq.*) *exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent*: *& dæmonia multa eiiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant*.

Inde sic informamus argumentum: Sacramentum novæ legis est res sensibus subjecta, ex institutione Dei, sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habens; atqui in extremam unctionem ex Scripturæ auctoritate bene conditiones illæ conveniunt.

1. Quidem res est sensibus subjecta, cum externa materia, olei scilicet unctione, & adjunctis precibus coalescat: *orent*, inquit, *super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*.

2. Quod divinam habeat institutionem, inde potissimum demonstratur, quod sit Scripturæ canonicæ auctoritate præscripta. Quamquam enim non in Evangelio, sed in Apostoli Jacobi Ep. ejus celebratio commendetur; nihil hinc de ejus auctoritate minuitur, quia non minus hæc Epistola, quam Evangelium, Sp. Sancto dictante descripta est; nec minoris ponderis quam ipsamet Evangelia, Apostolorum litteræ sunt ad divina dogmata adstruenda; nihil enim proprio illi judicio præsumpserunt, nec quidquam aliud præter quam præscriptum cœlitus fuerat, ordinarunt, quippe qui non inventores, sed dispensatores essent mysteriorum Dei. Deinde homo quantalibet præditus potestate, non potest ulli elemento virtutem gratiæ producendæ tribuere: hoc enim donum excellentissimum est, non aliunde quam ab omnium bonorum fonte descendens: cum ergo fidenter affirmet Apostolus, per unctionem olei, cum adjuncta fidei oratione, in nomine Domini facta, peccata remitti: *oratio fidei*, inquit, *salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*: *& si in peccatis sit, remittentur ei*: nefarium & impium est, sacrum hunc ritum humanis institutis annumerare.

3. Hinc probatum manet, tertiam Sacramenti novæ legis conditionem extremæ unctioni competere: ritus enim infirmorum saluti, & peccatorum remissioni accommodatus, sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet; atqui hujusmodi esse sacram unctionis cæremoniam, ex verbis Scripturæ modo adductis manifesto constat: nec est quod quis inde cavillandi occasionem arripiat, quod ad sanitatem corporis procurandam instituta esse videatur: hunc enim, etsi unctionis effectum esse secundarium non negamus; principalis tamen est animæ sanitas, quomodo quando Christus a morbis corporeis multos, ut in Evangelio legitur, liberabat, animarum salutem, per fidei & gratiæ inspirationem principaliter intendebat, & omnipotente virtute operabatur. *Res & effectus hujus Sacramenti*, ajunt Trid. Patres, (*Sess.* 14, *cap.* 2.) *illis verbis explicatur*: & oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei: *res etenim hæc gratia est Sp. Sancti, cujus unctio delicta si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis facilius resistit*: *& sanitatem cor-*

corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur. Ergo &c.

PROBATIO SECUNDA.

Ex traditione.

Quod etsi unicuique vere fideli, & verbo Dei scripto debitam reverentiam exhibenti, ad assensum obtinendum satis superque futurum sit; accedit tamen Scripturæ, ex concentu traditionis, robur invictum. „ Illud enim pro vero & proprie dicto legis Evangelicæ Sacramento habendum est, quod velut ritum sacrum, effectui spirituali producendo divinitus accommodatum, antiqui Patres & Concilia omni data occasione commendarunt; atqui extrema unctio est hujusmodi ".

1. Quod ad Patres spectat: *Origenes* 3 sæculi scriptor insignis, postquam laboriosam, quæ in lacrymis fit, pœnitentiam proprio charactere descripsit: *in quo*, subjungit, (*hom. 2 in Levit.*) *impletur & illud quod Apostolus dicit; si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini*: innuit scilicet, id quod Patres Trid. novo decreto confirmarunt, unctionem hanc ab Apostolo commendatam, esse Christianæ pœnitentiæ complementum, ac veluti appendicem. Diversum tamen a pœnitentia esse Sacramentum, verbis minime obscuris significat, propriam illi materiam, oleum scilicet, assignando, quod nusquam est pro materia Sacramenti pœnitentiæ habitum.

S. Joannes Chrysost. qui 4 Ecclesiæ sæculo floruit: *non solum cum nos regenerant Sacerdotes*, inquit, (*lib. 3 de Sacerdot.*) *sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent: infirmatur*, inquit Apostolus, *inter vos aliquis? accersat Presbyteros:* hæc enim de Sacramento pœnitentiæ, uti non a Jacobo, ita nec a Joanne Chrysost. dicta esse ultro fatebitur, quisquis attenderit de homine etiam corporaliter ægrotante hic agi: quæ nusquam fuit conditio ad Sacramentum pœnitentiæ suscipiendum necessario requisita.

Sed multo expressius *Innocentius I* desinente 4 sæculo, & 5 ineunte Pontifex Max. consultus enim a *Decentio, Eugubino Episcopo*, utrum hæc verba: *infirmatur quis in vobis?* deberent de infirmis, oleo a Sacerdotibus inungendis intelligi? utrum etiam publice pœnitentibus, hæc unctio foret concedenda? ita respondit: (*Epist. 1 ad Decent. c. 8.*) *non est dubium*, (verba Jacobi) *de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt: quo, ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet, in sua, aut suorum necessitate inungendo .... pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?*

Ita *Innocentius*, ætate a nobis remotissima, de unctione extrema, non quasi de re incerta, aut noviter instituta, sed velut de ritu sacro nemini non cognito, & per omnes Ecclesias pervulgato, incunctanter pronuntiat: *non est dubium*, inquit: ne vero putaret aliquis, humanis institutionibus posse cæremoniam illam annumerari; eam cæteris Sacramentis æquiparat, nec alia ratione probat pœnitentibus, quamdiu publicæ satisfactionis stationes decurrunt, concedi non posse, quam quia genus est Sacramenti: *nam quibus*, inquit, *reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* viderint ergo Lutherani & Calvinistæ, qua fronte unctionem extremam, aut hypocrisim histrionicam, aut Sacramentum a nobis contra Christi institutionem inventum audeant dicere.

Sæculo 5 *S. Cyrillus Alex.* contra Incantatores agens: *tu vero*, inquit, (*lib. 6 de orat. in spiritu & veritate.*) *si qua tibi pars corporis dolet, & vere credis hæc verba*: (Dominus Sabaoth) *& alias hujusmodi appellationes, quas Deo divina Scriptura tribuit, vim habere pellendi malum illud; pro te ipso preces fundens, hæc verba pronuncia; sic enim rectius, quam illi facies, neque impuris spiritibus, sed Deo gloriam tribues: commemorabo etiam divinitus inspiratam Scripturam; quæ ait: infirmatur quis in vobis? adducat Presbyteros Ecclesiæ &c.* Itaque S. Doctor duo genera remediorum contra incantationes proponit; orationem nimirum qua nomen Domini Sabaoth invocetur, & unctionem quam Jacobus Apostolus commendavit. Ergo hujus unctionis sæculo quinto usus vigebat, & credebatur per illam, prout Scriptura declarat, non modo sanitatem corporalem restitui, sed etiam peccata remitti.

Sæculo 6 desinente *S. Gregorius M.* Pontifex Max. (*in Sacramentario*).

1. Describit ritum, quo oleum infirmorum unctioni destinatum, debet ab Episcopo consecrari: „ offertur, *inquit*, (*in Sacramentario*) Pontifici oleum, & benedicit illud, tam ipse, quam omnes Presbyteri, his verbis: *emitte Domine Sp. Sanctum tuum Paracletum de cœlis in hanc pinguedinem olive .... ut tua sancta benedictione omni*

„ hoc

„ *hoc unguentum tangenti*, *sit tutamentum* „ *mentis & corporis*, *ad evacuandum omnes* „ *dolores*, *omnesque infirmitates*, *omnem æ-* „ *gritudinem corporis &c.*

2. Sacerdoti, antequam infirmum inungat, hanc orationem præscribit: *operare creatura olei*, *ut non lateat hic spiritus immundus*, *neque in membris tuis*, *neque in medullis*, *neque in ulla compagine membrorum*; *sed in te habitet virtus Christi altissimi*, *& Spiritus Sancti*.

3. Præcipit, ut in ipsa actione ungendi, quibusdam Psalmis antea recitatis, pro infirmo Sacerdos postulet mentis & corporis sanitatem, hancque, inter cæteras, orationem effundat: „ Deus, qui humano generi & salu- „ tis remedium, & vitæ æternæ munera con- „ tulisti, conserva famulo tuo tuarum dona „ virtutum, & concede ut medelam tuam, „ non solum in corpore, sed etiam in anima „ sentiat “.

4. Ungendi officium hæc claudit oratio: „ ut mittere digneris sanctum Angelum tuum, „ qui famulum tuum in angustiis & necessi- „ tatibus laborantem, consolationibus tuis at- „ tollat, quibus & de præsenti consequatur „ auxilia, & æterna remedia comprehendat “.

Sæculo 7, a *Theodoro* Cantuar. in Anglia Archiepiscopo sic legimus constitutum: (*in lib. pœnitentiali*.) *ab infirmis in periculo mortis positis*, *pura est inquirenda confessio peccatorum* . . . . *& secundum auctoritatem canonicam*, *ne illis janua pietatis clausa videatur*, *orationibus & consolationibus Ecclesiasticis sacra unctione olei inuncti*, *secundum statuta SS. Patrum communione viatici reficiantur*: hic, ut vides, tria infirmis Sacramenta, confessionis, pœnitentiæ scilicet, unctionis, & communionis viatici, auctoritate canonica, secundum statuta Patrum tradi debere præscribitur.

Octavo sæculo, in capitularibus *Caroli Magni* Francorum Regis, (*lib. 6*, *cap. 75.*) sic legitur: *si infirmitate quis depressus fuerit*, *viram sine communione non finiat*, *nec unctione sacrati olei careat* . . . (*ib. cap. 76.*) *omnes Presbyteri oleum infirmorum ab Episcopo expetant*, *secumque habeant*, *& moneant fideles infirmos illud exquirere*, *ut eodem oleo peruncti*, *gratia Dei sanentur*, *quia oratio fidei salvabit infirmos*.

Sæculo 9, *Paschasius Radbertus* in vita Adelardi Abbatis Corbejensis, de eo sic scribit: „ interim vero audiens Beatus vir Hildmanus „ Episcopus, Sanctum ægrotare Patrem', ad- „ venit illico: interea cum cœpisset idem S. „ Episcopus a nobis percontari, utrum bene- „ dictionis oleo, sicut a B. Apostolo sancitum „ est, deberet perungi: interrogavimus eum, „ utrum ne vellet? . . . quod ille audiens, e- „ rectis oculis in cælum, obsecrabat ut fieret “.

Sæculo 10, auctor vitæ *S. Oswaldi* Eboracensis, in Britannia majori, Episcopi, de Sancto Præsule narrat, quod cum instare ultimam vitæ periodum prævideret, sacram unctionem petierit: *regressus in oratorium*, inquit, *convocatis Fratribus*, *hortatur eos*, *impendere sibi ministerium sacræ unctionis*, *cum viatico Dominici corporis*.

Sæculo 11, ejusdem Sacramenti mentionem facit *Wibertus* Archidiaconus in vita *Leonis* IX Pontificis Max. ubi narrat Sanctissimum Papam, *cum intelligeret*, *non diutius retinendum se carnis ergastulo*, *decrevisse*, *ut quoniam plures Episcoporum*, *Abbatum*, *cæterorumque fidelium effluxerant turbæ*, *eis præsentibus inungeretur sacri olei liquore*.

Sæculo 12, ejusdem Sacramenti meminit S. Bernardus, in vita S. *Malachiæ* Episcopi. (*c. 31.*) „ Jubet (Malachias) *inquit*, se sa- „ cro oleo ungi: exeunte conventu Fratrum „ ut solemniter fieret, non sustinuit ut ad se „ adscenderent: ipse descendit ad eos: jace- „ bat siquidem in domo superiori: ungitur, & „ sumpto viatico, Fratrum se orationibus, & „ Fratres commendans Deo, ad lectum rever- „ titur “.

A sæculo 13 ad nostram ætatem, laboriosa testium inquisitione nihil est opus: ab eo enim temporis fluxu, extremam unctionem ritibus sacris annumeratam, Lutherani & Calvinistæ non diffitentur: id quod dubio procul in ætatibus præcedentibus agnovissent, nisi vel obcæcata obstinatio, vel antiquitatis ignorantia obstitisset.

2. Quantum ad Concilia pertinet, Synodus 2 Cabilonensis (*an.* 813.) Can. 48 sic statuit: „ secundum B. Jacobi Apostoli docu- „ mentum, cui etiam documenta Patrum con- „ sentiunt, infirmi oleo quod ab Episcopis be- „ nedicitur, a Presbyteris ungi debent; sic „ enim ait Jacobus: *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ &c.* Non „ est itaque parvipendenda hujusmodi medici- „ na quæ animæ, corporisque medetur lan- „ guoribus “.

Concilium Aquisgranense (*an.* 836.) can. 5. *Si quis autem*, inquit, *infirmitate depressus fuerit*, *ne confessione atque oratione Sacerdotali*, *nec non unctione sacrati olei*, *per Presbyteri negligentiam careat*. *Denique si finem urgentem perspexerit*, *commendet animam Christianam Domino Deo suo*, *cum acceptione sacræ communionis*.

Synodus Moguntina (*an.* 847.) cap. 26. „ ab infirmis in mortis periculo positis, *ait*, „ per

„ per Presbyteros pura inquirenda est confes„ sio: & ideo secundum canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clausa videa„ tur, orationibus, & consolationibus Eccle„ siasticis, sacra cum unctione Dei, animati, „ secundum statuta SS. Patrum communione „ Viatici reficiantur".

Concilium Ticinense (*an.* 850.) cap. 8. „ illud quoque Sacramentum, *inquit*, quod „ commendat Jacobus Apostolus, dicens; *in„ firmatur quis in vobis* &c. solerti prædica„ tione populis innotescendum est: magnum „ sane & valde appetendum mysterium, per „ quod si fideliter poscitur, & remittuntur „ peccata, & consequenter corporalis sanitas „ restituitur; sed quia frequenter contingit, „ ut ægrotus aliquis aut Sacramenti vim ne„ sciat, aut minus periculosam reputans in„ firmitatem, salutem suam operari dissimu„ let, aut certe morbi violentia obliviscatur: „ debet eum Presbyter congruenter admonere, „ quatenus ad hanc spiritualem curam, se„ cundum propriæ possibilitatis vires, vicinos „ quoque Presbyteros invitet".

Concilium Œcumenicum Constant. (*ann.* 1414.) eamdem doctrinam præclare confirmat. Sessione enim 15 decretum *Martini V* Pontificis Max. probatum est, constituentis, *ab eo qui de hæresi suspectus fuerit præter cætera quærendum, an credat quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum confirmationis, vel extremæ unctionis, peccet mortaliter?*

Eugenius IV in decreto pro instruct. *Armenorum*, post Concilium Florent. lato, (*an.* 1439.) inter 7 Ecclesiæ Sacramenta, extremam unctionem quinto loco enumerat, ejusque usum & effectum Jacobi Apostoli auctoritate confirmat.

Accedunt denique Canones Concilii Trid. superius allegati, quibus sub anathematis pœna credendum decernitur, extremam unctionem Sacramentis Evangelicis accenseri.

Quæ etsi ad veritatem quam modo defendimus, adstruendam abunde dicta videri possunt; minime tamen putandum, argumentum traditionis his quas attulimus auctoritatibus contineri: eadem enim S. Aug. in lib. *de speculo*: Victoris Antiocheni, *in Evangelium S. Marci*: S. Eligii Noviomensis Episcopi: Ven. Bedæ *comment. in Evang. S. Marci*, *& in Ep. Jacobi*: Hincmari Remensis Archiepiscopi, *in capitulis*; & plerorumque aliorum sententia fuit, quorum verba, si se dabit occasio, vel ratio postulaverit, in decursu præsentis libri promemus.

PROBATIO TERTIA.

De præscriptione.

Quamquam, ut dicam ingenue, hujusmodi probationibus non egemus. Nobis enim pro clypeo inexpugnabili est, perpetua & nusquam interrupta possessio, unde hæreticorum cavillis & vanis argutiis deturbari hactenus S. Dei Ecclesia non potuit, nec poterit unquam.

Illud, inquam, est verum legis Evangelicæ Sacramentum, quod universa Ecclesia sacris symbolis divinitus traditis ab omni retro memoria sine interruptione accensuit: cum enim habeat Sp. Sanctum infallibiliter assistentem, ejusque supremo nutu regatur; sicut non potest veritates a Christo acceptas deserere, ità nec dogmatibus divinitus revelatis addere aliquid contrarium veritati; atqui extremam unctionem esse verum legis Evangelicæ Sacramentum, si solos Calvinistas & Lutheranos excipias, quotquot Christiano censentur nomine, Latini, Græci, Orientales, sine discrimine profitentur, semperque professi sunt. Ergo dubium nullum est, quin in bonis divinitus acceptis habeat locum.

De Latina Ecclesia nemo ambigit, quin extremam unctionem tamquam verum Sacramentum admittat; cum hæc, præter cæteras, sectariis novis, schismatis ac rebellionis occasio fuerit: nec minus certum est, eam Græcorum & Orientalium esse fidem: cum enim nullum non moverint lapidem Lutherani & Calvinistæ, ut Græcos sibi conciliarent, & in suas partes pertraherent, semper ignominiose repulsi sunt. Græci namque & alii per Orientem effusi variarum sectarum Christiani, ab iis de numero Sacramentorum interrogati, constanter responderunt, se consentanee cum Latinis septem Sacramenta admittere, eamque doctrinam a Patribus inviolata traditione acceptam. Id quod tum de cæteris, tum nominatim de extrema unctione, certis documentis, probarunt.

Sic *Gregorius Proto-syncellus*, (*in Epitome dogmatum Eccl. c. de 7 Sacr. sive extr. unct.*) *septimum Sacramentum*, inquit, *unctio puri olei est, pro ægrotantibus præparata, per benedictionem & sanctificationem, sanitatis spiritualis & corporalis conferendæ vim habens: unum est e septem Sacramentis, tunc a Christo ordinatum cum discipulos suos misit, ut Evangelium prædicarent, & prout in S. Marco habetur*, (Mar. 6, 13) ungebant oleo multos ægros, & sanabant ... *verum porro Sacramentum esse, multiplici ratione adstruitur:*

tur: quæ enim tria necessario quodlibet Sacramentum requirit, in hac unctione occurrunt: 1, *externa materia:* 2, *gratiæ divinæ infusio:* 3, *institutio Christi: habet, inquam, externam materiam, purum olivæ oleum: Dei gratiam confert, quia peccata homini confesso remittit, ægroti sanitatem restituit, animam hominis moribundi confirmat, ut aereis potestatibus eum ab ingressu cæli arcere conantibus, valide possit resistere: denique imperatam a Christo inde monstratur, quia est ab Apostolis observata.*

Eadem *confessionis Orthodoxæ*, (summi apud Græcos auctoritatis libri) professio est: *septimum Sacramentum*, inquit, (*quæs.* 117) *est extrema unctio, a Christo præscripta. Cum enim cœpisset discipulos suos binos mittere*, (Mar. 6, v. 7 & 13) *ungebant oleo multos, & sanabant: quam deinceps unctionem religiosa consuetudine Ecclesia observavit, prout ex Ep. S. Jacobi compertum est: infirmatur quis in vobis? &c. . . .* (*quæst.* 119) *fructus hujus Sacramenti sunt, quos velut ei proprios S. Jacobus Apostolus explicat, videlicet remissio peccatorum, animæ salus, corporis denique sanitas, quam etsi non semper importet, semper tamen animam per remissionem peccatorum in meliorem statum restituit.*

Meletius Syrigus (*in refutatione articulorum Cyrilli Lucar.*) Ecclesiæ Græcæ doctrinam sic explicat: *certo credimus oleum, Domini & Dei nostri Jesu Christi invocatione consecratum, ab ipso Christo præscriptum: eo siquidem Apostoli utebantur, prout Sanctus Evangelista Marcus testatur*: ungebant oleo multos ægros & sanabant: *idemque nobis facere præceperunt: ait enim B. Jacobus Apostolus*; infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei: *nec enim credibile est, paria jussuros Apostolos, nisi in mandatis a Domino habuissent, qui eos ad prædicandum mittens*: euntes, *inquit*, (*Matt.* 28, 19, *Mar.* 16, 15) prædicate Evangelium omni creaturæ: docete omnes gentes, servare omnia quæcumque mandavi vobis: (*Matt.* 10, 27) quod dixi vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure audistis, prædicate super tecta. *Unde manifesto sequitur, nihil quidquam Apostolos præter præcepta Domini intimasse; nihil a se ipsis dixisse quod pro humana institutione haberi possit; sed illud tantum quod ab ipso Deo & Salvatore nostro Jesu, eique consubstantiali Sp. Sancto acceperant: per unctionem hujus Sancti olei, quod est lætitiæ symbolum, animam ægrotantem, postquam reconciliata Deo fuerit, perfundentis, non solum corporalis sanitas sæpe restituebatur; dona nimirum invisibilia, per res visibiles Deo attestante: verum & remissio promittitur peccatorum. Ait enim S. Jacobus*: alleviabit ægrotum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei: *unde infertur, id quod a nobis εὐχέλαιον, sive*, oleum cum prece, *vocatur, vere sacrum mysterium, id est Sacramentum esse.*

Accedit *Jeremiæ* Patriarchæ Constantin. in responsione ad Lutheranos Wittembergenses; utriusque Synodi, sub Cyrillo Berrœensi, & Parthenio seniore, contra perfidam *Cyrilli Lucaris* fidei confessionem; alterius item Synodi, Hierosolymis a Patriarcha *Dositheo* an. 1672, congregatæ; & aliorum denique sæpe, præcedentibus libris, citata auctoritas, uniformiter attestantium, extremam unctionem septenario Sacramentorum novæ legis numero comprehendi: itaque de Græcorum cum Latinis consensione nulla dubitatio esse potest.

Quod autem ea semper fuerit Ecclesiæ universæ confessio, manifestum fit ex antiquissimis Græcorum Euchologiis, & ritualibus Latinorum. Quod ad istos quidem spectat, Sacramentarium Gregorii M. Pontificis Max. ab 11, & amplius sæculis descriptum, probatione præcedente attulimus, ubi extremæ unctionis ritus omnes & sacræ cæremoniæ, non velut de novo introductæ, sed tamquam ab antiquo acceptæ accuratissime præscribuntur, earumque vis & efficacia commendatur.

Quantum vero ad Græcos attinet, non minus perspicue in eorum Euchologiis doctrina eadem continetur. Fuse ibi officium notatur olei Sancti, a septem Sacerdotibus tum benedicendi, tum administrandi: (*vide apud* Goar, *officium olei Sancti decantatum a 7 Sacerdotibus a pag.* 408, *ad pag.* 428,) virtuti, operationi, & adventui Sp. Sancti, ejusdem benedictio accepta tribuitur, uti sequens oratio attestatur.

Oratio, ad Olei Benedictionem.

Domine, qui in misericordiis & miserationibus tuis, animarum corporumque contritiones curas, ipse Domine oleum hoc sanctifica, ut in medelam omnis passionis carnalis, & spiritualis inquinamenti, & omnis denique mali depulsionem ex illo unctio fiat: ut in eo glorificetur Sanctissimum nomen tuum, Patris & Filii, & Sp. Sancti.

Sequuntur orationes erga infirmum ungendum faciendæ.

Oratio secunda.

Precamur te, Domine, ut stillet hoc oleum super unctos in tuo nomine, in medelam & curam animæ & corporis, & in munditiem, & liberationem omnis doloris & omnis ægritudinis & infirmitatis, & omnium sordium animæ & corporis: ut & in hoc glorificetur sanctissimum nomen tuum, Patris, & Filii, & Sp. Sancti, in sæcula sæculorum.

Oratio tertia.

Respice Domine, de sancto habitaculo tuo, & oleum hoc sanctifica: & visita servum tuum in misericordia & miserationibus, & congruentem ei salutem, & integritatem largire: libera eum ab omni ægitudine, & languore animæ & corporis: & fiat ei, Domine, oleum hoc in omnis ægritudinis medelam.

Oratio in laudibus.

Domine Omnipotens qui castigas.... omnem ægritudinem & languorem sanas, quia tu ægritudines nostras curas: erige servum tuum e doloris lecto, infirmitatis cubili: serva eum & integrum Ecclesiæ tuæ restitue, ut tibi placeat, & voluntatem tuam omnibus diebus vitæ suæ adimpleat.

Oratio à singulis septem Sacerdotibus dicenda.

Domine Deus noster, solus bonus & humanus, solus benignus & mansuetus, solus miserator & misericors: Deus noster & Pater Domini nostri Jesu Christi, sub Pontio Pilato crucifixi, & tertia die resurgentis, & in gloriam suam & tuam ascendentis: gratia tua super servum tuum veniat .... illumina ejus viscera & membra tua voluptate, & ab omni peccato illum expurga: mundum & immaculatum ab omni adversarii molestia illum conserva, & juxta benignitatem tuam Domine, quæ tua sunt cogitare, sapere, & mente volvere concede, tuo timore configi, & tibi placita ad usque ultimum diem, horam extremam, & postremum habitum exequi largire. Benedictus es Domine Omnipotens, Pater Domini Nostri Jesu Christi, qui omnem infirmitatem & languorem curas, fortis & benefactor, qui ab alieno oppressos cunctos liberas: ipse clemens, bonorum amator, animarum amice, potentem manum tuam, & brachium tuum excelsum & sanctum extende; & animam corpusque servi tui tange, & doloris ejus lecto, & ab omni eum infirmitate detinente erige: ut inde exurgens cum omni populo tuo, Sanctissimum nomen tuum glorificet.

Post Orationem, accipit Sacerdos oleum & extremam unctionem adhibet, sequentem orationem dicens.

„ Pater Sancte, animarum & corporum medice, qui filium tuum Unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, omnem morbum curantem, & ex morte nos liberantem misisti: sana quoque servum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate, & vivifica illum per Christi tui gratiam: intercessionibus, super omnes Sanctæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ, protectionibus venerandarum supercælestium virtutum incorporearum, virtute pretiosæ & vivificæ crucis, honorandi gloriosi prophetæ & præcursoris Baptistæ Joannis, Sanctorum gloriosorum & toto orbe celebrium Apostolorum, Sanctorum gloriosorum & victoriis clarorum martyrum & Deiferorum Patrum nostrorum, Sanctorum medicorum mercede non conductorum Cosmæ & Damiani, Cyri & Joannis, Pantaleonis & Hermolai, Samsonis & Diomedis, Photii & Anyceti, Sanctorum, & Justorum Dei-Parentum Joachim & Annæ, & omnium Sanctorum, amen: quia tu es fons sanitatum Deus noster, & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Dubium ergo non est, quin Græcorum cum Latinis summa semper fuerit, in admittendo extremæ unctionis Sacramento consensio: eamdemque Orientalium Christianorum fuisse fidem facile recognoscet, qui *officia* eorum, & *libros Rituales* scrutabitur. Nam ægrotantium unctionem religiose hactenus observarunt: ritus ac preces, Græcorum cæremoniis & orationibus simillimas adhibent: corporis equidem, si ita visum Deo fuerit, & ad ægroti salutem conducibile, sed animæ præsertim sanitatem, & condonationem peccatorum exposcunt: in administrandæ unctionis officio, *c. 6 Marci*, & *c. 5 Jacobi*, ubi de unctione infirmorum præscriptio est, legere numquam prætermittunt; quod certissimum argumentum est ex eorum sententia cæremoniam hanc in verbo Dei esse fundatam: denique in officio ordinationis Presbyterorum, præter cætera Episcopus pro ordinandis, a Deo petit, ut eis potentiam largiatur, manus ægrotantibus imponendi; quod ipsissimum est extremæ unctionis Sacramentum.

Ra-

Ratum itaque sit ac constitutum, communem totius Ecclesiæ, quam defendimus, ab antiquo esse doctrinam. Jam argumentum sic resumo: quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur; atqui extremam unctionem esse legis Evangelicæ Sacramentum, universa tenet Ecclesia: tenet Latina, quod Lutherani & Calvinistæ non diffitentur; tenet Græca & Orientalis non in Catholica tantum parte, sed in omnibus sive Hæreticorum sive Schismaticorum sectis, quæ ibi plurimæ sunt, quarumque adeo plena consensio, & convictio est, doctrinam de extrema unctione, omni hæresi & schismate longe esse antiquiorem, utrimque ritus venerandi, in Scriptura & Patrum traditione fundamenta inconcussa ponuntur; utrimque ejus virtus ad delenda peccata, & dæmonis versutias deludendas agnoscitur. Deinde probare hactenus Hæretici nequiverunt, doctrinam hanc aliquo primum Concilio institutam, & ab una Ecclesiæ parte in alteram, cujuspiam artificio vel auctoritate intrusam. Ergo fatebitur quisquis animum habuerit ab omni præjudicio liberum, non nisi auctoritate Apostolica traditam, & ad nos usque transmissam.

CAPUT SECUNDUM.

Eliduntur Hæreticorum Cavilli.

ARgumento duplici Catholicum dogma concutere hæretici moliuntur. Primum ex Scriptura, alterum ex traditione intorquent. Expendendum utrumque & exagitandum, pro merito.

I.

Proponitur & resolvitur objectio prima.

Objiciunt. Præter testimonium *Jacobi*, nullum ex Scripturis affertur, quo extremæ unctionis veritas & divina institutio adstruatur; atqui prorsus hoc argumentum infirmum est. Primo enim probandum foret Epistolam Jacobi esse canonicam, & ab eo dictatam, cujus nomine insignitur; atqui neutrum certo evincitur. Ergo nec inde statui potest, extremam unctionem Sacramentis Evangelicis accenseri. „ Habent (Catholici) *inquit Lutherus*, (*in lib. de Captiv. Babyl.*) quod in os mihi retundant, nimirum quod auctoritate Jacobi Apostoli, hic promissio & signum sit, quibus ego Sacramentum constitui hactenus dixi. Ego autem dico: si uspiam deliratum est, hoc loco præcipue deliratum est. Omitto enim quod hanc Epistolam non esse Apostolico spiritu dignam, multi valde probabiliter asserant; licet consuetudine auctoritatem, (cujuscumque sit,) obtinuerit. “

℞. concessa maj. n. min. ad cujus probat. nego iterum min. Jacobi enim Epistolam esse Scripturæ canonicæ partem, diserte docent Concilia, Laodicenum, Milevitanum, Carthaginense 3, Origenes hom. 7 in Josue, S. Athanasius in Synopsi, S. Epiphanius hæresi 76, S. Hieronymus in Ep. ad Paulinum, S. Aug. l. 2 de Doct. Christ. c. 8, Innocentius I in Ep. ad Decentium, universa denique Græcorum ac Latinorum traditio clamat, cujus Doctrinam novo canone confirmavit Concilium Trid. sess. 4 in Decreto de Canonicis Scripturis. Credemus vero impio Luthero, testi scilicet idoneo atque incorrupto, contra Ecclesiæ universalis auctoritatem temerario insurgenti, & ne Sacramentum Christi cogatur admittere, Sp. Sancti, qui per os Jacobi locutus est, testimonium conculcanti? absit. Quod enim a multis assertum Lutherus addit Epistolam hanc non esse Jacobi, etiamsi verum foret, nihil inde de ejus auctoritate minueretur: aliud enim est, de auctore unius libri, aliud de auctoritate ambigere: quia, absolute loquendo, non ab iis qui scripserunt, sed a Sp. Sancto, quo dictante ac dirigente scripserunt, divina volumina pondus habent: sive igitur a Jacobo, (quod certo Ecclesia magistra tenemus,) sive ab alio quovis Jesu Christi insigni discipulo scripta Epistola sit; stat nihilo secius firma ejus & inconcussa auctoritas, quia Sp. Sanctum habuisse auctorem, Ecclesia Catholica profitetur; itaque a Luthero cum alibi sæpissime, tum in hoc loco præcipue deliratum.

Inst. 1. A quocumque scripta hæc Epistola fuerit, ad Canonicam Scripturam non pertinere, duo, præter cætera, momenta suadent. Primum est, quod inscripta statim in ejus limine salutatio, nec Jesum Christum, nec ejus gratiam, nec pacem divinam spiret; id quod videmus in cæteris tum Beati Pauli, tum aliorum litteris vulgo fieri: sed verbis mere prophanis concepta sit. *Jacobus*, inquit (*cap.* 1, *v.* 1) . . . *duodecim tribubus quæ sunt in dispersione, salutem.*

Alterum est, quod Doctrinæ Apostoli Pauli e diametro contraria sit: ejus enim præcipuus scopus est, fidei insufficientiam ad salutem, & bonorum operum ad justificationem, necessitatem adstruere: *quid proderit Fratres mei*, inquit, (c. 2, v. 14) *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habet? numquid poterit fides salvare eum?* . . . (ib. v. 17) *fides, si non habeat opera, mortua est in se-*

metipsa . . . . (ib. v. 20, & seq.) *vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium super altare? vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides consummata est?* . . . *videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum?* . . . *sicut enim corpus sine spiritu mortuum est; ita & fides sine operibus mortua est*. E contra Paulus bonorum operum necessitatem excludens: *justus*, inquit (Rom. 1, 17) *ex fide vivit* . . . (ibid. c. 3, v. 20) *quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro* . . . . (ib. v. 22) *justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt* . . . (ibid. v. 28) *arbitramur justificari hominem per fidem, sine operibus legis* . . . (ib. c. 4, v. 2) *si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura? credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad justitiam: ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam, secundum propositum gratiæ Dei*, &c. Jam sic contrahitur argumentum:

Spiritus Sanctus Scripturarum auctor secum pugnare non potest: contradicit Apostolo Paulo Epistola Jacobo inscripta. Non habet ergo Sp. Sanctum auctorem: adeoque nec canonica est, nec ad dogmata divina adstruenda proferri potest.

℟. neg. ant. quoad utramque partem: & primum quidem quod opponitur, adeo leve ac puerile est, ut nec responsione sit dignum: quid enim quæso in hac Jacobi salutatione prophanum est, præsertim si ex integro referatur? *Jacobus*, inquit, *Dei & Domini nostri Jesu Christi servus duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem*. Numquid aliam, qui se Christi servum profitetur, quam quæ a Christo est, augurari salutem potest? abeat ergo cum insanis suis scrupulis Lutherus, in religiosa salutatione, nihil nisi prophanum intelligens: & si ideo Scripturis canonicis abjudicandam hanc Epistolam autumat, quia non ibi, sicut in Pauli Epistolis legit: *gratia vobis & pax, a Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo*: pariter e Scriptura Divina expungat Epistolam ad Antiochenos ab Apostolis communi consilio scriptam, cujus initium est: (*Act.* 15, 23) *Apostoli & seniores, his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, Fratribus ex Gentibus, salutem*: dicat quoque Epistolam Joannis ad Cajum, Apostolicam nil spirare, adeoque Scripturarum Catalogo extirpandam, quia sic more Gentilium incipit: (*Epist.* 3, *Jo. v.* 1) *Senior Cajo Carissimo*: & his verbis clauditur: (*ibid. v.* 14) *salutant te amici: saluta amicos nominatim*: quis tam insulsam oppositionem non rideat?

Secunda plusculum habet difficultatis, quam etsi resolvere præsentis instituti non est, quippe quæ ad tractatum de fide pertineat; paucis dicam quod ejus repulsioni satis superque futurum sit. Nego itaque ullam Jacobum inter & Paulum esse pugnantiam; si quidem uterque fidei & bonorum operum, ad justitiam & salutem necessitatem, pariter adstruit. Paulus enim non secus ac Jacobus fidem vivam & caritate operantem ubique requirit. Sic 1 ad Cor. c. 13, v. 2, *si habuero*, inquit, *omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum*: & Ep. ad Galatas c. 5, v. 6, *in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides quæ per caritatem operatur*: itaque ex Apostolo, in hoc Religio tota consistit, ut fides habeatur, non languens & mortua, sed viva & actuosa per caritatem. „ Ipsa fides, *inquit S. Aug. ad ejus auctoritatem attendens*, (*serm.* 53, *al.* 14) definita est, quæ per dilectionem operatur: tolle fidem, perit quod credis: tolle caritatem, perit quod agis. Fidei enim pertinet ut credas; caritati, ut agas: si enim credis, & non amas, non te moves ad bonum opus . . . illa ergo fides mundat cor, quæ per dilectionem operatur, . . . " & alibi, explicans hæc verba Joannis: (*tract.* 10 *in Epist. S. Joannis*) *omnis qui credit, quod Jesus sit Christus, ex Deo natus est*: „ quis est, *inquit*, qui non credit, quod Jesus sit Christus? quis non sic vivit, quomodo præcepit Christus: multi enim dicunt: *credo*: sed fides sine operibus non salvat: opus autem fidei, ipsa dilectio est, dicente Paulo Apostolo: *& fides quæ per dilectionem operatur* . . . . . sine dilectione fides inanis est: cum dilectione, fides Christiani: sine dilectione, fides dæmonis . . . . adde huic fidei dilectionem, ut fiat fides qualem dicit Apostolus Paulus: *fides quæ per dilectionem operatur*: invenisti Christianum &c. " dubium itaque non est, quin utriusque Apostoli, eadem Doctrina, eadem sententia sit: nec putandum, quod ait Paulus: *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*: ei esse contrarium, quod dixit Jacobus: *Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est?* &c. hoc enim dicebat Paulus, ut ostenderet nemini bona opera quantumvis oculis hominum excellentia, ante fidem & gratiam, ad salutem quidquam prodesse;

desse; & Hebræorum temeritatem reprimeret jactitantium se legis operibus promeritos esse, ut ad Evangelium vocarentur; in contrarium statuit eximius gratiæ prædicator, nemini justificationem ex operibus legis contingere; sed ex fide in Deum, quæ Abrahæ reputata est ad justitiam, ante datam ei circumcisionem, quam postea accepit, futurus, non lege, sed justitia fidei, pater omnium qui ipsius fidem imitarentur. Jacobo vero, sicuti & Petro, & Joanni, & Judæ in Epistolis canonicis, ut observat S. Aug. (*in lib. de fide & operibus c.* 14) in primis erat propositum, hanc stabilire veritatem: *fide, bonis operibus destituta, salvari neminem posse*: ab ipsis enim Ecclesiæ exordiis, discipuli Simonis Magi, & deinceps Nicolaitæ, quorum errorem Lutherani & Calvinistæ postremis temporibus excitarunt, fidem otiosam, omnique bono opere vacuam, ad salutem sufficere prædicabant, iisdemque ad disseminandum errorem, quæ opponunt recentiores hæretici, testimoniis B. Pauli perperam intellectis abutebantur. Jam existimo neminem esse qui non videat, bene invicem B. Pauli, & Jacobi Apostoli cohærere sententias: aliud enim est affirmare, *neminem propriis operibus, fidem & gratiam promereri*, quæ Pauli Doctrina est: aliud, *neminem sola fide, sine caritate & bonis operibus, salutem consequi posse*: quod non Jacobus solum, sed tota Scriptura, ipseque Apostolus clamat: verum de his plusquam satis in præsenti. Jam ut illuc, unde paululum digressa est disputatio revertatur:

Inst. 2. Non licuit Apostolo, privata auctoritate Sacramentum aliquod instituere; hoc enim jus summum est Christi. Cum ergo extremæ unctionis institutio Jacobo attribuatur; tenere veri Sacramenti locum non potest: *tamen si etiam esset Apostoli* (*hæc Epistola*,) inquit Lutherus, (*in lib. de Captiv. Babyl.*) *dicerem non licere Apostolo sua auctoritate Sacramentum instituere: hoc enim ad Christum solum pertinebat*.

R. Concesso antecedente neg. cons. & suppositum argumenti: novo se laqueo implicat Lutherus, quando extremæ unctionis mandatum & institutionem in S. Jacobum refundit: quanto verius Catholici sic concludunt; extremæ unctionis institutionem Jacobus in Epistola canonica commendavit; atqui non licuit Apostolo privata auctoritate instituere Sacramentum: non ergo judicio proprio, sed Christi supremi legislatoris jussu, extremæ unctionis legem Apostolus promulgavit: hanc enim necessariam esse illationem fatebitur quisquis erit mediocriter Christianus, & sciverit Apostolos in divinis mysteriis nihil sibi præter ministerium arrogasse: quo posito inconcusso principio, necessario sequitur, quidquid in Evangelio, & litteris canonicis legitur præceptum, Deo auctore præceptum: hinc Gregorius Proto-Syncellus supra citatus (*in Epist. dogmatum Eccles. cap. de 7 Sacr.*) *imperatam*, inquit, *a Christo extremam unctionem, inde mostratur, quia est ab Apostolis observata*: & Meletius Syrigus: (*in refutatione articulorum Cyrilli Lucar.*) *certo credimus*, ait, *oleum . . . ab ipso Christo præscriptum: eo siquidem Apostoli utebantur . . . . idemque nobis facere præceperunt . . . nec enim credibile est, paria jussuros Apostolos, nisi in mandatis a Domino habuissent . . . unde manifesto sequitur, nihil quidem Apostolos, præter præcepta Domini intimasse; nihil a se ipsis dixisse, quod pro humana institutione haberi possit; sed illud tantum quod ab ipso Deo & Salvatore nostro Jesu, eique consubstantiali Sp. Sancto acceperant*.

Inst. 3. Atqui non debent verba Jacobi intelligi de Sacramento proprie dicto. Ergo &c. prob. subs. verba quibus significatur gratia curationum, qua primis temporibus fideles divinitus donabantur, quæque gratiis annumerabatur, non debent accipi de Sacramento proprie dicto; atqui, inquiunt hæretici, verba Jacobi gratiam curationum significant, videlicet gratis datam, Apostolis, primisque fidelibus ideo concessam, ut fides efficacius persuaderetur, & signis visibilibus confirmaretur. Ergo &c.

R. neg. subs. ad probat. concessa maj. n. min. & dico putidum hoc hæreticorum esse figmentum, a Patribus Trid. anathemate percussum: canone enim 2 supra laudato: *si quis dixerit*, inquiunt, *sacram infirmorum unctionem . . . jam cessasse, quasi olim fuerit tantum gratia curationum*: *anathema sit*. Absurdum autem, & a Jacobi mente alienissimum, hoc hæreticorum esse interpretamentum, duo quæ sequuntur momenta evincent.

1. Est: quæcunque præcepta in hac epistola tradit Jacobus, ad omnia tempora pertinent: ridiculum ergo est, mandatum de infirmis ungendis ad solam Apostolorum ætatem restringere: & vero generale hoc esse mandatum, & ad omne legis Evangelicæ tempus sine limite pertinere; præter Innocentium I Pontificem Max. Gregorium M. in Sacramentario, Græcos & Orientales in euchologiis, & alios denique superius numero magno citatos, S. Aug. expresse significat, in lib. cui titulus est: *speculum*: ibi enim varia congerit testimonia, quibus Christiano cuilibet, quid agendum, quidve sit vitandum præscribitur; atque inter ea, quæ res agendas commendant, Jacobi

cobi sententiam allegat : *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ &c.* ætate ergo S. Aug. Sacerdotes vocare solemne erat, ut fideles ægrotantes inungerent, eisque per sacram unctionem cum oratione conjunctam, peccatorum remissionem impartirentur: atque adeo credidit S. Doctor, unctionem hanc non gratiis gratis datis, sed veris legis Evangelicæ Sacramentis annumerari.

2. Est: Jacobus gratiæ de qua loquitur solos Presbyteros declarat esse ministros : *inducat*, inquit, *Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum &c.* atqui gratia curationum non Presbyteris tantum, sed & aliis quibuscumque Deo visum erat, prima Ecclesiæ ætate concedebatur : *divisiones gratiarum sunt*, inquit Apostolus, (1 *Cor.* 12, 4, & *seq.*) . . . . . *alii quidem per spiritum datur sermo Sapientiæ . . . . alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum . . . hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult* : non ergo loquitur Apostolus de gratia sanitatum gratis data: alioquin dicere non debuisset : *inducat presbyteros Ecclesiæ* : sed : *indifferenter, eorum aliquos qui fuerint gratiæ sanitatum divinitus instructi, accersat.*

Inst. 4. De ea gratia debent verba Jacobi intelligi, de qua apud Marcum mentio fit his verbis : (*Mar.* 6, 13) *exeuntes* (discipuli) *prædicabant ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant*; atqui nihil hic præter gratiam corpora sanandi occurrit: idem ergo de verbis Jacobi dicendum.

R. Neg. maj. verba enim Marci, ut ex ipso contextu patet, ad solam corporum curationem pertinent: verbis vero Jacobi significatur, non corporis tantum, sed & animæ curationem, unctione quam præcipit, obtinendam: *alleviabit*, inquit, *eum Dominus*; &, *si in peccatis sit, remittentur ei*: dicendum itaque, non hoc præcise præcipi a Jacobo, quod in Marci Evangelio factum ab Apostolis legimus; sed, quod in miraculo dum Apostoli a Christo missi prædicabant, præcesserat, figuram Sacramenti fuisse, quod postea a Christo institutum, Jacobus ejus imperio promulgavit: hinc Trid. patres : *instituta est*, inquiunt, (*sess.* 14, *c.* 1) *sacra hæc unctio infirmorum, tamquam vere & proprie Sacramentum novi Testamenti, a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum, ac promulgatum.*: aliud porro est, Sacramentum insinuare, & ejus aliquam veluti præsensionem præmittere, quod etiam in figura fieri potest : aliud commendare & promulgare ; nec ab hac sententia Græci discrepant, qui licet ex Marci c. 6, præscriptam a Christo unctionem deducant ; vim tamen Sacramenti, & gratiæ spiritualis producendæ virtutem, quæ ejus propria est, ex verbis Jacobi præcipue inferunt : sic Simeon Thessalonicensis, eo fide dignior, quod Lutheri & Calvini ætatem longe præcessit: „ oleum „ Sanctum, *inquit*, (*in lib. de Sacr.*) *tradi-* „ *tione nobis est commendatum : velut cære-* „ *monia Sacra, Typum divinæ misericordiæ* „ *gerens, ad liberationem & sanctificationem* „ *eorum qui a peccatis convertuntur*; neque „ solum remissionem peccatorum & sanctifi- „ cationem; sed & morborum curationem pro- „ ducens : dedit hoc Sacramentum Christus, „ cum discipulos binos & binos ante se misit, „ ut pœnitentiam prædicarent: unde manife- „ stum est, Sanctum hoc oleum, pœnitentiæ „ veluti complementum esse: dæmonia multa „ abegerunt, & ægrotos multos oleo ungendo „ sanarunt: indeque ostenditur, oleum conse- „ cratum pœnitentibus concedi, ægrotos sana- „ re; neque ad corporum tantum, sed & ad „ animarum medicamentum conferre, prout „ testatur Jacobus Domini frater : *infirmatur* „ *quis in vobis*? &c. “

Inst. 5. Sive Sacramentum olim extrema unctio dicta fuerit, seu alio quovis nomine appellata; certum tamen est, nullum ejus nunc temporis usum esse: cæremonia enim cujus nullus comparet effectus, otiosa & inutilis est existimanda; atqui unctionis, quam extremam vocant, effectus jam nullus est : ubinam enim gentium eos reperias, de quibus audeas affirmare, quod unctionis efficacia ad sanitatem pristinam convaluerint? fatendum ergo non pro Sacramento in perpetuum duraturo, sed pro cæremonia temporaria, olei unctionem primis temporibus institutam : si unctio ista, *inquit Lutherus* (*lib. de Captiv. Babyl.*) *Sacramentum est, debet sine dubio esse* (*ut dicunt*) *efficax signum ejus quod signat & promittit : at sanitatem & restitutionem infirmi promittit.... quis autem non videt, hanc promissionem in paucis, imo in nullis impleri? inter mille enim vix unus restituitur : idque nemo Sacramento, sed naturæ, vel medicinæ beneficio fieri putat* : nec minore audacia Calvinus : (*lib.* 4 *instit. cap.* 19) *evanuit*, ait, *gratia illa curationum, quemadmodum & reliqua miracula, quæ* (*Christus*) *ad tempus edi voluit.*

R. Nego ant. ad probat. concessa maj. n. min. constans enim & perpetuus unctionis effectus, quem in subjectis bene dispositis, non secus ac alia Sacramenta, ex opere operato producit, quemque etsi oculis corporalibus non videmus, fidei intuitu cernimus, remissio peccatorum est, ejus celebrationi ex Christi promisso infalli-

fallibiliter annexa: alterum porro effectum, qui est corporalis restitutio sanitatis, quoniam secundarius est, etsi fatemur non semper, neque vulgo obtineri, negamus tamen numquam produci; & Lutheri horremus insaniam, naturæ plus & Galeno, quam unctioni divinæ, ad vires refocillandas attribuentis: quo enim magistro homo sacrilegus didicit, si quis accepta unctione sanetur, non Sacramenti virtute, sed naturæ, vel medicinæ beneficio fieri? numquid enim vero potentior est ad sanandum natura, quam auctor naturæ? numquid artis medicæ non tam regulis quam conjecturis magis credendum, quam Sp. Sancto dicenti: *infirmatur quis in vobis*, &c.? *at*, inquit, *inter mille vix unus restituitur*: quid inde? quandonam enim Ecclesia credidit, unctione olei infallibiliter morbos corporales curari? aut quandonam putavit, posse quemquam divino Sacramento opitulante, consequi in hac vita corporis immortalitatem? cum e contrario hæc ejus semper fuerit fides, recreationem a morbo, extremæ unctionis secundarium ac conditionatum esse effectum, qui non aliter, nisi quatenus ad æternam ægroti salutem conducibile fuerit, obtinetur: *res & effectus hujus Sacramenti*, ait Concilium Trid. (*Sess.* 14, *cap.* 2) *illis verbis explicatur*: & oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei: *res etenim hæc gratia est Sp. Sancti*: *ejus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert; & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis, facilius resistit: & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur*: ita Patres Trid. quibus plene Græcorum doctrina consentit: sic *confessio Orthodoxa* supra laudata, *fructus hujus Sacramenti*, *sunt*, inquit, (*quæst.* 119) *quos velut ei proprios S. Jacobus Apostolus explicat*; *videlicet remissio peccatorum*, *animæ salus*, *corporis denique sanitas*: *quam etsi non semper importet*, *semper tamen animam per remissionem peccatorum*, *in meliorem statum restituit* . . . . & Meletius Syrigus: (*in refutatione articulorum Cyrilli*) *per unctionem hujus Sancti Olei*, *quod est lætitiæ symbolum*, *animam ægrotantem*, *postquam reconciliata Deo fuerit perfundentis*, *non solum corporalis sanitas sæpe restituebatur*; *dona nimirum invisibilia*, *per effectus visibiles Deo attestante*: *verum & remissio peccatorum promittitur*: *ait enim S. Jacobus*: alleviabit ægrotum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei: *unde sequitur*, *id quod a nobis εὐχέλαιον*, *sive oleum cum prece vocatur*, *vere sacrum mysterium id est Sacramentum esse*.

Hincque refutata Calvini præsumptio manet, inde inferentis extremam unctionem abolitam, quia gratia curationum evanuit, quemadmodum & reliqua miracula, quæ Christus edi ad tempus sub initium nascentis Ecclesiæ voluit: quasi nimirum non ad animarum sanctificationem, sed ad sanitatem corporum Sacramenta fuerint principaliter instituta; aut quasi repudiari ideo debeant, quia dudum miracula desierunt, quæ in eorum administratione, ad confirmationem Evangelii, & splendorem fidei, Deo sic volente fiebant: quæ ratio si aliquod pondus haberet, non modo extremæ unctioni, sed nec confirmationi, & ne baptismo quidem maneret locus: constat enim primis temporibus, in baptismatis, & manuum impositionis administratione, sæpe miracula edita: sic B. Paulus dum ab Anania tingeretur, *visum recepit*, *& ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ*: (*Act.* 9, 18) ita pariter ad impositionem manuum Apostolorum Neophyti *loquebantur linguis & prophetabant*, (*Act.* 19, 6) cujusmodi prodigia frustra quis hodie vel requireret vel speraret; numquid ideo dicturi sumus, baptismum & confirmationem evanuisse? næ putidam, & homine parumper sapiente prorsus indignam Theologiam? quanto solidius catholica Ecclesia, columna & firmamentum veritatis, sic Apostolicis exemplis & documentis instituta discurrit? etsi primis temporibus, sacra unctione adhibita plerique a languoribus sanarentur, non omnes tamen ab infirmitate convalescebant, nec erga omnes hoc miraculum Deus fieri concedebat: atqui non ideo putaverunt Apostoli unctionem ægrotantium esse negligendam: quin nec a proximis eorum discipulis abolenda credita est, postquam ubique gentium fide propagata & confirmata, fieri hæc miracula penitus desierunt: quorsum vero? nisi quia Sanctis Antistitibus erat persuasum, cessantibus exterioribus signis, eamdem in unctione sacra, ad peccata delenda, esse virtutem? ergo temeritatis sacrilegæ convincuntur recentiores hæretici, primi omnium mortalium, contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra mores & instituta majorum, vano hoc prætextu quod miracula dudum fieri in unctione desierint, extirpandam obtendentes.

II

Discutitur objectio secunda.

Opponunt 2. Ritum hanc, Sacramentum novæ legis esse non demonstratur, cujus nulla in scri-

scriptoribus quatuor priorum sæculorum memoria est, etiam ubi Sacramenta & sacras Ecclesiæ cæremonias ex professo expendunt & explicant; atqui quatuor priorum sæculorum scriptores de extrema unctione mentionem nullam faciunt, in iis ipsis libris, in quibus ex professo de re Sacramentaria disserunt: ergo &c.

R. 1. Transeat major, & n. min. extremæ enim unctionis, 3, & 4 sæculo, *Origenes*, & *S. Joannes Chrysost.* ut prædiximus, meminerunt: deinde unctionem infirmorum remotissimis temporibus fuisse notissimam, & ubique in Ecclesia observatam, quisquis bonæ fidei erit in Ep. *Innocentii* I Pontificis Max. recognoscet: vixit ille quinto ineunte sæculo: consultus a *Decentio* Eugubino Episcopo, utrum verba Jacobi: *infirmatur quis in vobis?* deberent de infirmis intelligi a sacerdotibus inungendis? utrum pariter esset pœnitentibus hæc unctio concedenda? plena affirmatione respondet: *non est dubium*, inquit, (*Ep. ad Decent. cap.* 8) *de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt: quo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet, in sua aut suorum necessitate inungendo . . . . pœnitentibus infundi non potest, quia genus est Sacramenti; nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* qua enim fronte *non esse dubium* diceret; & *genus Sacramenti*, unctionem hanc appellaret, non secus ac cætera Sacramenta pœnitentibus denegandum, si de re nova, & inusitata majoribus loqueretur: cum nusquam magis dubio locus sit, quam ubi de novo more, maxime in rebus ad religionem spectantibus agitur? ætate igitur *Innocentii* vulgata res erat, nec recenter usurpata, sed omnium Ecclesiarum antiqua consensione recepta, extremam unctionem, verum esse Sacramentum.

Nec est quod in contrarium dubitatio *Decentii* opponatur, dixerit enim forte aliquis: si ita ut volumus, omnibus hoc tempore erat persuasum extremam unctionem Sacramentum esse; qui fieri potuit, ut *Decentius* Episcopus, Romæ adeo vicinus, de re Lippis & Tonsoribus nota ambigeret, & quæstione tam parvi momenti, auribus *Innocentii* obstreperet?

Hæc, inquam, nihili vitilitigatio est, & si quid probat, ad summum probat, vel *Decentium*, quod scire ejus maxime interérat, supina officii negligentia ignorasse: vel si sciverit, obortam forte in sua provincia quorumdam de veritate certissima dubitationem, auctoritate majori, supremi videlicet Ecclesiæ pastoris oraculo compescere voluisse: innumera id genus exempla, Sum. Pontificum responsa, diversis data occasionibus exhibent: unde si quis probare vellet, res de quibus consulebantur, fuisse in Ecclesia incertas ac dubias, deridendum se præberet.

R. 2. Nego maj. non enim ex quorumdam silentio, aliquod inficiari fas est, quando aliunde argumentis affirmativis invicte adstruitur; atqui extremam unctionem verum esse Sacramentum, a primis usque temporibus, argumentis convincentissimis demonstratur: hanc enim in Evangelio Marci insinuatam, in Ep. canonica promulgat Apostolus Christi, 3 sæculo commendat Origenes, 4, & sequentibus, Patres & numerosissima Concilia, quodque omnium validissimum est, rituales libri Latinorum, & Græcorum atque Orientalium Euchologia prædicant: ergo extremam unctionem verum esse Sacramentum, universa tenet, & tenuit ab antiquo Ecclesia, quam in re tanti momenti errare posse aut potuisse qui diceret, pariter dicere poterit ac debebit, omnino non esse: unum enim idemque foret, a fide Ecclesiam universam deficere, ac Ecclesiam ipsam perire.

Inst. 1. Si primitus foret creditum, extremam unctionem esse Sacramentum, suam de hac re mentem antiqui patres, saltem occasione nata aperuissent; atqui etiam cum se dedit occasio, nec minimum de illa fecere verbum.

Sic enim e. c. S. Aug. *Heracleonitarum* errorem exponens, (*lib. de Hæres. cap.* 16) affirmat, ab iis morientes suos, novo modo quasi redimi, idest, per oleum, balsamum, aquam, & invocationes Hebraicis verbis conceptas: hic sane si unquam alibi, opportunitas erat de sacro infirmos inungendi ritu, divina institutione accepto, loquendi, & superstitionem diabolicam catholicæ veritatis oppositione refutandi: plane tamen siluit S. Doctor: non ergo existimavit extremam unctionem esse Sacramentum.

Deinde: negari non potest commemorandæ extremæ unctionis opportunitatem esse, cum piorum hominum vita describitur, & ultima gesta narrantur: incuriosi enim forent historici, quæ ab amicis Dei, tum in vitæ cursu, tum in ultima periodo acta præclaro exemplo sunt, posteris invidere; atqui non meminerunt extremæ unctionis antiqui patres, etiam dum piorum hominum e vita exuntium ultimos sensus & facta postrema describunt: non meminit *Eusebius* in vita *Constantini* Imperatoris: non *Athanasius*, in vita S. *Antonii*: non *S. Gregorius Nazian.* in vita sororis suæ *Gorgoniæ*, in oratione funebri *Gregorii* patris sui, & in laude S. *Basilii*: non *S. Gregorius* Nyssenus, *Gregorii* Neocæsatiensis, *Ephremi*, & *Macri-*

Macrinæ sororis suæ mortem describens: non *S. Ambrosius* in orationibus quibus fratrem suum *Satyrum*, & *Theodosium* Augustum laudavit: non *Severus Sulpitius* in vita *S. Martini*: non *Simeon Metaphrastes* cum *Chrysostomi*, non *Paulinus*, cum *Ambrosii*, non *Hieronymus*, cum *Nepotiani*, *Paulæ*, & *Marcellæ*, non *S. Aug.* cum *Monicæ* matris, non denique *Possidius*, cum ipsius *Augustini* obitum narrat: ergo &c.

R. Concessa maj. n. min. Sanctos enim Patres de extrema unctione, nata occasione frequenter esse locutos, probant adducta ex Origene, S. Chrysost. Innocentio I, S. Aug. S. Cyrillo Alex. Gregorio M. Bernardo, & multis aliis testimonia: quibus unum (inter multos quos laudare in promptu esset) quoniam summæ auctoritatis est, in præsenti addere juvat. *S. Eligium* dico, septimo sæculo Noviomensem Episcopum, virum plane Apostolici spiritus, cujus hæc ad populum suum frequens exhortatio erat, ut refert in ejus vita *S. Audoenus* Rotomagensis Episcopus: (*lib. 1, cap. 15, vide Dacherium tom. 5 spicilegii*) *quoties aliqua infirmitas supervenerit, non quærantur .... divini, non sortilegi; nec per fontes aut arbores, vel bivios diabolica phylacteria exerceantur: sed qui ægrotat, in sola Dei misericordia confidat, & Euchasistiam corporis & Sanguinis Christi, cum fide ac devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde corpus suum in nomine Christi ungat: & secundum Apostolum oratio fidei salvabit infirmum*, & *alleviabit eum Dominus; & non solum corporis, sed etiam animæ sanitatem recipiet.*

Ad Argumenta in contrarium respondeo sigillatim.

Et 1. Quidem quod S. Aug. spectat, fateor loco citato superstitiosas *Heracleonitarum* invocationes, & prophanas unctiones, quibus morientes suos redimere satagebant, describi: fateor pariter S. Doctorem, pravitatem hæreticam oppositione Catholici dogmatis hoc loco non refutare: sed nego quidquam inde veritati præjudicari: imo inficior locum hic Augustino fuisse Christianam unctionem stabiliendi: id quod ex ejus scopo demonstro: hoc enim unum in libro de hæresibus sibi proposuerat, diversas hæreses, in quo quæque posita esset, compendio recensere, non refutare dogmatice: quid ergo mirum, si *Heracleonitarum* prophanas cæremonias memoranti, nullum de Sacramento Christi verbum exciderit? & quid tandem ex hujus loci silentio elicere hæretici, in sui erroris gratiam possunt; si constet alio loco a S. Doctore, velut ad legem Evangelicam pertinens, esse prædicatum? nam, ut prædiximus, in libro cui titulus *speculum*, inter ea quæ ad vitam Christiane agendam, ex libris canonicis pertinent, præceptum Jacobi Apostoli inculcat: *infirmatur quis in vobis? inducat prebyteros Ecclesiæ* &c. existimavit ergo infirmos ungendi mandatum ad totum generatim novi Testamenti tempus extendi; cum de eorum numero sit, de quibus in præfatione prædixerat: *de his igitur, quæ ita sunt posita in litteris sacris, vel jubendo, vel vetando, vel sinendo; ut etiam nunc, id est tempore novi Testamenti, ad vitam piam exercendam, moresque pertineant, hoc opus quod in manus sumpsi, componere aggressus sum: ut quantum me Deus adjuvat, omnia talia de canonicis libris colligam, atque ut facile inspici possint, in unum tamquam speculum congeram.*

Ad 2 non una & simplex responsio est.

1. Fateor piorum hominum vitam scribentibus commodam satis offerri occasionem extremæ unctionis commemorandæ: sed nego ita hoc esse necessarium, ut si de ea siluerint, argumento sit, unctionem nec ab historicis, nec a sanctis heroibus, quorum gesta describunt, pro vero Sacramento habitam esse: potuit namque hæc vitæ circumstantia, quippe nihil singulare habens, quotidiano omnium experimento & usu notissima, facileque a lectoribus supplenda, prætermitti ac negligi: quod ne gratis dictum putetur palmari exemplo demonstro: sine dubio credidit S. Bernardus, extremam unctionem verum esse legis Evangelicæ Sacramentum, quod ex vita S. Malachiæ ab ipso digesta evidens est: deinde Bernardum antequam vitam clauderet, extrema unctione donatum, imprudens negare fuerit: cum enim inopino casu præventus non sit; mortemque ipse suam prævideri ac prædixerit: certissime quo erat pietatis affectu, & sensu humilitatis, sacrum remedium non despexit, cujus tantam ad peccatorum abstergendas reliquias, & ægrotum alleviandum sciebat esse virtutem; atqui extremam unctionem a S. Bernardo susceptam, scriptum nullibi reperimus: quemadmodum ergo nihil ex ejus historicorum silentio, contra veritatem hujus Sacramenti infertur: ita nec *Athanasii*, *Gregorii*, *Hieronymi*, *Aug.* in gestis sanctorum scribendis de eodem Sacramento taciturnitas, contra veritatem aliunde compertissimam quidquam probat:

Est & alterum hujus rei, nec minus efficax argumentum: quantocyus morituris, in modum viatici Eucharistiam esse dandam, reveraque datam fuisse, antiquissima regula est ac disciplina Ecclesiæ: *de his quis ad exitum veniunt*, ait Nicæna œcum. Synod. anno 325 coacta, (*can. 13*) *etiam nunc lex antiqua regularisque* serva-

servabitur; ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo & necessario viatico minime privetur: jam sic instauro argumentum: atqui neque *S. Gregorius Nazianz.* in vitis sororis Gorgoniæ, Gregorii patris, & Basilli; nec *Gregorius Nyssenus* in actis Gregorii Neocæsariensis, Ephremi, & Macrinæ sororis; nec *S. Ambrosius* in orationibus de morte Satyri fratris, & Theodosii Augusti, nec *Severus Sulpitius* in vita S. Martini; nec *Hieronymus* cum illustrium virorum ac fœminarum mortes celebrat, meminerunt viatici sacri ab iis accepti: ergo quemadmodum perperam ex eorum silentio inferretur, homines adeo sanctos viaticum corporis & Sanguinis Domini neglexisse, idem de extrema unctione omnino dicendum; non ideo videlicet memoratam non esse, quia recepta non fuerat, sed quia quominus accepta foret, vocare in dubium non licebat.

2. Dist. maj. piorum hominum vitam, & postrema gesta narrantibus, opportuna se offert extremæ unctionis memorandæ occasio; *si eam revera receperint*, conc. *secus*, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. R. Exempla plurima ex antiquis illustrium virorum ac fœminarum historiis, labore summo illo quidem, summopere tamen inutili Lutherani ac Calvinistæ quæsiverunt: constat enim ideo in eorum actis de extrema unctione tacitum esse, quia eam magna pars non receperat.

1. Namque *Clinici*, ii nimirum qui baptismum ad ultimum usque vitæ tempus, itemque alii, qui ad provectiorem ætatem, non expectato ultimo morbo differebant, in quo numero Imperator *Constantinus* fuit, extremæ unctionis, quippe iis minime necessariæ, expertes e vita migrabant.

2. Illam recipere nec poterant, nec debebant, quos inopina mors, nulla ægritudine prævia, e vivis tollebat: constat porro *S. Joannem Chrys. S. Paulum Eremitam*, *Paphnutium*, *Simeonem Stylitem*, & plerosque alios morte subitanea interceptos.

3. Nec ea forte donabantur quos constabat innocentem egisse vitam, neque pœnitentia, cujus consummativum extrema unctio est, eguisse vitam: quid enim mirum si quos fama erat Angelicam magis, quam humanam duxisse vitam, & ab omni peccati contagione liberos in sanctitate perseverasse; absque unctione quæ peccati attestatio est, & pœnitentiæ supplementum, ad creatorem remitterentur? hujusmodi porro multos non ambigimus aureis his ætatibus sanctitatis opinione, & factis heroicis conspicuos extitisse, præsertim vero Episcopos qui officii memores ad perfectionem continuo contendebant, & forma gregis effecti, fastigium ejus attigerant, a bonis operibus numquam cessantes, & perpetuum sæculi passionibus bellum inferentes: quo in numero si Gregorium Nazianzeni patrem, Gregorium Neocæsariensem, Martinum, Ambrosium, Aug. & alios in objectione laudatos reponimus, non veremur ut mendacii, aut pravæ adulationis redarguamur.

Est & tertia ad idem argumentum responsio: concessa enim maj. minorem distinguimus: non meminerunt extremæ unctionis antiqui patres, dum virorum illustrium gesta postrema describunt; non meminerunt, inquam, *expresse*, conc. *implicite*, n. min. & conseq.

E. R. Cum extrema unctio, ut sæpe diximus, pœnitentiæ complementum sit, ac veluti appendix quos veteres historici attestantur, in exercitio pœnitentiæ obiisse, facile intelligitur percepisse Sancti Olei unctionem: porro nihil in vitis sanctorum occurrit frequentius, quam eos ubi sentirent instare obitus diem nihil neglexisse quod intelligerent ad veram pœnitentiam pertinere: sic de S. Fulgentio, *Ferrandus* ejus Diaconus, *postrema sua*, inquit, *pœnitentiæ consecravit*: & de S. Aug. Possidius, *sentiebat*, inquit, *post perceptum baptismum, etiam laudatos Christianos, & sacerdotes, absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere: quod etiam ipse fecit, ultima, qua defunctus est, ægritudine*: quid ergo obstat, quominus sub generico pœnitentiæ nomine, extremam unctionem intelligamus?

Inst. 2. Auctores qui a 5 sæculo ad 9 vitas Sanctorum scripserunt, perceptæ ab iis Eucharistiæ sæpe meminerunt, numquam vero extremæ unctionis: quod exemplis innumeris demonstrare in promptu foret: ergo non credebant extremam unctionem esse Sacramentum.

R. 1. Nego ant. nam de *Tresano* sæculi 6 presbytero, in vita ejus narratur: (*vide Bollandum tom. 2 Februarii*) *quod oleum sanctæ reconciliationis accepit, & cum cordis intima contritione, & humilitate suscepit.... quæ postquam explevit, viaticum petiit*: de Beata *Gunigunda*, quæ vixit 7 sæculo, Auctor Anonymus ejusdem ætatis sic scribit: (*V. Surium in ejus vita cap. 14*) *at illa conversa ad eos qui illic assidebant presbyteros, sacræ unctionis oleum, & Eucharistiam sibi petiit ministrari*: unctionem pariter a *Carolo M.* acceptam, testis est *Eparchius* in ejus vita: idem de *S. Maura*, Prudentius Trecensis Episcopus; de *Adelardo* Corbejensi Abbate, Paschasius Ratbertus; de *Remberto* Brumensi Episcopo, auctor coætaneus, idem denique de pleris-

plerisque aliis multi attestantur: ergo falsum est, a sæculo quinto ad nonum nullibi memoriam extremæ unctionis occurrere.

Jam si causa quæratur, cur non adeo communiter hujus Sacramenti mentio fiat: præterquam quod, ut superius diximus, rem notissimam peneque quotidianam scriptores Ecclesiastici commentariis suis inserendam non putaverunt: est altera in promptu ratio: cum enim sacrum Eucharistiæ Viaticum olim post extremam unctionem reciperetur; divino oleo uncti debent intelligi, quos legimus corpore & Sanguine Christi ante obitum refectos; quomodo Sacramento penitentiæ intelligitur expiatus, qui dicitur donatus viatico, etiam si præviæ reconciliationis, sacerdotali ministerio acceptæ, mentio aperta non fiat.

R. 2. Dato antec. n. conseq. nam ex eo equidem, quod scriptum ab aliquo reperimus, probatur quid senserit: sed non vice versa ex scriptoris silentio sequitur, eum id non tenuisse, quod tacuit: præsertim si aliunde argumentis affirmantibus adstruatur, communem, de qua agitur, fuisse veteri ætate doctrinam, & omnium consensu receptam: porro fidem extremæ unctionis, ejusque suscipiendæ disciplinam, a quinto sæculo ad nonum ubique viguisse, negabit nemo qui vetera, qua par est sinceritate, consulet monumenta.

1. Enim Lutherani & Calvinistæ negantes 5 sæculo in more fuisse sacro oleo infirmos inungere, explicent nobis quid his *Innocentii* I Pontificis Max. verbis velint debere intelligi: *non est dubium verba Apostoli Jacobi, de fidelibus ægrotantibus accipi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt. . . . . . pænitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti; nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?*

2. Si 6 sæculo in Romana Ecclesia infirmos inungendi consuetudo non viguit, qui fieri potuit ut *Gregorius M.* qui hac labente ætate universam regebat Ecclesiam, in Sacramentario suo materiam, formam, ministrum, subjectum, ritum denique hujus Sacramenti præscripserit?

3. Qua sorte contingit ut Græcorum & Orientaliam vetustissima Euchologia εὐχέλαιον, sive ἔλαιον ἅγιον, qua ratione esset consecrandum & a presbyteris administrandum, & preces, sacræ cæremoniæ comites tanta accuratione descripserint? quæ enim isthæc dementia foret, rem nullibi neque factam, nec faciendam, in libris usus quotidiani, & ad communem disciplinam spectantibus imperare?

4. Si incognita 7 sæculo extrema unctio erat, quis tandem potest sensus esse verborum *Theodori Cantuariensis* in lib. penitentiali decernentis, *infirmos, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis esse relevandos, sacra unctione olei secundum statuta SS. Patrum inungendos, & communione viatici reficiendos?* quid eodem sæculo S. Eligii Noviomensis Episcopi verba significabunt? *qui ægrotat in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam corporis & Sanguinis Christi, cum fide ac devotione accipiat: oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde corpus suum in nomine Christi ungat: & secundum Apostolum oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & non solum corporis, sed etiam animæ sanitatem recipiet.*

5. Hæretici, scriptum 8 sæculi silentium adeo magnifice prædicantes capitularia Caroli M. supra laudata evolvant, & quid his verbis significetur edisserant; „ Si infirmitate quis „ depressus fuerit, vitam sine communione „ non finiat, nec unctione sacrati olei careat ... „ presbyteri omnes oleum infirmorum ab Epi- „ scopo expetant, secumque habeant, & mo- „ neant fideles infirmos illud exquirere, ut eo- „ dem oleo peruncti „ gratia Dei sanentur; „ quia oratio fidei salvabit infirmos: " hæc enim 8 sæculo scripta sunt: eodemque tempore *Grodegangus* Metensis Episcopus in regula quam suis Canonicis tradidit, hanc veritatem egregie commendavit, nam c. 61, titulus est: *pro infirmis orare, & ungere eos præcipitur*: moxque in contextu capitis, Jacobi Apostoli verba laudantur: *infirmatus quis in vobis, &c.*

6. Denique si 5, 6, 7, & 8 sæculo, nec pro Sacramento habita, & ne cognita quidam extrema unctio fuit, qui fieri potuit ut succedente ætate omnium animos ubique gentium opinio illa pervaserit? quibus artibus, quibus machinamentis in tantam consensionem adduci, Latini, Græci, Orientales, Catholici, Hæretici, Schismatici, & omnium denique mundi partium Christiani nominis sectæ potuerunt, ut peregrinam recentemque doctrinam, nemine contradicente reciperent? quæ hæc tam stupenda fuit, unius sive oratoris facundia, sive Antistitis auctoritas, ut gentes diversissimas, Schismate, Hæresi, & odiis reciprocis dissidentes protinus immutarit, sibique invicem ad novum errorem acceptandum conciliarit? quibus denique præstigiis & incantamentis, libri ritnales, antiquam disciplinam attestantes, e publicis omnium Ecclesiarum tabulariis surrepti & furto sublati sunt, ut in eorum locum adulterini subrogarentur, nova Sacramenta, novos ritus, nominatimque unctionem antehac incognitam, sub venerando divinæ institutio-

nis nomine obtrudentes? ut enim superius ostensum est, extremam unctionem verum esse Sacramentum omnia Orientis & Occidentis Euchologia clamant; quorum tanta auctoritas est, ut non alio efficacius argumento contra Lutheranos & Calvinistas Graeci Latinique pugnarint.

Itaque 5, 6, 7, & 8 sæculo, extremam unctionem pro vero Sacramento habitam esse, & a fidelibus communiter observatam, testata res est: monstrum namque fuerit, nulli prodigio comparandum, id quod omnibus præscribebatur, ab omnibus fuisse neglectum; nec vero neglectum tantum, sed pro histrionica hypocrisi habitum; atque adeo contra veritatem tanta nube testium confirmatam, nihil facit eorum silentium, qui vitas piorum hominum describendo, de extrema unctione, quæcumque tandem silendi causa fuerit, tacuerunt.

Inst. 3. Etsi traditione probetur unctionis infirmorum antiquissimum esse usum; at non pari facilitate pro Sacramento agnitam demonstratur. „ Patrum textibus, *ait Chamierus Calvinistarum pseudo-minister*, (*lib.* 4, *de Sacr. cap.* 21) probatur unctionem fuisse in „ usu; non prebatur vero eam unctionem esse Sacramentum: illud non imus inficias: „ neque enim tam ignota nobis historia Ecclesiæ: sed quæstiones distinguimus, & „ quamvis credamus perperam continuatum „ usum, post sublatum donum sanationum, „ sicut perperam continuata lumina medio „ die, ex primo usu nocturno, & linguæ Latinæ, ex Latinorum consuetudine: tamen „ non tam sumus faciles, ut persuaderi possimus, omnes ritus usurpatos in christianorum usu, fuisse Sacramenta: vel eorum „ luminum exemplo, quorum necessitate manifeste sublata, necesse fuit allegorias comminisci: ergo &c.“

Ita *Chamierus*, *Dallæo* ejusdem hæreseos professori ex hac parte contrarius: iste enim præfracte negat, (*in lib. de extr. unct.*) unctionis infirmorum ullum prisca ætate usum fuisse: 1 enim; *inquit*, nulla ejus mentio occurrit, in omnibus qui plurimi supersunt, secundi & tertii sæculi libris: 2 ne „ quarti quidem sæculi patres eam memorarunt, dum accurate sacra Ecclesiæ instituta, ritus, Sacramenta explicant: 3 veteres „ sex priorum sæculorum scriptores, dum piorum mortes describunt, nullam extremæ unctionis mentionem faciunt: 4 quinti sæculi & „ sequentium, ad nonum scriptores de mortibus piorum, Eucharistiæ ab iis sumptæ „ meminere sæpius, unctionis infirmorum numquam: 5 pœnitentibus in exitu nulli veterum „ ad nonum sæculum, extremam unctionem „ vel negasse, vel concessisse leguntur, quibus tamen Eucharistiam alii quidem, at vetustissimi negant; alii, ut qui ab anno 325 „ deinceps vixerunt, conceduat: 6 extrema „ unctio occurrit quidem sæculo 7, sed ab „ extrema unctione Pontificiorum longe diversa est; 7 denique illa vetus unctio, sæculo „ 12 in eam extremam unctionem transiit, quæ „ nunc est in usu apud Pontificios.“

R. Nego anteced. quæ enim momenta probant, extremæ unctionis antiquissimum esse usum, pariter pro vero Sacramento habitam fuisse evincunt; id quod poterat facile *Chamierus* agnoscere, si non tam morosus fuisset, & ingerenti se veritati docilem aurem accommodasset: nunquid enim, (ut argumenti vim ab *ipso* fonte petamus) de sola curationum corporalium temporaria gratia Apostolus loquitur, quando dicit: *& si in peccatis sit remittentur ei*? numquid *Origenes*, quando peccatorum expiatricem pœnitentiam graphice describens, (*hom.* 2 *in Levit.*) *in quo*, inquit, *impletur & illud, quod Apostolus dicit: si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiæ*, &c. numquid *S. Joannes Chrysost.* quando sacerdotibus e cælo traditam peccata remittendi facultatem, hoc ipso testimonio Jacobi confirmat: *infirmatur inter vos aliquis? accersat presbyteros?* (*lib.* 3 *de sacer.*) nunquid *Innocentius I* extremam unctionem Sacramentum expresse appellans, indeque inferens non esse dandam publice pœnitentibus, *quia*, inquit, (*in ep. ad Decent.*) *quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* numquid *Gregorius* M. in Sacramentario? numquid Græcorum & Orientalium antiquissimæ auctoritatis Euchologia, unctioni sacræ non corporum tantum, sed multo magis animarum medicandarum virtutem adscribentia? nunquid denique aliorum prolata testimonia, eo efficacius Sacramenti naturam extremæ unctioni asserentia, quod dum scriberent, gratia miraculorum, & corporalium infirmitatum per unctionem medicatio, communis esse cessasset: si itaque tam faciles Calvinistæ non sunt, ut persuaderi possint, extremam unctionem infirmorum, pro vero olim Sacramento esse reputatam; non hoc lucis defectui, quæ undique, sacras traditiones evolventibus emicat, sed voluntariæ cæcitati adscribant.

Atque ita ad *Chamieri* objectionem responsum esto; nam quæ de linguæ Latinæ, & luminum etiam in plena die, ex veteri consuetudine, retento usu, exprobrat Ecclesiæ Catholicæ, quasi perperam fecerit, linguam Latinam, ad Sacram Liturgiam, & officia publica

blica consecrando; itemque accensis luminibus, sacris operando, & Deo Psallendo: hæc, inquam, cum ad rem nihil faciant, expendere præsentis instituti non est: tantum moneo, hanc, aliasque id genus argutias, inniti falsæ hypothesi, quod nimirum hac sola de causa instituta extrema unctio fuerit, ut corpora sanarentur; cum e contrario certum sit, præcipuum ejus imperandæ finem, peccatorum fuisse remissionem: unde etiam si luminum usus foret extirpandus, & lingua vulgaris in divinis officiis admittenda, (quod tamen negamus, & alibi pro merito refutavimus:) minime consequens foret extremam unctionem esse pariter extirpandam, cum ad peccata delenda, fuerit principaliter, & in perpetuum instituta.

De *Dallæi* oppositionibus, quoniam abunde toto disputationis decursu est dictum, quod addamus nil novum occurrit: ostensum enim est, quam contemnendum sit argumentum negativum, quando multorum auctoritas, id quod tacuerunt alii, etiam numero plures, constanter attestatur: non enim cæterorum silentio, sed inficiatione sive contradictione argumentum affirmativum everti debet: porro prioribus sæculis extremam unctionem Sacramentum esse multi affirmant: plerique equidem silent, sed nemo contradicit: itaque idem omnes sensisse putandi, sive qui locuti, sive qui tacuisse comperiuntur. Jam quod ait, unctionem media ætate usurpata, ab unctione Pontificiorum longe esse diversam, nec ante duodecimum sæculum, pro legis Evangelicæ Sacramento habitam, impudens ejus mendacium est, quod facile agnoscet, qui seriem testimoniorum, per singulas percurrendo ætates, mediocriter pensitaverit: omnium enim a primo ad ultimum unus est sensus, una ratio; cum omnia & singula, omnes Sacramenti conditiones, protestantium ipsorum judicio necessarias, ritum videlicet externum, gratiæ promissionem, & institutionem divinam extremæ unctioni attribuant.

Jam ut propositum persequamur, sit

CAPUT TERTIUM.

Extremæ Unctionis diversa nomina, & definitio proponuntur.

QUod cæteris Sacramentis commune est, ut habito ad eorum materiam, & formam, subjectum, & effectus respectu, diversis nominibus appellentur, id ipsum Sacramento, de quo nunc agimus, convenit.

1. Enim habita ratione materiæ, a Græcis ἅγιον ἔλαιον, *oleum* videlicet *Sanctum*, a Latinis modo *oleum*, modo *Sacri Chrismatis oleum* appellatur.

2. A materia & forma simul sumptis, Græci εὐχέλαιον, quod idem est ac Latine, *oratio olei perfusioni conjuncta*, dixerunt: quæ vox totam Jacobi sententiam compendio comprehendit: *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini.*

3. Quia subjectum hujus Sacramenti est, homo morbo affectus, ideo dictum est a Latinis (nec Græci dissentiunt) *Sacramentum Unctionis infirmorum*, sive, *Sacramentum exeuntium*. Quo sensu *Theodorus* Cantuar. Archiepiscopus (*in libro pœnit.*) *ab infirmis in periculo mortis positis*, inquit, *pura est inquirenda confessio peccatorum . . . Et secundum auctoritatem Canonicam, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis, Sacra Unctione olei inuncti, secundum statuta sanctorum patrum, communione viatici reficiantur* . . . & in Capitularia Caroli M. (*lib. 8, cap. 75.*) *Si infirmitate quis depressus fuerit, vitam sine communione non finiat, nec Unctione Sacrati olei careat.*

4. Cum multæ ex Christi vel Ecclesiæ instituto fieri soleant Unctiones: (alia enim est propria Catechumenorum, altera baptizatorum, altera manuum impositioni, in confirmatione conjuncta, eorum denique altera, qui Sacerdotio aut Episcopatu inaugurantur:) ideo extrema de qua modo agimus, quia omnium ultima est, appellatur. „ Primum illud tradendum erit, *ait Concilii Trid. Catechismus*, (*part. 2, tit. de Extrem. Unct. n. 2.*) „ hoc Sacramentum idcirco extremam unctionem appellatum esse, quod hæc omnium „ Sacrarum Unctionum, quas Dominus Salvator noster Ecclesiæ suæ commendavit, ultima administranda sit. Quare hæc ipsa unctio a majoribus, Sacramentum etiam *Unctionis infirmorum*, & *Sacramentum exeuntium* dicta est: quibus vocabulis fideles in „ memoriam novissimi illius temporis facile „ redire possunt . . . " Parique sensu Græcorum nobilis scriptor *Gregorius* Proto-syncellus, (*in Epitome dogm. Ecclesiæ.*) *Extrema unctio* ὑστέρη χρῖσις *vocatur*, inquit, *quia ægrotantibus in mortis discrimen adductis confertur.*

Deridet hanc appellationem Lutherus, cui res sanctissimas subsannare solemne est. „Huic „ infirmorum ungendorum ritui, *inquit*, (*in* „ *lib. de Captiv. Babilon.*) duas additiones se„ se dignas addiderunt (Catholici:) unum, „ quod Sacramentum appellant, alterum quod „ extremam faciunt: sitque nunc Sacramen„ tum

„ tum extremæ unctionis, quæ nisi in extre-„ mo vitæ agentibus periculo dari non de-„ beat . . . . forte, ut sunt arguti dialectici, „ relativam fecerunt ad unctionem primam „ baptismi, & sequentes suas confirmationis „ & ordinis . . . ". Quam autem insulse vocem hanc reprehendat, quis non videt? Nunquid enim risu dignum est, si quod revera est ultimum, suo nomine appelletur?

5. Propter effectus, ad quos divinitus ordinatur, peccatorum scilicet expiationem, contra dœmonis insultationes subsidium, ipsiusque interdum corporalis sanitatis, quando expediens Deo visum fuerit, restitutionem; *cælestem medicinam* dixerunt.

6. Denique quia est ad complementum & appendicem pœnitentiæ instituta; ideo, inquiunt Tridentini Patres, (*in præfat. doctrinæ de Sac. Extrem. Unct.*) *non modo pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimata est a Patribus*.

Definitio Extremæ Unctionis.

Hincque qui sit definienda aut circumscribenda Extrema unctio facile intelligitur. Haud incongrue enim natura ejus exprimitur, si dicatur, *Sacramentum novæ legis, homini ægrotanti ad morbi incommoda perferenda specialia auxilia conferens, peccata & peccatorum abstergens reliquias, ipsamque corporis, ubi animæ saluti expediens fuerit, sanitatem restituens*. Quæ definitio, id omne quod est a Jacobo prædictum, complectitur: „infirma-„ tur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccle-„ siæ, & orent super eum, ungentes eum o-„ leo in nomine Domini: & oratio fidei sal-„ vabit infirmum, & alleviabit eum Domi-„ nus; & si in peccatis sit, remittentur ei".

Est, inquam, Sacramentum novæ legis, *res nimirum sensibus subjecta, ex institutione Dei sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habens*. Importat enim ritum externum, materiam & formam propriam, & peculiari effectu, a reliquis Sacramentis distinguitur. De his quia uberius & accuratius est dicendum, sit

QUÆSTIO SECUNDA.

De materia Extremæ Unctionis.

Materiam Sacramenti sæpe monuimus, alteram remotam, proximam alteram appellari. Remota est, elementum ipsum, ad quod in actuali ejus ad subjectum applicatione, accedente verbo, fit Sacramentum: quomodo aqua, baptismi materia est: proxima, ipsissima elementi ad subjectum applicatio est: quomodo aquæ ablutio, quæ fit in baptismo, proxima ejus materia dicitur. De utraque dicendum, quatenus Extremæ Unctioni conveniat.

CAPUT PRIMUM.

De materia remota Extremæ Unctionis.

Quæritur primo utrum oleum olivarum sit hujus Sacramenti materia necessaria? Secundo qua conditione possit ad Sacramentum usurpari.

§. PRIMUS.

Ostenditur oleum olivarum, necessariam esse hujus Sacramenti materiam.

Necessarium enim in quolibet negotio dicimus, sine quo vanum invalidumque futurum sit; atqui sine oleo olivarum foret irrita ægrotantium unctio, & præter umbram Sacramenti nihil haberet; quippe contra Scripturæ & traditionis auctoritatem temerario usurpata: id quod Marci, Jacobi, SS. Patrum, & Conciliorum testimonia qu. superiori allata, adeo aperte declarant, ut de hac re nec minimum dubium esse possit.

Quod si forte alicui de oleo, cujus generis esse debeat, suboritur scrupulus; utrum necessario esse debeat ex olivis expressum, utrum ne vero amygdalarum, aut nucum, aut elicitum aliunde sufficiat? Difficultas protinus evanescet, modo attenderit oleum aliunde quam ob olivis eductum, non simpliciter sed improprie, & cum addito, ut ajunt, sic appellari: oleum videlicet, *nucis*, *amygdalarum* &c. Cum igitur Scriptura simpliciter oleum nominet; de oleo olivarum debet intelligi, cui soli propriæ hæc appellatio convenit. Deinde hoc ipsum probatur ex Ecclesiæ universæ & traditionis consensu. Nihil enim aliud præter olivæ oleum, in hujus Sacramenti confectione & administratione usquam legimus usurpatum. Hinc in Sacramentario *Gregorii M.* Pontifex oleum solemniter benedicens: *Emitte*, inquit, *Domine, Sp. Sanctum tuum paracletum de cælis, in hanc pinguedinem olivæ*. Et Decretum *Eugenii* IV Pontificis Max. (*Decr. pro instruct. Armen.*) *materia hujus Sacramenti*, ait, *est oleum olivæ*.

Jam si quærat aliquis, cum quodvis aliud Elementum eligere Deus ad hoc Sacramentum constituendum, in potestate habuerit, quare oleum duxerit præferendum? Nihil tutius quod

res-

responsfeamus occurrit, nisi quia sic placuit. Nec enim, ut sæpius in causa simili dictum est, indulgentia ulla aut necessitate compulsus hoc fecit, quasi nimirum non posset aliter, quam per olei unctionem, morbos animi & corporis medicari, quod vel suspicari foret stultissimum. Itaque non alia hic causa præter supremam ejus voluntatem quærenda: hacque sola compesci omnis quæstio debet, & curiositas reprimi.

Quia tamen aliunde Deus, non propriis studens commodis, sed consulens humanæ infirmitati, hæc in singulis Sacramentis elementa elegit, quæ aliquam cum suis effectibus comparationem haberent; unde dictum a S. Aug. *Sacramenta, si similitudinem aliquam earum rerum, quarum Sacramenta sunt non haberent, omnino Sacramenta non essent*: non diffitemur posse, hujus sanctionis rationes convenientes afferri. Quales sane sunt, quas attulit S. Thomas: „ spiritualis, *inquit*, (*in 4 sent. dist.* 23, *quæst.* 1, *art.* 3.) curatio quæ „ in fine adhibetur, debet esse perfecta; quia „ post eam alia non relinquitur; & lenis, ut „ spes quæ exeuntibus maxime necessaria est, „ non frangatur, sed foveatur: oleum autem „ lenitivum est, & penetrativum usque ad „ intima, & etiam diffusivum. Et ideo est „ conveniens materia hujus Sacramenti ".

Ita præceptor Angelicus. Cui Concilium Trid. consentiens: *Intellexit Ecclesia*, inquit, (*Sess.* 14, *c.* 1.) *materiam* (hujus Sacramenti) *esse oleum ab Episcopo benedictum. Nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat* . . . Pauloque fusius Catechismus ejusdem Concilii Decreto editus: „ extremæ un- „ ctionis elementum, sive materia, *ait*, (*part.* „ 2 *tit. de Ext. Unct. num.* 5.) quemadmodum „ Concilia, ac præcipue Trid. decrevit, est „ oleum ab Episcopo consecratum, liquor sci- „ licet, non ex quavis pingui & crassa ma- „ teria, sed ex olearum baccis tantummodo „ expressus. Aptissime autem hæc materia „ illud significat, quod vi Sacramenti interius „ in anima efficitur. Nam ut oleum ad miti- „ gandos corporis dolores magnopere proficit: „ ita Sacramenti virtus animæ tristitiam re- „ stituit, hilaritatem affert, & lumini tam- „ quam pabulum præbet, tum vero ad re- „ creandas defatigati corporis vires maxime „ accommodatum est; quæ omnia, quid in „ ægroto, divina virtute, per hujus Sacra- „ menti administrationem efficiatur decla- „ rant ".

Objectio.

Si oleum, *inquies*, esset hujus Sacramenti materia, ad ejus effectum, insita divinitus virtute, pertingeret. Nam quia aqua e. c. est necessaria baptismi materia, effectum ejus conjunctim cum forma producit, dicente Christo: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Sp. Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Hinc illud ab Aug. præclare dictum: *quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo?* &c. Atqui extremæ Unctionis effectus qualiscunque sit, ab Apostolo non tribuitur Unctioni, sed soli Orationi. Non enim dicit, quod oleum, sed quod *Oratio fidei salvabit infirmum*. Ergo oleum materia Sacramenti dici non potest.

℞. Concessa maj. neg. min. ille enim effectum extremæ unctionis ipsi etiam oleo tribuit, qui ejus unctionem cum oratione conjungendam denuntiat; atqui Jacobus simul cum oratione præcipit unctionem olei faciendam, pari ratione qua Christus in baptismate cum invocatione SS. Trinitatis aquæ ablutionem adunat: ergo &c.

Ad argumentum adjunctum respondeo distinguendo. Non dicit Apostolus, quod unctio olei, sed quod oratio fidei salvabit infirmum, non dicit, inquam, *quia ex præmissis facile intelligitur*, conc. *quia censet Unctionis olei nullam efficaciam esse*, n. ant. & conseq. Hanc difficultatem, si difficultas tamen est, sola textus Apostolici lectio dissipat. *Infirmatur quis in vobis?* inquit, *inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum*. Declarat ergo Apostolus aliquam in unctione olei, cum oratione conjuncta, ex divina institutione, procurandæ salutis esse virtutem. Alioquin enim frustra utrumque, eodem verborum tenore præscriberet. Ideo vero effectum Sacramenti principaliter orationi adscribit, quia oratio, forma est, præcipuas partes gerens, & oleum ipsum ad esse Sacramentale, ut loquitur Schola, adeoque ad effectum ipsum Sacramenti exerendum determinans.

Hanc porro Ecclesiæ fidem esse, perpetuamque doctrinam, preces & invocationes quas in Sanctum oleum facit, expresse declarant, nisi eas volumus esse mendaces. Quid enim nisi virtutem oleo, ad attingendum Sacramenti effectum, divinitus insitam hæc Gregorii M. in Sacramentario verba significant? *Emitte Domine Sp. Sanctum tuum paracletum de cœlis, in hanc pinguedinem olivæ*. Quid item ista Græcorum? „ Precamur te, Domine, ut stillet „ hoc oleum super unctos in tuo nomine, in „ medelam & curam animæ & corporis, & „ in munditiem & liberationem omnis dolo- „ ris, & omnis ægritudinis, & infirmitatis, „ & omnium sordium animæ & corporis . . „ Res-

„ Respice Domine de Sancto habitaculo tuo, „ & oleum hoc sanctifica: & visita servum „ tuum .... & fiat ei Domine oleum hoc in „ omnis ægritudinis medelam ... Quid deni- „ que ille tam præclarus rituum ac precum „ apparatus, quas ad consecrationem olei utra- „ que Ecclesia, Latina & Græca præscri- „ bit"?

§. SECUNDUS.

Qua conditione oleum, extremæ Unctionis materia sit?

Oleum, priusquam ad Sacram Unctionem adhibeatur, prece mystica præparatum ac consecratum esse oportet: quid de hac re consuetudo Ecclesiæ habeat, quantaque sit hujus consecrationis necessitas, sequentium quæstionum enodatio explicabit. Itaque

Q. 1. Utrum oleum infirmorum unctioni destinatum, debeat speciali benedictione consecrari?

℟. Affirmative. Quoties enim ejus Patres & Concilia meminerunt, consecrationem præcipiunt faciendam. Sic

„ *S. Gregorius M.* (*in Sacramentario*) of- „ fertur, *inquit*, Pontifici oleum, & benedi- „ cit illud, tam ipse, quam omnes presbyte- „ ri, &c.

„ *Et Innocentius I* Pontifex Max. (*in Epist. ad Decent.*) non est dubium, (verba „ Jacobi) de fidelibus ægrotantibus accipi vel „ intelligi debere, qui Sancto oleo Chrismatis „ perungi possunt, ab Episcopo confecto . . . „ Cæterum si Episcopus aut potest, aut di- „ gnum ducit aliquem a se visitandum; & be- „ nedicere & tangere Chrismate, sine cuncta- „ tione potest, cujus est ipsum Chrisma con- „ ficere.

„ *S. Eligius* Noviomensis Episcopus supra „ laudatus: qui ægrotat, in sola Dei miseri- „ cordia confidat, & Eucharistiam corporis „ & sanguinis Christi cum fide ac devotio- „ ne accipiat; oleumque benedictum fideliter „ ab Ecclesia petat, unde corpus suum in no- „ mine Christi ungat, &c.

„ *Concilium Cabilonense II*, can. 48: secun- „ dum B. Jacobi Apostoli documentum, cui „ etiam documenta patrum consentiunt, infir- „ mi oleo quod ab Episcopis benedicitur, a „ presbyteris ungi debent.

„ *Eugenius IV* in Decreto pro Armenis: „ materia hujus Sacramenti est oleum olivæ, „ per Episcopum benedictum.

„ *Concilium Trident.* (*Sess.* 14) intellexit „ Ecclesia, materiam (hujus Sacramenti) esse „ oleum ab Episcopo benedictum."

Nec aliter Græci sentiunt, ne quis putet hunc ritum Latinis esse peculiarem. Constat enim ex eorum Euchologio, magno precum ac rituum apparatu, infirmorum oleum consecrari, (*Vide Goarium in Rituali Græcor. pag.* 408, *& seq.*) eamdemque Orientalium Ecclesiarum ab antiquo disciplinam esse, fidem faciunt, tum eorum Libri Rituales, tum Gabriel Patriarcha in Rituali pro *Jacobitis* Alexandrinis digesto, tum præter cæteros, *Ebnassalus & Echmimi*, in collectionibus Canonum. (*Vide perpetuitatem fidei, tom.* 5, *l.* 5, *cap.* 2) Quo detestabilior *Calvini* impudentia est, supinæ ignorantiæ adjuncta, morem hunc tamquam novum & Latinis singularem, impie deridentis. *Jacobus*, inquit, (*lib.* 4 *institut. cap.* 19) *dum simpliciter inungi infirmos jubet, non aliam Unctionem mihi significat, quam vulgaris olei: nec aliud habetur in Marci narratione. Isti oleum non dignantur, nisi ab Episcopo consecratum, hoc est multo halitu calefactum, multo murmure incantatum, & novies flexu salutatum.*

Q. 2. An ita necessaria sit benedictio olei, ut ad essentiam Sacramenti pertineat.

℟. Negative. Quod enim nullibi præscriptum legitur, velut ex divino præcepto ad valorem Sacramenti necessarium, non potest asseri ad ejus essentiam pertinere. Atqui nullibi nec in Scriptura, nec in traditione præscribitur olei consecratio, velut conditio Sacramento essentialis: nullibi Patres aut Concilia declarant, invalidum Sacramentum futurum, quod ex oleo non benedicto celebraretur. Quæ vero afferri possunt testimonia, quibus significatur, oleum ab Episcopo, aut a presbyteris præsanctificatum esse debere, commode de præcepto Ecclesiastico explicantur. Idem itaque de olei in extrema unctione, ac de fontis baptismalis, & Chrismatis confirmatorii, consecratione, deque aliis bene multis ab Ecclesia Sancte & Religiose institutis ritibus debet esse judicium, qui non possunt equidem sine crimine violari aut voluntario prætermitti: qui tamen si non servarentur, sua Sacramentis divinis constaret essentialis integritas. (1)

Obje-

(1) *Hæc Auctoris sententia limitanda videtur ad benedictionem olei factam ab Episcopo: adeo ut hæc quidem necessaria omnino non sit ad valorem Sacramenti, sed aliqua tamen benedictio, sive consecratio materiæ requiratur. Ita quippe conformior est menti Angelici Præceptoris, est consentanea his, quæ statuit Sum. Pontifex Benedictus XIV in libro* de Synodo Dioe-

Objectio.

At, inquiet forte aliquis, præscribit Apostolus, ut unctio fiat *in nomine Domini*. Waldenses ab Ecclesia proscripti sunt, quod olei benedictionem, deriderent, ac rejicerent: Eugenius IV, & Concilium Trid. decretis suis definiunt, oleum consecratum esse extremæ unctionis materiam: videtur ergo, non præcepto tantum Ecclesiastico, sed etiam jure divino, & necessitate Sacramenti hæc benedictio necessaria.

℟. Sigillatim ad singula.

Ad 1. Dist. ant. præcipit Apostolus unctionem fieri in nomine Domini, idest auctoritate Christi, cujus merito virtutem & efficaciam habet, & cujus vices gerit minister, conc. & iis verbis significatur, unctionem debere fieri ex oleo consecrato, n. ant. Responsio plana est.

Ad 2. Concesso ant. neg. conseq. Waldenses temeritate nefaria Ecclesiasticos ritus veluti superstitiosos, & ad hypocrisim inducentes rejiciebant: merito ergo præsumptio hæc Ecclesiæ auctoritate repressa est. Sed ad præsentem controversiam quid hoc facit? Hæc enim duo longe diversa sunt: ritus Ecclesiasticos, velut sacrilegos ac superstitiosos traducere, quæ est Hæreticorum impietas: & negare eorum aliquos quamquam in se bonos, & justis de causis ab Ecclesia institutos, pertinere ad Sacramenti essentiam, quæ est Theologorum quotidiana doctrina.

Ad 3. ℟. Cum distinctione. Eugenius IV, & Concilium Trid. Decretis suis definiunt, oleum consecratum extremæ Unctionis esse materiam; & iis locis materiam, sive divino, sive necessariam Ecclesiastico præcepto insinuant, conc. iisque decretis definiunt, tam pertinere ad essentiam Sacramenti benedictionem olei, quam oleum ipsum, n. Scopus Eugenii IV erat, docere Armenos ritus in Latina Ecclesia observari solitos: quinam vero ad divinum mandatum, quinam ad Ecclesiasticum pertinerent, exponere non susceperat, quod necessarium non putabat: imo in hoc ipso Decreto, ritibus essentialibus prætermissis, quo sciebat ab Armenis non secus ac a Latinis servari, solos interdum accessorios & proprios Latinorum recensuit: quomodo de Sacra ordinatione agendo, instrumentorum porrectionem affirmat ejus esse materiam. Numquid ideo dicturi sumus, ex mente ejus, manuum impositionem, ad essentiam ordinationis non pertinere? Similiter Concilium Trid. in hoc uno stetit, ut novas hæreses damnaret, non ut lites in Scholis hinc inde moveri, salva fide, solitas definiret: cujus rei exempla plurima dedimus, & in posterum nata occasione daturi sumus.

Ex his itaque & aliis, quæ poterant afferri decretis, hoc sequitur quod & nos ipsi sentimus, olei benedictionem, & plerosque similes ritus ab Ecclesia justis de causis inductos, nec impune violabiles esse, divinam vero institutionem habere, & Sacramentis esse essentiales, non demonstratur.

Dices. Concilium Trid. affirmat, (*Sess. 14, cap. 1 de Extr. Unct.*) *ex Apostolica traditione, per manus accepta*, olei benedicendi constitutionem descendere. Existimat ergo ad Sacramenti essentiam pertinere.

℟. 1. Nego ant. verba Concilii Trid. sunt: ***instituta est Sacra hæc unctio infirmorum, tamquam vere & proprie Sacramentum Novi Testamenti, a Christo Domino nostro apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum***. Infirmatur, *inquit*, quis in vobis? *&c. . . . quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta, Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum hujus salutaris Sacramenti*: Ita Trid. Patres: ex eorum itaque mente, hoc unum Apostolica traditione didicimus Beatum Jacobum docuisse, oleum scilicet esse extremæ unctionis materiam, non vero oleum benedictum. Quomodo enim docuit Apostolus, quod non dixit? Porro de oleo benedicendo, altum in ejus contextu silentium est. Jam quod ibidem immediate sequitur: *intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum*: non ita debet accipi, quasi ad sensum patrum, oleum, & ejusdem per manum ac precem Episcopi benedictio, æqualiter ad essentiam Sacramenti pertineant: alioquin enim Sacramentum extremæ unctionis Græci & Orientales non haberent, apud quos, ut statim patebit, non ab Episcopis, sed a simplicibus presbyteris oleum consecratur. Ita igitur verba S. Synodi sunt intelligenda, ut oleum quidem ex Apostolo & perpetua traditionis doctrina, ad essentiam Sacramenti pertineat: ejusdem vero benedictio, ritus sit Sacer ille quidem, & primæva antiquitate venerabilis; sed accessorius tamen, nec essentiam Sacramenti constituens.

℟. 2. Concesso ant. n. conseq. ritum olei be-

Diœcesana, *cujus locum infra proferemus. Atque eodem modo accipienda, & explicanda, quæ subjecit Auctor in solutione objectionis.*

benedicendi antiquissimum esse, & ab ipso Apostolorum exemplo, magna probabilitate, descendere non negamus. In illo enim celebrando summa Orientis, & Occidentis, tamque pervetusta consensio est, ut non aliunde videatur ejus initium, quam ab Apostolicis institutis repeti posse. *Quod enim Universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est*, inquit S. Aug. sæpe laudatus, *nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*. Sed inde non sequitur, esse extremæ unctioni essentialem: quomodo inepte argueret, qui exorcismos, & alios baptismi ritus, quos constat ab Apostolis institutos, contenderet ad ejus essentiam pertinere.

Quæritur 3. Quare oleum extremæ Unctionis oporteat esse benedictum?

℟. Verbis S. Thomæ. *Potest triplex ratio assignari*, inquit, (*Suppl. quæst. 29, artic. 5 in c.*) *quare exigitur materiæ sanctificatio in hoc Sacramento, & in quibusdam aliis. Prima est, quia omnis efficacia Sacramentorum a Christo descendit: & ideo Sacramenta illa, quibus ipse est usus; habent efficaciam ex ipso usu suo, sicut tactu suæ carnis vim regenerativam contulit aquis: sed hoc Sacramento non est usus, nec aliqua corporali unctione: & ideo in omnibus unctionibus requiritur sanctificatio materiæ. Secunda causa est, propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur, non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias culpæ, & infirmitatem corporis. Tertia est ex hoc quod effectus ejus corporalis, scilicet sanatio corporalis, non causatur ex materiæ naturali proprietate: & ideo oportet quod hæc efficacia sibi per sanctificationem detur.*

Quæritur 4. A quo debeat olei benedictio fieri?

℟. 1. In Latina Ecclesia ad solum Episcopum hoc officium pertinere. Cujus responsionis certa præbent Argumenta, *Innocentius I* in Ep. ad Decentium sæpe laudata: *Gregorius M.* in Sacramentario: capitularia *Caroli M.* ubi sic legitur: (*lib. 8, cap. 76*) *omnes presbyteri oleum infirmorum ab Episcopo expetant, secumque habeant, & moneant fideles infirmos illud exquirere, ut eodem oleo peruncti gratia Dei sanentur, &c. Concilium Cabilonense* 2, can. 48, decretum *Eugenii IV*, Concilium Tr. & denique omnia passim Ritualia Latinorum, conformiter ad Rituale Romanum sic præscribentia: *habeat Parochus loco nitido, & decenter ornato, in vase argenteo seu stanneo diligenter custoditum Sacrum oleum infirmorum, quod singulis annis feria V, in Cœna Domini ab Episcopo benedictum, renovandum est*. Hocque certior responsio est quod ex antiquissimis Latinæ Ecclesiæ monumentis, nec unum proferri exemplum valeat, quo probetur simplices presbyteros olei benedictioni fuisse unquam, etiam in absentia Episcopi deputatos.

℟. 2. In Græca & Orientali Ecclesia oleum a simplicibus presbyteris, more antiquissimo benedici.

De Græcis quidem, eorum Euchologia fidem faciunt, mille & amplius annorum canitie veneranda: ubi oleia 7 Sacerdotibus consecrandi, officium late describitur. Consulat qui voluerit *Goarium* in rituali Græcorum, sub hoc titulo: *officium olei Sancti, decantatum a septem Sacerdotibus congregatis in Ecclesia aut in domo*. (*Vide Goar. pag. 408, & seqq.*) Ejusdem consuetudinis (quamquam in re notissima superfluum est,) testem habemus Arcudium sic loquentem: (*lib. 5, cap. 2*) *antequam ungatur infirmus, & recitentur Epistola, & Evangelia, & Sacræ preces, benedicitur oleum cum invocatione Sp. Sancti. Orant præterea Sacerdotes, ut æger illa unctione suscipiat gratiam Sp. Sancti. Quod ideo dictum velim, ne quis putet, quandoquidem hoc oleum a presbytero benedicitur, referendum esse ad aliud genus unctionis extra Sacramentum, quod pendet ex merito, non ex officio, & quod non semper & infallibiliter, atque ut ajunt Scholastici, ex opere operato confert gratiam.*

Nec minus de Orientalibus certum est. Quando enim extrema unctio est administranda, septem presbyteri conveniunt in Ecclesiam, ubi lampas disposita est, optimo Palæstinæ oleo plena, unde septem pensiles Lucernæ dependent. Porro Lucernas singulas Sacerdotes singuli, si id quidem fieri commode potest, (sive enim plures, sive pauciores presbyteri sint, nihil interest) longo precum apparatu benedictas accedunt: & deinceps sine mora extrema unctio ministratur. Sic præscriptum legitur in Rituali *Gabrielis* Jacobitarum Alexandrinorum Patriarchæ, & in Collectionibus Canonum ab *Ebnassalo* & *Echmini* accurate digestis. (*vide perpet. fid. tom. 2, lib. 5, c. 5*)

Quæritur 5. Utrum hæc tanta Græcorum & Orientalium a Latinis discrepantia, habeat aliquid fidei, & extremæ unctionis naturæ contrarium?

R. Negative, quidquid plerique effutiant, magis ad frivola, quæ ratio suggerit argumenta, & ad Scholæ præjudicia, quam ad auctoritatem Ecclesiæ attendentes.

1. Enim, ut modo probatum est, olei benedictio ad essentiam Sacramenti non pertinet. Ergo sive ab Episcopo, sive a simplicibus presby-

byteris consecretur, infici Sacramentum nequit, aut irritum fieri.

2. Temerarium est, ne gravis aliquid dicam, Ecclesiæ judicio contraire; atqui Sacramentum extremæ unctionis, ex oleo a simplicibus presbyteris consecrato confectum, semper Catholica, nominatimque Latina Ecclesia, pro rato ac valido habuit. Nam in Concilio Florent. (ubi de Græcis Latinæ Ecclesiæ reconciliandis, quamquam infausto exitu, præcipue actum est,) ritus eorum ad rigorosum examen vocati, diligenter discussa dogmata, numquid haberent, ab antiqua Latinorum fide diversum: declaratum ibi a Græcis, se extremam infirmorum unctionem in Sacramentorum numero ponere, eoque nomine celebrare: neminem porro patrum latebat, consecrandi olei ministerium simplicibus presbyteris, prout eorum Euchologia attestabantur, esse relictum. Atqui nihilominus de hac re in Concilio nec minimum litigium fuit. Judicarunt ergo patres ritum hunc nec fidei adversari, nec Sacramenti naturæ, sed rem meræ disciplinæ esse, quæ potest, unitate fidei manente, esse diversa. Deinde cum eadem sub Sum. Pontificibus, *Leone X*, *Clemente VII*, *Gregorio XIII*, aliisque, quæstio sæpe redierit, utrum unctio Græcorum probanda foret, Semper judicatam nullam de hac re Græcis molestiam inferendam, quippe qui morem tenerent antiquum, & veræ fidei neutiquam contrarium.

Quid quod hanc ipsam consuetudinem *Clemens* Papa. VIII approbavit & confirmavit? Nam in instructione directa ad Episcopos La-
„ tinos in partibus Græciæ commorantes, de
„ oleo Infirmorum sic statuit: non sunt cogen-
„ di presbyteri Græci, olea Sancta præter Chris-
„ ma, (confirmatorum) ab Episcopis Latinis
„ Diœcesanis accipere, cum ejusmodi olea ab
„ eis in ipsa oleorum & Sacramentorum exhi-
„ bitione, ex veteri ritu conficiantur & bene-
„ dicantur".

Ita Pontifex Max. cujus verba decretum Concilii Trid. perspicue explicant. Inde enim evidens est, S. Synodum non eo sensu sanxisse, materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, quasi aliter, ex institutione divina, conferri non posse putarit; sed quod eam esse veram & sufficientem, atque etiam necessariam, spectata nimirum Latinæ Ecclesiæ consuetudine judicaverit.

Denique hoc ipsum (ut pleraque alia taceam) scimus Romæ a S. congregatione de *Propaganda fide* expresse significatum. Ejus enim mandato & impensis Romæ edita est *Synopsis* quædam doctrinæ Græcorum, ubi hæc leguntur: *Materia Sacramenti Extremæ Unctionis est, oleum olivæ expressum, a Pontifice, vel a Sacerdote benedictum.*

Quæritur 6. Hujus Græcorum, & Orientalium disciplinæ, quæ sit origo?

R. De hac re nihil certi statui posse. Tantum generaliter observandum, in ritibus quos divina lex non præscripsit, quique ad fidem non pertinent, summa majores nostros libertate esse potitos, ut quascumque vellent sibi leges imponerent, indeque natam esse quæ ubique conspicitur, & salvis fidei caritatisque vinculis, hinc inde servatur, cæremoniarum diversitatem; atque adeo mirum non esse, si oleum, cujus benedictio in Occidente solis Episcopis reservatur, in Oriente presbyteri simplices consecrent. Quod si indulgere liceat conjecturis, haud sane displicet quam affert *Goarius*. (*in notis ad Rituale Græcorum nota* 22) *Cum Sacerdotalis sit ministerii*, inquit, *ægrotos oleo Sacro linire, usu consentiente factum est, ut non a Græcis Pontificibus, sed a Sacerdotibus consecratum, & quoties urget necessitas, renovatum & recens benedictum, huic Sacramento conferendo proferatur.*

Equidem ex ritu Græcorum feria V *in cœna Domini*, ipse Episcopus Sacrum oleum benedicit; sed eadem die totum consumitur. *Cuncti enim*, ait ib. Goarius, *accessuri ad Sacram Synaxim, in peccatorum expiationem sese ungendos offerunt: & Episcopus ipse primus omnium œconomi manu unctionem suscipit, quem deinde omnes alii sequuntur. Hac itaque unctione, quantumvis tantum cæremoniali, cum oleum totum consumitur, facultatem illud denuo consecrandi, privato cuicumque Parocho Pontifices tacite, ex antiquo more videntur remittere.*

Quæritur 7. Si Sacerdos imprudenter oleum non benedictum, aut oleum Catechumenorum, aut Chrismatis, ad extremam unctionem adhibuerit, quid agendum?

R. Sacramentum ex integro iterandum. Quamdam enim olei benedictionem ab essentiam Sacramenti non pertinere, *speculative*, ut loquimur in Schola, sit probabilius, tutius in praxi non est: imo hoc unum est tutum, id omne quod Ecclesia generaliter celebrat, in omnibus Sacramentis inviolate servare. Indeque, ut sæpius dictum est, ab *Innocentio* XI Pontifice Max. proscripta propositio, asserens, *in Sacramentis licitum esse sequi opinionem probabilem, relicta tutiore.* Atqui more antiquissimo Oriens Occidensque non aliud ad unctionem extremam oleum adhibet, nisi quod Pontificum, vel Sacerdotum precibus fuerit præsanctificatum: ergo &c. „ Si per errorem, *ait S. Carolus Bor-*
„ *romæus*, (*act. part.* 4) *in instructionibus*
„ *de extrema unctione*, Sacerdos aliud oleum,
„ quam quod infirmorum est, ad ægrotum un-
„ gendum unquam adhibuerit, etiam si Chris-

 „ matis

„ matis aut Catechumenorum sit: ut erratum „ emendet, olei Sacri quod proprium infirmo- „ rum est, unctionem eidem adhibeat; tum- „ que Sacramenti formam iteret".

Quæritur 8. Utrum oleo ad Sacramentum destinato, liceat balsamum, aut liquorem quemvis extraneum admiscere?

R. Negative. Vel enim mixtione hac propter exuberantem extraneæ materiæ quantitatem natura olei mutaretur; tumque manifestum est, irritum Sacramentum fore, quod sine olivarum oleo constare non potest; quomodo invalidum futurum baptisma nemo ambigit, quod secundum prudentum æstimationem aquæ naturalis elemento caruisset: vel non tanta peregrinæ materiæ injectio foret, quin oleum olivarum in propria natura consisteret: tumque non est dubium gravissime peccaturum ministrum, qui de industria sic ageret. Nemini namque licitum est, Christi institutionem & disciplinam Ecclesiæ, vel tantillum violare, in iis præcipue rebus, ubi summa rerum agitur, qualia sunt Sacramenta; atqui ad infirmorum unctionem solo utendum esse oleo olivarum, Christi præscriptio est, in divinis fundata litteris, perpetua traditione firmata, & ex Ecclesiæ disciplina ubique servata. Ergo infringi sine peccato non potest.

Quæritur ultimo. Quid si oleum benedictum ex usu frequenti deficeret, nec commode aliunde haberi posset?

R. 1. Quæstionem hanc de Græcis moveri non posse, apud quos constat oleum, quoties ungendi infirmum casus occurrit, a simplicibus presbyteris benedici. Quantum vero ad Latinos spectat:

R. 2. In hoc casu oleum non consecratum consecrato admiscendum, ut eo infirmus ungatur. *Si forte intra annum*, ait Rituale Romanum (*de Sacr. Extr. Unct.*) *aliquo modo oleum ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat; modico oleo non benedicto in minore quantitate superinfuso reparari potest*. Hæcque juris antiqui regula est, ita decernentis: (*cap. quod in dubiis: Extr. de consecratione Ecclesiæ*) *Nec negamus quin oleum non consecratum, consecrato possit oleo commisceri*.

¶ Quæcumque de hac remota hujusce Sacramenti materia fuse dicta sunt, paucis complexus est, nitideque exposuit Sum. Pontifex Benedictus XIV in aureo suo libro de Synodo Dioces. l. 7, cap. 16, quem locum placet huc afferre ad majorem doctrinæ traditæ authoritatem, ac lucem affundendam. Hæc itaque sapientissime animadvertit, ac docet: „ Sacramenti extremæ unctionis materia remota est „ oleum, liquor videlicet ex baccis olivarum „ expressus, qui solum in communi modo loquendi, absolute, & sine addito *oleum* nuncupatur, quemadmodum cum communi ponderat Suarez T. 4 in 3 p. disp. 40, sect. 1, „ n. 1. Debet autem ejusmodi oleum, saltem „ ex Ecclesiæ præcepto, esse simplex, hoc „ est absque ulla alterius liquoris admistione. „ Diximus *saltem ex Ecclesiæ præcepto*: quoniam Suarez cit. n. 10 defendit, non solum „ non esse contra Christi Domini institutionem alium liquorem huic oleo admiscere, „ sed insuper opinatur aliquando fuisse illi balsamum admixtum. Siquidem Innocentius I „ *Ep. ad Decentium* allegata exponens Apostoli „ Jacobi verba, infirmorum oleo Chrismatis nomen attribuit inquiens: *quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, qui Sancto oleo Chrismatis perungi possunt*: ac sub eadem „ Chrismatis nomenclatura idem infirmorum „ oleum a pluribus designatur Conciliis, Wormatiensi præsertim, atque Aquisgranensi, „ ex quibus conjicit Suarez aliquid balsami „ tunc consuevisse illi admisceri. At melius „ alii, quos sequuntur Juenin de Sacram. Dissert. 7, q. 3, c. 1, & Tournely cit. qu. 2, „ a. 1, hanc admixtionem ex Chrismatis nomenclatura nequaquam colligi arbitrantur. „ Chrisma quippe frequenter appellatum advertunt omne unguentum, seu liquorem, „ quo corpus inungitur. Omnes tamen Suarezio concedunt, nihil detractum iri Sacramenti validitati, si, contra communem cæteroquin, & perpetuam Ecclesiæ praxim, infirmorum oleo admisceatur aliquid balsami, „ modo admixtio tanta non sit, ut destruat „ exteriorem olei speciem, ita ut non amplius „ oleum, sed potius unguentum, aut alterius „ generis mixtum artificiale censeatur".

Pergit subinde Pontifex Sum. declarare hujusce olei conditiones, atque ita sequitur: „ Debet præterea oleum in extrema unctione „ adhibendum esse Episcopi benedictione antea sacratum, quod ab antiquissima Patrum „ traditione accepimus. Etenim Innocentius I „ in cit. Ep. *ad Decentium* ægrotos inungendos dixit *oleo Chrismatis ab Episcopo confecto*. Beda quoque *in Comment. adc. 6*, affirmat ab Apostolis hunc S. Ecclesiæ morem „ traditum, ut *ægroti ungantur oleo Pontificali benedictione consecrato*. Et Concilium Cabilonense an. 813, cap. 48, ait: *Secundum B. Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopo benedicitur, a Presbyteris ungi debent*. (Collect. Harduini T. 4, „ col. 1040) Ac denique, ut cætera prætermittamus antiquorum patrum testimonia, ita „ nos docuerunt Eugenius IV *in Decreto pro*

Instr.

„ *Instr.* Armenorum, & Trid. cit. loco. Sed „ quæstio est, num Episcopi benedictio sit necessaria ex Christi Domini institutione, an „ solum ex Ecclesiæ præcepto. Diversæ sunt „ hac in re Theologorum sententiæ. Victoria „ *in summ. de Sacram. n.* 216, Emanuel Sa „ *V. extrema unctio*, Sambovius *tract. de extrema unct.* Juenin de Sacram. dissert. 7, c. „ 1, concl. 3, putant benedictionem fuisse oleo superadditam ab Ecclesia, non vero institutam a Christo Domino, ac proinde illicitum quidem, sed validum, pronunciant Sacramentum, oleo non consecrato administratum: quin immo, urgente necessitate, etiam „ absque culpa ita administrari posse tradit „ cit. Victoria. Istis e diametro opponuntur „ Suarez cit. *disp.* 40, *sect.* 1, n. 3, & 4, Æstius in 4, dist. 2359, docentes olei consecrationem non tantum præcepti, sed etiam Sacramenti necessitate requiri; eamque præterea consecrationem ita a Christo Domino „ Ordini Episcopali annexam ajunt, ut simul „ asserentur ne a Sum. Pontifice quidem eam „ posse secundi Ordinis Presbyteris delegari. „ Inter hasce duas extremas sententias medii „ quodammodo incedentes Cajetanus 3 *p. q.* 72, *a.* 3, Sotus *in q. dist.* 23, *ptr.* 3, §. „ *de oleo ergo*, aliique, quos citant, & sequuntur Gregorius Valentia *T.* 4, *disp.* 8, „ *q.* 1 *punct.* 2, & Tannerus *T.* 4, *disp.* 7, „ *q.* 1, *dub.* 1, *n.* 10, tria statuunt, nimirum „ 1, aliquam consecrationem ex Christi institutione requiri, ut oleum fiat apta materia „ Sacramenti extremæ unctionis: 2 numquam „ in Ecclesia latina fuisse ægrotantes oleo inunctos, ab Episcopo antea non consecrato: „ 3 denique ad Sacramenti validitatem satis „ esse affirmant, oleum a simplici Sacerdote „ benedictum. Et profecto posse, saltem ex „ commissione sive expressa, sive tacita Romani Pontificis, a simplici Sacerdote præparari materiam aptam ad conficiendum Sacramentum extremæ unctionis, res videtur exploratissima, quam nemini liceat in quæstionem adducere, siquidem in Ecclesia Orientali mos viget a mille, & amplius annis in „ ea receptus, ut ipsimet Presbyteri, cum se „ accingunt ad infirmum inungendum, oleum „ in ea Sacramentali unctione adhibendum benedicant: ut testantur Joannes Nanatail *in Ep. ad Episcopum Anagninum* (apud Arcudium) Arcudius *lib.* 5, *c.* 2, Allatius *de Consensu utriusque Ecclesiæ* c. 16, & legitur in Græcorum Euchologio a Goario notis illustrato q. 436. Eumdemque morem ab „ Armenis retineri asserit Joannes 22, sive „ 20, Ep. ad Ossinium Armenorum Regem scribens in hæc verba: *Ipsi etiam Sacerdotes „ oleum, quod infirmorum dicitur, consecrant, „ cum tamen apud nos ad Episcopos solos spectet.* Hanc autem Orientalium consuetudinem Ecclesia latina non improbavit, sed ratam habuit. Refert quippe cit. Goarius a S. „ Congregatione de Propag. fide approbatam, „ ejusque impensis Romæ editam *Synopsim Vernaculam* Neophiti Rodini, in qua hæc habentur: *materia Sacramenti extremæ unctionis est oleum oliva expressum, a Pontifice, vel a Sacerdote, qui præsentes fuerint, juxta Ecclesiæ morem benedictum*: consulto ait „ *a Pontifice, vel a Sacerdote*: quia, uti narrat Arcudius, etiam Episcopi Græci, perinde ac Latini feria V majoris hebdomadæ, „ solemni pompa, & apparatu, oleum infirmorum consecrant, quamvis postea suis Sacerdotibus non distribuant, sed iisdem curam „ relinquant illuc consecrandi, quo mox in Sacramenti administratione utantur: de qua „ re jure miratur laudatus Auctor *Theolog. Moralis ad usum Seminari Petrocori*: Sed „ quod adhuc clarius ostendit ab Ecclesia latina validum haberi Sacramentum extremæ „ unctionis a Sacerdotibus Græcis, oleo tunc „ a semetipsis benedicto, administratum, est „ Decretum editum a Clemente VIII, in quo „ permittuntur Italo-Græci in prædicto ritu „ perseverare: *Circa oleum Sanctum infirmorum*, (sunt verba Decreti) *non sunt cogendi Presbyteri Græci olea Sancta, præter Chrisma, ab Episcopis latinis Diœcesanis „ accipere: cum ejusmodi olea ab eis, in ipsa „ oleorum, & Sacramentorum exhibitione ex „ veteri ritu conficiantur, & benedicantur*: „ quod Clementis Decretum fuit a nobis, totidem fere verbis renovatum, & confirmatum in *nostra const.* 57, §. 54, *Nostri Bullarii T.* 1, *q.* 172. Neutiquam autem id tolerandum fuisset, si oleum simplicis Sacerdotis benedictione sacratum, ne per potestatem quidem a Romano Pontifice, sive expresse, sive tacite eidem Sacerdoti factam, „ esset materia idonea ad conficiendum Sacramentum extremæ unctionis. Quare Episcopi „ latini partem populi Græci ritus sibi subjectam habentes, & si teneantur feria V Sacratioris hebdomadæ una cum cæteris Sacris „ oleis, etiam illud infirmorum, latino ritu „ consecrare, latinisque Parochis distribuere, „ cæteraque implere, quæ nos ediximus in *nostra notif.* 81, ubi de infirmorum oleo, ejusque benedictione ex professo egimus; quo ad „ Sacerdotes Græci ritus nihil innovent, sed „ ea exequantur, quæ a Clemente VIII, iterumque a nobis decreta sunt". Hæc ille desertissime.

CAPUT SECUNDUM.

De Extremæ Unctionis materia proxima.

Cum oleum, hujus Sacramenti materia sit remota, sequitur, ejusdem ad subjectum idoneum applicationem, proximam esse: hæc autem applicatio sine unctione ne intelligi quidem potest. Cum itaque hoc argumentis adstruere, quod evidens ac palmare est, merito superfluum judicetur; in præsenti de partibus ungendis dicemus: tum quæstiones, si quæ occurrerint, resolvemus. Sit itaque

§. PRIMUS.

Quæ partes corporis ungi deberent, nec in Scriptura definitum, nec in traditione præscriptum: indeque magna Rituum oborta diversitas.

Scriptura namque unctionem equidem præcipit, *infirmatur quis in vobis?* inquit, *inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini:* de partibus vero liniendis altum silet. Idemque in prisca traditione agnoscet, qui antiquitatis monumenta sæpe citata revolverit. *Origenes* enim, *Chrysost. Innocentius* I, & alii superius memorati, una unctionis præscriptione contenti, quibus in partibus fieri deberet, ne insinuant quidem. Quod non leve argumentum est, antiquis temporibus, vel cujusque arbitrio esse relictum, quamcumque indifferenter vellet corporis partem oleo sacro inungere, vel eam certe, consuetudine ubique recepta, linire quæ doloribus magis afficeretur, quod videri poterat sententiæ Apostolicæ congruentius: *Alleviabit eum Dominus.* Quamquam enim ad animi morbos sanandos extrema unctio fuerit præcipue instituta; quod omnium Sacramentorum proprium est; directa tamen etiam fuit, etsi minus principaliter, ad corporis ægritudines medicandas: naturale porro est, affecto membro remedium applicare.

Quidquid vero de hac conjectura sit, (nec enim volumus quidquam, nullo prælucente Scripturæ ac traditionis certo testimonio affirmare:) hoc tamen certo asserimus, majorum de partibus ungendis silentium, præbuisse rituum diversitati occasionem.

Ad Græcos quidem quod attinet,

1. De Unctionibus, quo numero, quibusve in corporis partibus fieri debeant, summum in eorum Euchologiis silentium est: unde inferri haud immerito potest, eorum olim Sacerdotibus, ut prædiximus, liberum fuisse, quas vellent partes, pro vario ægrotantis statu & necessitate inungere.

2. Juxta hodiernam, quæ ubique viget apud Orientales, disciplinam, unctio fit in fronte, mento, genis, pectore, manibus, & pedibus. „ Græcorum Sacerdotes, *inquit Arcudius*, „ (*lib.* 5, *cap.* 7) ungunt ægri frontem, men„ tum, ambas genas; ita ut fieri videatur un„ ctio in capite ad modum crucis: deinde pe„ ctus, tum manus, idque ex utraque parte, „ postremo pedes. „ Ita Arcudius. Quem morem si quis putaverit, per omnes sui partes, longo ac diuturno sæculorum usu in Orientem inductum, contrarium *Simeonem Thessalonicensem* habebit, Concilio Florentino paulo antiquiorem. Ille enim *in libro de Sacramentis*, de pectore & pedibus inungendis nullam mentionem faciens: „ ungit, *inquit*, Sacerdos in „ modum crucis ægri frontem, ob contentas „ in ea cogitationes; faciem quoque inun„ git, propter sensuum organa: & postremo „ manus, a pravis cogitationibus & operibus „ eum expians, Sanctoque oleo muniens illum, „ & perfecte sanctificans ".

Quantum vero ad Latinos,

Certum est 1 ex priscæ ætatis Scriptoribus nec unum testimonium afferri posse, unde probetur, plures antiquitus corporis partes esse inunctas.

Certum est 2, currente sæculo 6 morem fuisse, unam tantum partem, pectus scilicet inungendi. Ita testatur vitæ *S. Eugendi*, seu *Augendi*, qui hoc tempore floruit, anonymus scriptor. „ Vocato, *inquit*, uno ad se defra„ tribus, cui, cum libertate peculiari, olim „ perungendi infirmos opus injunxerat, secre„ tissime quoque sibi pectusculum petiit, ut „ moris est, inungi. „ Moris ergo tum temporis erat, pectusculum solum inungere: quod & in præfatione ad sæculum I Ordinis S. Benedicti observat doctissimus Mabillonius.

Certum est 3 in pluribus quondam Latinorum Ecclesiis, præter cæteras quæ ungi poterant partes, eam præsertim ubi major esset doloris sensus esse notatam. *Perungant*, ait codex Tilianus antiquissimus, (*v. apud Hugonem Menardum pag.* 340) *singuli Sacerdotes infirmum de oleo sanctificato, cruces faciendo in collo, & gutture, & pectore, & inter scapulas, seu in loco ubi dolor plus imminet.*

¶ In Codice ms. *Forojuliensi* producto ab Eruditissimo P. I. F. Bernardo Maria de Rubeis *in Dissert. de Vetustis Liturgicis* &c. Venetiis edita anno præterito 1754 inungendæ Sacro oleo præscribuntur partes sequentes, nimirum primo *caput, scilicet in vertice*: deinde *frons*, postea *oculi*, *aures*, *nares*, *labia*, *guttur*, *pectus*, *cor*, *scapulæ*, *manus*, *pedes*. Ac ibid.

ibid. pag. 383 observat Cl. Author, totidem partes corporis inungendas jubere quamplures Ordines, queis insigniores Galliarum Ecclesiæ utebantur, typis jam vulgatos apud Martenium *lib. 1 de antiquis Ecclesiæ ritibus* Cap. VII, aliosque inde prostare ibidem vetustos Ordines, quibus evincitur, non eamdem fuisse in Occidente, ad partes corporis inungendas quod attinet, consuetudinem Ecclesiæ.

Certum est 4 ex Sacramentario *Gregorii* M. sæculo 6 desinente, aut 7 ineunte, morem in Occidente invaluisse, quinque sensuum sedes, sive organa inungendi.

Certum est 5 Ecclesiarum recepta consuetudine, huic quintuplici unctioni, pedum etiam & renum uncturam adjunctam. „ Hoc „ Sacramentum, *inquit Eugenius IV* (*in decr.* „ *pro instr. Armen.*) *morem non noviter in-* „ *stitutum, sed ab antiquo acceptum Armenis* „ *commendans*, nisi infirmo, de cujus morte „ timetur, dari non debet: qui in his locis „ ungendus est, in oculis propter visum, in „ auribus propter auditum, in naribus pro- „ pter odoratum, in pedibus propter gres- „ sum, in renibus propter delectationem ibi- „ dem vigentem ".

Certum denique est, morem hunc qua late patet, velut Sacramento necessarium, in omnibus Latinorum Ecclesiis non esse receptum; adeoque generalis disciplinæ vim non habere: hodiernum enim Romanæ Ecclesiæ Rituale, *Pauli V* Pontificis Max. jussu editum: „ quin- „ que corporis partes, *inquit*, præcipue ungi „ debent, quas veluti sensuum instrumenta „ homini natura tribuit, nempe oculi, aures, „ nares, os, & manus. Attamen pedes etiam „ & renes ungendi sunt. Sed renum inunctio „ in mulieribus, honestatis gratia semper „ omittitur: atque etiam in viris, quando „ infirmus commode moveri non potest. Sed „ sive in mulieribus, sive in viris, alia cor- „ poris pars pro renibus ungi non debet ".

Romano Rituali, quod ad quinque sensuum organa spectat, Ritualia Ecclesiarum particularium plene quidem inter Latinos consentiunt: de renibus vero, pedibusque ungendis non omnium uniformis præscriptio est. Sic *Manuale Cameracense* de renibus, & pedibus liniendis nil præcipit: *Mechlinense* silet de renibus, quorum loco pectus ungendum præscribit; simulque monet, ad Sacramentum sufficere unctionem quæ fit in quinque sensuum organis; adeoque anxium non debere esse presbyterum, si partes reliquas præveniente morte, aut alio interveniente casu non unxerit. *Prioribus partibus inunctis*, inquit, *presbyteri animus quiescat, quod jam infirmus receperit Sacramentum*.

Græcos itaque & Latinos, tum ab invicem, tum etiam ipsos inter se, quantum in unctione admittenda consentiunt, tantum in ungendis partibus dissentire & præteritis ætatibus discrepasse notorium est, cujus discriminis causa, præter scripturæ & traditionis silentium, ut prædiximus, conveniens afferri non potest.

§. SECUNDUS.

Quædam dubia resolvuntur.

Indeque facillimum erit, dubia quæ in Scholis moveri solent, excutere. Sic enim exempli causa:

Quæritur 1. Utrum omnes quæ in Latina Ecclesia solent fieri unctiones, ad Sacramentum necessariæ sint existimandæ?

℟. Negative. Nam

1. Unctio renum ad essentiam Sacramenti non pertinet. Quod enim Ritualia, & Concilia quædam, certis casibus erga viros, & semper erga mulieres fieri vetant, pertinere ad Sacramenti essentiam non censetur; atqui Rituale Romanum Pauli V prohibet ungi virorum renes, *quando infirmus*, inquit, *commode moveri non potest*: idemque circa mulieres absolute vetat, ut earum scilicet pudoris ratio habeatur. Cui consentiens *Concilium Mediolanen. IV* sub S. Carolo habitum: *mulieribus ministraturus*, inquit, *renes ne inungat*. Ergo renum inunctio non est de necessitate Sacramenti, imo nec præcepti Ecclesiastici, quod ubique in Latina Ecclesiæ obliget.

2. Idem de unctione pedum judicium est. Illud enim non existimat Ecclesia necessarium necessitate Sacramenti, quod nec semper fuit, nec ubique servatum. Atqui unctio pedum nec semper, nec ubique viguit, cum neque in Gregorii M. Sacramentario, nec in veteribus Latinorum Ritualibus præscripta comperiatur. Quin & Græcis olim fuisse incognitam, ex Simeone Thessalonicensi paulo ante laudato colligitur: ergo &c.

3. Unctio quinque sensuum in speciali, ad essentiam Sacramenti non pertinet. Ita censent nostræ ætatis eruditi pene omnes, voluntque unicam unctionem cum forma universali conjunctam ad essentiam Sacramenti sufficere. Nec immerito. Scriptura enim præcipit equidem unctionem, sed in plerisque partibus iterandam non imperat. Ergo per unicam satisfit præcepto *Jacobi*: seu verius, Christi ipsius, ore Apostoli promulgato: *ungentes eum oleo*: quomodo unica ablutione Domini mandatum, impletur: *Baptizantes eos in nomine patris &c.*

Deinde. Non est dubium extremæ Unctionis

nis Sacramentum vere a Græcis & Orientalibus observari; quod si quis inficias iret, non Græcis tantum, sed & Sum. Pontificibus, & Conciliis, a quibus ritus eorum probati sunt, injuriam faceret: porro Græci, ut prædiximus, quinque sensuum organa non inungunt.

Præterea. Latini olim extremæ Unctionis Sacramentum vere habebant; atqui in plerisque Ecclesiis, una tantum unctio fieri consueverat. Sic enim vetus rituale *Remense*, unam non plures præscribit: quin totius occidentis, hunc paulo ante Gregorii M. tempora fuisse morem, haud leve ex vita S. *Eugendi* argumentum eruitur: „ vocato, *inquit*, uno ad se „ de fratribus . . . secretissime sibi pectusculum petiit, ut moris est, inungi ".

Denique. Si ad Sacramenti essentiam unctio quinque sensuum pertineret, nulla quantumvis necessitate, sine illa consisteret, aut consistere putaretur: atqui in necessitatis articulo, una tantum unctione Sacramentum perfici, communis Ecclesiarum per occidentem doctrinam est. Sic pastorale Mechliniense, an. 1589 editum, & a sacra facultate Lovaniensi probatum: „ *in morbis contagiosis &* „ *peste grassante*, *inquit*, (*de ext. Unct. c.* 9) „ ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus „ organum, magis ad Unctionem expositum „ ac detectum dicendo, *per istam Sanctam* „ *Unctionem*, *& piissimam suam misericor-* „ *diam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti* „ *per visum*, *odoratum*, *auditum*, *gustum*, „ *& tactum* ".

Pari ratione Manuale Cameracense: *Si tam urgens sit mortis periculum*, inquit, *ut nec consuetæ partes ungi*, *nec illa forma pronuntiari possit* (quæ nimirum distincte singulis Unctionibus correspondet,) *ungatur organum sensus magis ad unctionem expositum*, *dicendo*: *per istam Sanctam Unctionem*, *& piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Deus*, *quidquid deliquisti per quinque sensus tuos*. Eadem pastoralis Atrebatensis, & aliorum quæ diversis Ecclesiis usui sunt, præscriptio est.

Q. 2. Quid facto opus sit erga infirmos, qui casu vel natura, membro aliquo caruerint eorum in quibus unctio ex Ecclesiæ præscripto fieri debet?

℞. Verbis S. Thomæ: „ mutilati, *inquit*, „ (*in* 4 *sent. dist.* 23, *quæst.* 2, *art.* 3, *quæstiuncula* 3) inungi debent, quanto propin- „ quius fieri potest ad partes illas, in quibus „ unctio fieri debuerat: quia quamvis non ha- „ beant membra, habent tamen potentias ani- „ mæ, quæ illis membris debentur: & saltem „ in radice & interius peccare possunt, per „ ea quæ ad illas partes pertinent, quamvis „ non exterius... " eademque S. Caroli præscriptio est: *Si quis*, ait, (*in Instructionibus de extrem. Unct.*) *membro aliquo careat*, *quod inungi præscriptum est*, *ungat* (sacerdos) *partem ei propinquiorem*.

Q. 3. Ubi ejusdem sensus gemina organa aut membra sunt, utrum ne in singulis debeat Unctio fieri, & forma proferri?

℞. Debere singula, sed unica formæ prolatione inungi: ita communiter libri manuales præscribunt: *dum oculos*, *aures*, *& alia corporis membra*, *quæ paria sunt*, *sacerdos ungit*, inquit rituale Romanum, *caveat*, *ne alterum ipsorum inungendo*, *Sacramenti formam prius absolvat*, *quam ambo hujusmodi paria membra perunxerit*: ungenda itaque diversis actionibus membra paria, sed semel sacra formula enuntianda.

Q. 4. Quid si utrimque membrum, ab externa scilicet & interna, superiore & inferiore parte obvium Sacerdoti fuerit, utra magis pars ad Unctionem eligenda?

℞. Quandoquidem utrumque est ad Sacramenti valorem indifferens, utra magis pars eligatur, ratione habita Sacramenti, nil interesse: tantum cavere debet sacerdos, ne ab Ecclesiæ more & præscripto recedat. Sic enim rituale Romanum personis sæcularibus, & clericis Sacerdotio minoribus, manus in interiore parte, Sacerdotibus vero in exteriore ungi præcipit: *manus*, inquit, *quæ reliquis infirmis interius ungi debent*, *presbyteris exterius unguntur*: cujus causa conveniens est, quia pars manuum interior in ordinatione presbyterorum uncta fuit & consecrata: itaque hæc consuetudo in administratione hujus Sacramenti religiose tenenda: quantum vero ad pedes spectat, utrum pars superior, aut inferior, ipsa videlicet planta, sit inungenda, nihil specialiter, quod quidem sciverim, constitutum: utravis ergo pars liniatur, perinde erit; plerosque tamen videmus in hac, nec improbabiliter, sententia esse, in ipsa planta pedis unctionem esse faciendam, quia ejus potiores ad gradiendum & principaliores sunt partes.

§. Q. 5. An possit assignari congrua ratio, cur inungantur partes quædam determinatæ in Ecclesia Latina.

℞. Affirmative, eamque assignat Præceptor Angelicus qu. 32 supplem. art. 6, inquiens: „ principia peccandi in nobis sunt eadem, „ quæ & principia agendi: quia peccatum „ consistit in actu. Principia autem agendi in „ nobis sunt tria. Primum est *dirigens*, scili- „ cet vis cognoscitiva. Secundum est *impe-* „ *rans*, scilicet vis appetitiva. Tertium est „ *exequens*, scilicet vis motiva. Omnis autem „ nostra cognitio a sensu ortum habet. Et „ quia unde est in nobis prima origo peccati,

illic

„ illic debet medicina adhiberi; ideo inungun-
„ tur loca quinque sensuum, scilicet oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, manus propter tactum, qui in pulpis digitorum præcipue viget: & propter appetitivam inunguntur aliquibus renes. Pedes autem inunguntur propter motivam, qui sunt principalius ejus instrumentum. Et quia primum principium operationis humanæ est cognoscitiva; ideo illa unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti. Sed quidam non servant alias: quidam vero illam servant, quæ fit ad pedes, & non quæ ad renes: quia appetitiva, & motiva sunt secundaria principia." Hæc ille. ¶

Q. 6. Quid in Unctione observandum?

℟. Cum impressione signi Crucis esse agendum; cujus ratio triplex est; 1 ut inde noscamus, non aliunde quam a merito crucis Christi unctionem hanc, uti cætera sacramenta, suam habere virtutem; quo sensu ab Apostolo dictum: *Ungentes oleo in nomine Domini*: 2 ut sciamus, non aliter quam in hoc signo insidiantis Dæmonis impetus propulsari, superari tentationes, & plenam posse in hoc ultimo agone de carnis illecebris victoriam reportari, 3 ut hoc signo munitus Christi miles securius ad supremi judicis tribunal compareat, simulque ostendat, se ad mortem usque, sub Christi vexillo pugnasse.

Q. Ultimo. Utrum manus ministri immediato contactu debeat Unctio fieri?

℟. Unicuique tenendam suæ Ecclesiæ disciplinam; in variis diœcesibus moris est, ut etiam extra contagionis periculum, unctio non pollice fiat, sed virgula sacro Oleo delibuta; aliarum consuetudo est, ut grassante peste, virga longiore minister utatur: *in pestiferis*, ait manuale Cameracense, *uti licebit virga oblonga, oleo tincta, quæ deinde comburatur, aut servanda purgetur*; eademque plerorumque aliorum Ritualium præscriptio est; itaque possunt ministri, ubi hoc concessum fuerit, in casu necessitatis hac indulgentia uti; tantum meminerint Sacerdotes, eatenus in necessitate concedi sibi propriæ incolumitati consulere, ut ne debita Sacramentis reverentia violetur; divinorum dispensationem mysteriorum, non nudæ caritatis, sed officii necessarii ministerium esse, ad quod exequendum etiam suo periculo obligantur: & sancta denique sancte & reverenter esse tractanda.

QUÆSTIO TERTIA.

De forma extremæ Unctionis.

Cum extremam Unctionem e numero Sacramentorum Hæretici recentiores abstulerint, consequens fuit, ut materiam ejus & formam de medio tollerent: nam rei quæ omnino esse negatur, nec materia nec forma tribui potest.

Sic *Lutherus*, Oleum, hujus Sacramenti quod Unctionem vocamus, divinitus institutam inficiatur esse materiam: *id quod*, inquit, (*in lib. de Captivit. Babyl.*) *caute ac de industria Jacobus prævidens, promissionem sanitatis, & remissionem peccatorum, non tribuit unctioni, sed orationi*, (suscipientis videlicet, non ministri;) *nam*, ait ib. *Sacramentum non exigit orationem aut fidem ministri; cum impius etiam baptizet absque oratione: sed nititur in sola promissione & institutione Dei, exigentis fidem suscipientis.*

Ita nefarius homo, tum errorem suum manifeste declarans, quo negat Unctionis extremæ ullam necessariam esse formam; tum Ecclesiam Catholicam calumnians, quasi cum Donatistis putarent, sine fide ministrantium constare Sacramenta non posse.

Calvinus vero, *isti*, inquit, (*Instit l.* 4, *c.* 19) (Catholici) *per Sacram suam, id est abominabilem Unctionem* (quæ adjunctam orationem habet) *peccata remitti impie mentiuntur*.

Quibus *Kemnitius* consentiens: *de adhibita illa forma verborum*, inquit, *quam Pontificii præscribunt, nulla vel littera, vel syllaba in Evangelica historia legitur*.

Jam

OSTENDITUR PRIMO.

Extremam Unctionem non secus ac cætera Sacramenta, formam propriam, ex divina institutione habere.

Hoc ipso enim quod est Sacramentum, illud omne importet necesse est, sine quo Sacramentum ne intelligitur quidem; atqui ubi forma verborum præscripta non est, dans elemento, sive materiæ efficaciam, nec est, nec intelligitur Sacramentum; *accedit verbum ad elementum*, inquit S. Aug. sæpe laudatus, *& fit Sacramentum*; ergo propriam formam ex institutione divina extrema unctio habet.

Id quod verba Jacobi luce clarius manifestant; *infirmatur quis in vobis?* inquit, (*cap.* 5, 4) *inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent*

super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; hic enim nec unctio sola, (quæ materia est) nec oratio sola (quam formam vocamus) præcipitur; sed utramque jubetur debere connecti: *orent*, inquit, *super eum, ungentes oleo in nomine Domini*: indeque est, quod effectus ritus sacri, non unctioni soli, nec orationi suscipientis, prout somniavit Lutherus divino textui contradicens, sed orationi Sacerdotali, quatenus adjunctam habet unctionem, tribuitur; *inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei*; itaque quin' extrema Unctio propriam ex Dei præscripto habeat formam, iis solis dubitare aut inficiari permittitur, qui tantum sibi scelus permittunt, ut ipsam Scripturæ veritatem vel præfracte negent, vel in dubium revocent.

Adstipulatur antiquissima Ecclesiæ universalis traditio, qua certum est, numquam sine comite oratione Unctionem infirmorum fuisse factam, eidemque orationi, olei unctioni adjunctæ, seu ipsi operi sacro, virtutem producendi effectus spiritualis, communi omnium sententia attributam. Evolvatur quidquid uspiam reperiri poterit, apud Græcos, Orientales, & Latinos, Euchologiorum & Ritualium librorum; revocentur in memoriam Patrum de extrema Unctione laudata superius testimonia: & si vel unum occurrat, ubi legatur Unctionem non debere cum Oratione, ut efficax sit, necessario fieri; aut ad ejus virtutem nihil interesse, sive a presbyteris Unctionis administris, sive a suscipientibus oratio sacra fundatur; tum demum per nos liceat, Ecclesiam accusent Hæretici, & inductæ contra divinum mandatum novitatis insimulent: quod si, ut revera est, probare non possunt, pudeat eos tandem aliquando erroris sui, & excussa Lutheri, Calvini, aliorumque pseudo-Reformatorum tyrannide, suavi Ecclesiæ jugo, quod Christi ipsius est, colla submittere non detrectent: desinant matri piissimæ hæreditatem acceptam divinitus invidere, & sicuti Baptismum ejus, pro vero Sacramento habent; ita in Unctione infirmorum, qualem ab initio observavit, veram materiam, veramque formam, & omnes denique veri Sacramenti conditiones, humiliter & utiliter recognoscant.

OSTENDITUR SECUNDO.

Formam extremæ Unctionis qualis ubique hodie observatur, verbis deprecativis enuntiari.

Atque ut de Græcis primo dicamus, notorium est apud illos meris precandi formulis totum officium extremæ Unctionis absolvi, quas inter, *Goario*, *Arcudio*, aliisque consentientibus, formæ Sacramentalis locum habet, quæ sic incipit: Πάτερ ἅγιε ἰατρὲ τῶν ψυχῶν: *Pater Sancte, animarum & corporum medice, qui filium tuum Unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, omnem morbum curantem, & ex morte nos liberantem misisti: Sana quoque servum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate, & vivifica illum per Christi tui gratiam: intercessionibus super omnes, S. Dominæ nostræ Dei-paræ, & semper Virginis Mariæ &c.* (*vide sup. qu.* 1, *c.* 1, *prob.* 3).

Nec minus de Latinis est certum, eos formam Unctionis verbis deprecativis efferre: *per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, olfactum, gustum, & tactum*: cujus formæ veritatem & efficaciam si quis suspectam haberet, Sum. Pontificibus, Conciliis, & Universali Ecclesiæ contradiceret: constat enim ab *Eugenio IV* in decreto pro instructione Armenorum: in Concilio Trident. Sess. 14 de Extr. unct. cap. 1 & in variis, quæ a 600 & amplius annis scripta sunt, Ritualibus Latinorum, commendari, & a Sacerdotibus inviolabiliter observandam præscribi: constat pariter formam hanc Græcis minime improbari: in iis enim tam diversis litigiis quæ adversum Latinam Ecclesiam variis temporibus excitarunt, nullibi legimus ullam de hac re intentatam esse querelam: atque id perquam merito: non enim a mensura vocum aut numero syllabarum pendet vis & efficientia Unctionis, sed ab oratione fidei quam fieri S. Jacobus Dei auctoritate præcepit: ubicumque ergo fidei oratio est, publica auctoritate Ecclesiæ approbata, & ad virtutem Sacramenti significandam accommodata, vera ejus debet forma agnosci.

¶ S. Thomas præter alia quæ profert ex sacris litteris, & ritu Ecclesiæ fundamenta, hujusce formæ deprecatoriæ maximam convenientiam more suo manifestat, *q.* 29 *supplem.* art. 8, & quidem tripliciter. *Primo*, inquit, *quia suscipiens Sacramentum hoc est viribus propriis destitutus. Unde indiget orationibus sublevari. Secundo: quia datur exeuntibus, qui*

jam

jam desinunt esse de foro Ecclesiæ, & in solius Dei manu requiescunt; unde & ei per orationem committuntur. Tertio, quia hoc Sacramentum non habet aliquem effectum, qui semper ex oratione Ministri consequatur, omnibus, quæ sunt de essentia Sacramenti etiam rite peractis, sicut character in baptismo, & confirmatione, & transubstantiatio in Eucharistia, & remissio peccati in Pœnitentia existente contritione, quæ est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, non autem de essentia hujus Sacramenti. Et ideo in hoc Sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in prædictis Sacramentis.

OSTENDITUR TERTIO.

Formam extremæ Unctionis in Latina Ecclesia, olim verbis absolutis expressam.

Minime tamen putandum, formam deprecativam sic esse institutione divina necessariam, ut aliter consistere Sacramentum non possit; quam enim modo habet Latina Ecclesia Unctionem, antiquitus nec minore efficacia habuit: nisi impie contendimus, privo majorum judicio Sacramentum Christi sublatum, & ejus loco otiosam cæremoniam, nova superstitione, inductam: atqui olim per diversas Latinæ Ecclesiæ partes verbis indicativis forma extremæ Unctionis exprimebatur; nec forte alia per totum late Occidentem observabatur.

1. Enim neminem latet tantisper in antiquitate versatum, a multis retro sæculis formam hanc in Mediolanensi Ecclesia usurpatam; *ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates:* formæ hujus B. Bonaventura, aliique veteres Scholastici cum laude meminerunt, & *Ambrosianam* appellant, ut insinuent vel ab ipso Sancto Ambrosio præscriptam, vel ei esse coævam.

2. In Sacramentario *Gregorii M.* (*vide Hugonem Menardum in Sacramentario*) sub hoc titulo: *Oratio ad infirmum ungendum:* hæc legitur forma, quæ sane deprecativa non est: *inungo te oleo Sancto, sicut unxit Samuel David in Regem & prophetam: operare creatura olei in nomine Patris omnipotentis, ut non lateat illic spiritus immundus, neque in membris illius, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum: sed in te habitet virtus Christi altissimi, & Sp. Sancti, per eumdem &c.* etsi enim in modum precationis hæc formula desinat, his nimirum verbis: *per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum &c.* absolute tamen quæcumque præcedunt enuntiari, nemo non videt: quo fit, ut absoluta, non deprecatoria dici sapientium judicio debeat: alioquin enim ne forma quidem Baptismi, indicativa futura erit: quid enim obstabit quominus quæ in illa fit, invocatio Trinitatis, his verbis: *ego baptizo in nomine patris &c.* pro vera habeatur oratione? *Olim forma hujus Sacramenti*, ait Hugo Menardus, Gregorianam formam expendens, (*in Sacr. Greg. M.*) *fuit indicativa, quamvis hic appelletur oratio, sed improprie: vere etenim oratio non est.*

3. Id ipsum demonstrant diversarum Ecclesiarum, tum manuscripti, tum typis editi, libri veteres Rituales, non aliam, præter indicativam formam habentes; cujusmodi sunt Codices, *S. Mariæ Remensis, Tilianus*, sive *Sagiensis, Ratoldi, Siculus, Venetus*, & plures alii, quos constat ad 16 usque sæculum in Ecclesis illustrioribus observatos, nec alia de causa, ut quidem crediderim, paulatim in hac parte abrogatos, nisi quia Antistibus satius visum est, formam deprecatoriam, quæ in majori Ecclesiæ Latinæ parte observabatur, amplecti: consuli de hac re possunt, *Joannes Morinus*, de administratione Sacramenti pœnitentiæ, l. 8, c. 16, *Hugo Menardus* in notis ad Sacramentarium Gregorii M. *Joannes Launojus* in libro de Sacramento Unctionis infirmorum.

COROLLARIUM I.

Indeque sequitur 1, quantum spectat ad divinam institutionem, & essentiam Sacramenti, sive forma indicativa, sive deprecativa adhibeatur, indifferens esse: nec unam præ altera necessario usurpandam, nisi quia minister quisque tenetur Ecclesiæ morem gerere, & disciplinæ a majoribus institutæ obtemperare.

Hoc enim ni concesserimus, dicendum erit plerasque Ecclesias longo sæculorum decursu, consentiente Universali Ecclesia, extremæ Unctionis Sacramento caruisse, & in ejus locum vanam Sacramenti Imaginem subrogasse: qualem sane futuram fuisse negare non possumus, si forma deprecativa, quæ sola sufficere ad Sacramenti valorem supponeretur, fuisset in indicativam, pastorum ignorantia aut negligentia perperam immutata: quis porro illud assentietur, *Mediolanensem*, & plerasque alias Ecclesias, ne *Romana* quidem excepta, quoad forma indicativa in illis viguit, Sacramentum extremæ Unctionis, conniventibus consentientibusque reliquis pastoribus, ita contaminasse, ut ejus, præter vani nominis umbram nil superesset?

¶ Deinde: in hoc Sacramentalis formæ veritas & essentia consistit, quod Sacramenti vim & affectiones significet, non speculative quidem, ut loquitur schola, sed practice, hoc ipsum videlicet operando quod verbis exprimitur: atqui in extrema Unctione, sive forma sit deprecatoria, sive absoluta, effectum Sacramenti, & ejus virtutem pariter exprimit: id quod facile assentietur, qui Græcorum formam: *pater Sancte, animarum & corporum medice, &c.* Latinorum: *per istam Sanctam Unctionem &c.* Itemque alias, sive *Ambrosianam*, sive *Gregorianam &c.* quæ verbis absolutis efferebantur, attente pensitaverit: in singulis enim, causa principaliter operans, Deus scilicet, minister, ejusque intentio, & denique unctionis effectus perspicue exprimuntur: ergo &c.

COROLLARIUM II.

Sequitur 2, hoc uno extremæ Unctionis exemplo etiam si alia deessent, vanam revincendam opinionem, qua plerique de schola putant, debere formas Sacramentorum, ut ex opere operato sint efficaces, verbis absolutis sive indicativis, non deprecatoriis exprimi: ecce enim precibus Sacerdotum hoc Sacramentum vere confici, de quo prædixit Apostolus: *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*: Oriens Occidensque consentit: ergo Sacramentum novæ legis, posse deprecatoriis verbis absolvi, Ecclesiæ Universalis sententia est: ergo quas in contrarium schola objicit rationes, vanæ ac futiles sunt: ut quid enim in ungendis infirmis Oratio cum oleo sufficit; non satis erunt in cæteris Sacramentis formulæ deprecativæ, cum elementis unicuique divinitus assignatis conjunctæ? ad quod sane argumentum si, uti par erat, attendissent Scholastici, non fuissent in Græcis & Orientalibus accusandis adeo faciles, quasi nimirum confirmationis, pœnitentiæ, ordinis, & matrimonii Sacramenta violassent, propterea quod in eorum administratione non alias usurpent formulas, quam deprecativas: quæ accusatio si quid fundamenti haberet, non in Græcos tantum, sed in Latinos ipsos recideret, a quibus constat ritus Græcorum solemniter sæpeque probatos: discant hinc Theologiæ studiosi, non ex novellis scholarum opinionibus debere de antiqua disciplina ferri judicium; sed ex disciplina ipsa, quam constat antiquitus observatam, scholarum placita æstimanda.

OBJECTIO PRIMA.

Volentium, formam extremæ Unctionis non posse in Oratione consistere.

Forma hujus Sacramenti, *inquiunt*, si quæ esset, foret oratio fidei, de qua Apostolus loquitur, *Oratio fidei salvabit infirmum*: atqui oratio fidei nequit esse forma Sacramenti conveniens: forma enim Sacramentalis effectum suum exerit ex opere operato: atqui oratio fidei effectum ex opere operantis consequitur: id est, effectus omnis quem habet, non verbis ipsis, sed fidei operantis adscribitur: ergo &c.

R. Concessa maj. n. min. nam quælibet forma Sacramentorum vero aliquo sensu oratio fidei est, & vocatur; semper enim est efficax in fide Ecclesiæ Deum invocantis, quem esse omnipotentem firmiter credit, & verbo suo id omne quod vult, infallibiliter operari: cum itaque formæ omnes Sacramentales vice Ecclesiæ proferantur, fidem suam & devotionem ministerio hominum, quantumvis aliunde improborum & infidelium exprimentis; orationes fidei eo sensu dici possunt ac debent.

Ad argumentum subjectum, concessa maj. dist. min. Oratio fidei effectum suum ex opere operantis consequitur; *si sit oratio fidei formaliter*, hoc est, si dependeat ab actuali ministri fide, quantum ad efficaciam, concedo: si sit oratio fidei, *objective tantum*, nego min. & conseq.

E. R. Forma extremæ Unctionis est oratio fidei objective, in quantum in objecto fidei continetur, & ab Ecclesia cujus vices gerit minister quantumlibet infidelis, vera & viva fide profertur: sed non est oratio fidei formaliter & subjective: quia ut suum effectum obtineat, non dependet ab actuali fide ministri, pari itaque ratione intelligitur extremæ Unctionis forma, *oratio fidei* a S. Jacobo appellata, qua S. Aug. verbum Sacramentale, *fidei verbum* appellat; *quæ est tanta virtus aquæ*, inquit, (*Tract. 80 in Joan.*) *ut corpus tangat, & cor abluat? nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur*: atqui non ideo S. Doctor verbum Sacramentale dicit esse verbum fidei, quod sentiat formalem fidem essentialiter in ministris Sacramentorum requiri; sed quia in objecto fidei continetur; ergo a pari &c.

Instant: in collatione Sacramentorum vere operatur minister, eorumque effectus attingit: alioquin enim falso diceret: *ego te baptizo: ego te absolvo: signo te signo crucis: confirmo te chrismate salutis &c.* atqui si forma ex-

extremæ Unctionis deprecatoria foret, nihil minister operaretur, nec effectum ejus ulla ratione attingeret; numquid enim delet peccata, qui rogat Deum ut dignetur ea remittere? *per istam Sanctam Unctionem*, inquit, *& suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus &c.* ergo &c.

℞. 1. Hanc & similes argutiolas iis tantum probari posse, qui res divinas, non scripturæ & traditionis auctoritate, sed Sophisticis cavillationibus metiuntur: quæ si quid ponderis haberent ad adstruendum, forma deprecatoria extremæ unctionis Sacramentum constare non posse, pariter demonstrarent, Græcos nec pœnitentiæ, nec confirmationis, nec ordinis, nec matrimonii Sacramenta habere, quæ constat apud illos solis orationibus confici.

R. 2. Concessa maj. n. min. vere enim operatur, qui formam Sacramentalem, ejusdem materiæ, & utramque subjecto idoneo, potestate data sibi divinitus applicat; ex qua applicatione, nisi subjecti pravitas obstet, necessarium est sequi effectum, ad quem Dei voluntate sacra operatio ordinatur: atqui etiamsi forma extremæ Unctionis deprecatoria sit, ejus tamen materiæ, & simul utraque subjecto capaci, interventu presbyteri applicatur, unde sequitur necessario effectus Dei voluntate intentus: ergo revera minister in Sacramenti, etiam per formam deprecatoriam, consecratione, tantum operatur, quantum in cæteris formam indicativam, sive absolutam habentibus.

Ad argumentum adjunctum, dist. ant. non delet peccata, qui rogat Deum ut dignetur ea remittere: *non delet*, inquam, *virtute propria, & quasi de suo indulgentiam largiendo*, conc. non delet *ministeriali virtute*, precem fundendo, quam voluit Deus esse ex opere operato indulgentiæ efficacem, n. ant. & conseq. Plana responsio erit, si ad cætera Sacramenta attendamus, quorum formæ verbis absolutis enuntiantur: quando ait Sacerdos baptizans: *ego te baptizo*: aut quando in pœnitentiæ Tribunali, *ego*, inquit, *te absolvo*: numquid putas de suo aliquid dare, & originale actualiave peccata, propria virtute remittere? non hoc sane, si verum sapis, dicturus es: quid ergo facit? nimirum Christi minister est, & Dei dispensat mysterium, ad peccati abolitionem suprema ejus potentia ordinatum: atqui quomodo formam indicativam baptismatis, ita Unctionis deprecativam voluit Deus esse gratiæ efficacem, eique constitutum est in aliquibus Sacramentis Columbæ, Ecclesiæ videlicet, gemitum, verbis deprecativis expressum infallibiliter exaudire: non minor ergo in Sacramentis, formam deprecativam, quam indicativam habentibus, ministrorum, nec imbecillior operatio est.

Inst. 2. negare saltem non possumus, debere actionem ministri, in forma Sacramenti necessario exprimi: alioquin enim quo pacto significaret, se intentionem operis sacri faciendi habere? atqui in forma deprecatoria, nulla actionis ministri expressio est; non est ergo ad Sacramentum sufficiens.

R. 1. Nego maj. quæ enim isthęc nova regula est, non audere inficiari quod certo constat Ecclesiasticæ disciplinæ esse contrarium; vel hac sola ratione, quod Scholasticis quibusdam, sophistis magis, quam Theologis, pro axiomate & inconcusso principio habeatur? in quorum numero fuit *Catumsyritus*, Græco-Italus, ignobilis, nulliusque doctrinæ scriptor, qui *Arcudium* refutando, eo temeritatis progressus est, ut novas proponere Sacramentorum, ipsiusque nominatim extremæ Unctionis, formas præsumserit, eo prætextu quod in iis quibus Græci & Latini utuntur, actio ministri non exprimatur: quasi nimirum hac una de causa irrita possent fieri Sacramenta Christi: quod vero ad hujus opinionis probationem affertur, non posse aliter significare ministrum, se intentionem operis sacri faciendi habere, nisi actionem suam in ipsa Sacramenti forma exprimendo, prorsus ridiculum est: ipso enim opere quod serio, & in circumstantiis debitis adimpletur, satis superque intentio innotescit, nec ulterius exigitur ut verbis expressis declaret minister, se id velle agere, quod revera agit: quapropter *Catumsyriti* opinio pro paradoxo habita est, ipseque auctor merito ac jure damnatus.

℞. 2. Transeat major & n. min. sive enim de Græcorum, sive de Latinorum forma quæstio sit, certissimum est utraque, ministri ungentis actionem significari: *per istam Sanctam Unctionem*, ajunt Latini, *indulgeat tibi Deus &c.* ubi cæcum esse oportet, qui non videt actum presbyteri clarissime exprimi: *Græci* vero orationem: *pater Sancte, animarum & corporum medice &c.* hoc ipso momento, quo infirmum inungunt pronunciant: *post orationem*, ait Euchologium, *accipit Sacerdos oleum, & extremam Unctionem adhibet, sequentem orationem dicens*: *pater Sancte &c.* opus itaque ipsum quod tum impletur, intentionis ministri apertissima declaratio est, quod qui negare audent, idem mihi videntur sentire, ac si quis contenderet eleemosynam vere non fieri, nisi qui egeno succurrit, in ipso exercitio caritatis dixerit: *impertior tibi eleemosynam*: quod esse absurdissimum quis non videt?

OB-

OBJECTIO SECUNDA

Volentium, extremæ Unctionis formam, veram, nisi deprecaria fuerit, esse non posse.

Forma, *inquiunt*, vera non est, nisi quam Christus Sacramentorum auctor præscripsit: atqui Christus sola oratione Unctionem fieri voluit: *infirmatur quis in vobis?* ait ejus Apostolus, *inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes cum oleo in nomine Domini: & oratio fidei &c.* ergo nisi deprecatoria fuerit, vera esse nequit extremæ Unctionis forma.

Resp. 1. plerique Theologi totum concedendo argumentum: volunt nimirum formam absolutam, quando olim in Latina Ecclesia obtinebat, semper fuisse cum verbis deprecativis conjunctam, quæ sola stricte loquendo rationem formæ haberent: „ olim, *inquit Natalis Alexander*, (*Theol. dogm. & mor. lib.* „ 2, *tract. de extr. Unct. c.* 1, *art.* 3) „ forma, ex absoluta & deprecatoria mixta e„ rat: sed absoluta & indicativa oratio, po„ tius erat dispositio ad formam, quam ipsa „ forma, ut docet S. Thomas in 4. sent. dist. „ 23, qu. 1, a. 4, quæstiuncula 2, ad 3: „ *verba illa indicativi modi*, inquit, *quæ se*„ *cundum morem quorumdam præmittuntur* „ *orationi, non sunt forma hujus Sacramen*„ *ti, sed sunt quædam dispositio ad formam,* „ *inquantum intentio ministri determinatur ad* „ *actum per illa verba*. Sic in Sacramenta„ rio S. Gregorii absoluta seu indicativa ora„ tio deprecatoriæ conjungitur hunc in mo„ dum: *inungo te de oleo Sancto, sicut unxit* „ *Samuel David in Regem & prophetam:* „ *operare creatura olei in nomine Patris om*„ *nipotentis, ut non lateat illic spiritus im*„ *mundus, neque in membris illius, neque in* „ *medullis, neque in ulla compagine membro*„ *rum, sed in te habitet virtus Dei altissimi, &* „ *Sp. Sancti, per eumdem &c.* in codice Arre„ marensi, in codice S. Mariæ Remensis, in co„ dice Ratoldi, in Tiliano seu Sagiensi, nec non „ in codice Sæculo indicativa oratio, depreca„ toriæ formæ pariter adjungitur. Ambrosia„ na Unctionis extremæ formula his verbis „ concepta est: *ungo hos oculos oleo Sancti*„ *ficato, in nomine Patris, & Filii, & Sp.* „ *Sancti*: & sic ad omnes sensus: sed verba „ deprecatoria sequuntur: *ut more militis un*„ *cti præparatus ad certamen, possis aereas* „ *potestates superare*. Similiter in forma Ve„ neta, verbis illis indicativæ formulæ adjun„ gitur: *quidquid illicito visu deliquisti, hu*„ *jus olei unctione expietur, per Christum Do*„ *minum nostrum:* quamvis ergo formæ istæ „ indicativo modo incipiant, quia tamen pre„ cationis modo finiuntur, eædem quoad sen„ sum cum nostra esse censentur: " ita Natalis Alexander.

Resp. 2. alii, quibus, in prædictis formulis, quod veram sonet precationem nihil apparet, concessa majore, distinguendo min. Christus sola oratione Unctionem fieri voluit, *quæ vel formaliter vel virtualiter & implicite talis esset*, concedunt: *sola oratione explicita & formali*, negant minor. & conseq.

E. R. In prædictis *Ambrosii*, *Gregorii*, & aliorum ritualium formulis, nisi in terminis ludimus, nulla stricte loquendo precatio est: id quod *Hugo Menardus*, *Morinus*, *Launojus*, & alii prudenter notarunt: virtualem tamen & implicitam orationem ibidem contineri, negare non possumus: ubicumque enim invocatio supremi numinis est, oratio vero quodam sensu agnoscitur: atqui in *Ambrosiana*, *Gregoriana*, & aliis formulis, supremæ Dei potestatis invocatio est; nihil ergo impedit, quominus precationes vera aliqua ratione dicantur, quæ satis sit ad Christi præceptum implendum: *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum &c.* quod non ideo dictum intelligi volumus, ut cum S. Thoma pugnemus, cui contradicere nobis religio est: sed ut ostendamus, quæcumque tandem scholarum præponatur opinio, nihilominus suam Sacramento veritatem constare, quæ non a scholarum placitis, sed a Christi instituentis voluntate absolute dependet; porro Christum in formula, sive oratione, aut formali & explicita; aut implicita & virtuali Sacramenti Unctionis essentiam posuisse, disciplina Ecclesiæ invicte probat, contra quam pugnare stultissimum est.

Inst. 1. omnia novæ legis Sacramenta a Christo Jesu Domino nostro immediate instituta, fidei veritas est, a Concilio Trid. denuo contra recentiores Hæreticos confirmata: *si quis dixerit*, inquit (*Sess. 7 de Sacr. in Gen. can.* 1.) *Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta ... anathema sit:* quod de extrema Unctione speciatim definiens: *si quis dixerit*, ait, (*Sess.* 14, *de Sacr. extr. Unct. can.* 1) *extremam unctionem non esse vere & proprie Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum ... anathema sit*: inde porro sequitur, a Christo materias & formas Sacramentorum non in genere tantum, sed & in specie esse determinatas: id quod a nobis ipsis libro 1 de Sacramentis in genere, est specialiter demonstratum: atqui si in extrema Unctione forma vel ab-

absoluta, vel deprecatoria indifferenter adhiberetur, argumento foret quod non esset a Christo determinata: ergo &c.

℞. Concessa maj. n. min. quæ vera dici non potest, nisi supponatur, formam inter absolutam & deprecativam essentiale discrimen esse; atqui utriusque essentialis differentia nulla est, cum utraque eumdem habeat sensum, eumdemque effectum practice & ex opere operato significet: ita respondet S. Bonaventura, in 4, dist. 23, art. 1, qu. 4, ubi hanc sibi proponit objectionem: „ omnia Sacramenta quę habent formam, eamdem debent habere per totam Ecclesiam Catholicam, quia variatio formæ est variatio Sacramenti, & Sacramentum debet esse uniforme, sicut fides & Ecclesia: sed hoc Sacramentum non habet eamdem formam: nam in Ecclesia Gregoriana est hæc forma: *per istam Sanctam Unctionem &c.* in Ambrosiana est hæc: *ungo te oleo Sanctificato, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates:* " vel similis huic: ergo non videtur quod aliqua forma sit substantialis. Argumentum S. Doctor sic diluit: *ad illud, quod objicitur*, inquit, *quod non est eadem forma, dicendum quod secundum id quod est necessarium & essentiale Sacramento, eamdem oportet esse: sed forma verbi non est necessaria ratione vocis exterioris, sed prout est expressiva verbi interioris*: jam sic subsumo: atqui formæ extremæ Unctionis, sive verbis indicativis enuntietur, sive deprecativis, idem sensus, eademque interior significatio est: quod ni concesserimus, ex consequenti negandum erit, Græcos pœnitentiæ, ordinis, & matrimonii Sacramenta habere, quos constat, more Latinis contrario, in eorum administratione formulas deprecatorias usurpare: fatendum ergo extremæ Unctionis formam (quod de plerisque aliis Sacramentis dici debet) a Christo sic esse determinatam, ut Ecclesiæ liberum fecerit, quas vellet sive indicativas voces, sive deprecatorias, (unum enim, idemque est,) usurpare.

Inst. 2. Formam deprecativam in extrema unctione necessario adhibendam, Ecclesiæ definitio est. Sic enim ab Eugenio IV constitutum in decreto *pro inst. Armenorum*: & a Trid. Concilio expresse declaratum: *intellexit Ecclesia*, inquit, (*Sess. 14, cap. 1, de extr. unct.*) *formam hujus Sacramenti esse illa verba*: *per istam unctionem, &c.* ergo non aliter potest quam forma deprecativa valide ministrari.

R. Nego ant. hoc enim dumtaxat ex decreto *Eugenii*, & Concilii Trid. doctrina erui potest, extremam unctionem his verbis: *per istam Sanctam unctionem &c.* valide ministrari, & formam hanc ex præsenti Latinæ Ecclesiæ diciplina, necessario unicuique esse tenendam: cæterum minime putari debet, formam deprecativam decreto Ecclesiæ ita esse commendatam, ut indicativa velut insufficiens & ad effectum Sacramenti prorsus invalida, rejecta fuerit: alioquin enim Tridentini patres & Eugenius, violati quondam Sacramenti illustriores Ecclesias accusassent, quas luce meridiana clarius est, formam indicativam longo sæculorum decursu, nec aliam usurpasse: quemadmodum itaque formam Græcorum Trid. Patres non proscripserunt, quæ licet deprecatoria sit, non ejusdem tamen tenoris ac nostra est: ita nec antiquam Latinorum quam indicativam fuisse constat, irritam & nullius efficaciæ declararunt: nec aliter debere præfata decreta intelligi, pleraque momenta evincunt.

1. Enim certum est, ex quo Trident. Concilium celebratum est, liberum unicuique fuisse, pro validitate formæ indicativæ, quæ olim observabatur, publice editis libris pugnare, simulque contendere formam deprecatoriam, quæ modo ubique viget, ad substantiam Sacramenti ex instutione divina non pertinere: sententiam hanc *Hugo Menardus*, in Sacramentarium Gregorii M. *Morinus* de Sacr. pœnitentiæ l. 8, c. 19, *Joannes Launojus* lib. de hac re specialiter edito: & plerique alii solide, propugnarunt.

2. Anno 1635 sacra Theologiæ facultas Parisiensis, publice propositionem defendi permisit, qua asserebatur, *etiam unica olei unctione, verbisque indicative prolatis, Sacramentum extremæ Unctionis in necessitate perfici posse*.

3. Hoc ipsum probat *Launojus* ex variis manualibus editis post Concilium Trid. & quidem ab Episcopis qui Synodo interfuerant, in quibus exhibetur forma indicativa.

Ergo solam formam deprecatoriam Sacramenti essentiam constituere, pro Ecclesiæ definitione haberi non potest.

¶ Accedit ad rem hanc amplius confirmandam animadversio, & Authoritas Benedicti XIV, Sum. Pontificis, qui in sæpe cit. lib. de Synodo l. 7, c. 17, utraque sententia cum suis momentis relata, & proposita etiam observatione Cardinalis Sanctorii (quam etiam adoptat loco supra citato laudatus P. F. Bernardus Maria de Rubeis) qua dissidentes inter se de hac controversia Theologos in concordiam revocare satagit; tandem concludit: *utcumque hæc res se habeat, cum nihil de ea ab Ecclesia definitum habeamus, non decet in Synodo, seu Synodali instructione, ejusmodi quæstionem commemorare,*

re, sed duntaxat injungendum est Parochis, ut formam adhibeant Rituali præscriptam, quæ certe sine gravi flagitio non potest privata Authoritate immutari. Quibus verbis nihil de hoc definitum esse, velut ad fidei dogma pertinens, aperte designat, ac supponit.

Proponuntur & resolvuntur quædam quæstiones.

Q. 1. Harum formarum utra convenientior sit indicativa an deprecatoria?

R. 1. cum utravis indifferenter ex divina institutione sufficiat, nec una plus habeat virtutis quàm altera; utramque, ratione habita Sacramenti, convenientissimam esse, nec ea ex parte causam ullam, cur una alteri aoteponatur, occurrere: ubi enim plena utrimque æqualitas est, delectui & prælationi locus non manet.

R. 2. Si ad Ecclesiæ disciplinam (ut revera fieri debet) respectus sit, eam sine dubio convenientiorem censendam, quæ instituto Ecclesiæ ac coosuetudine obtinuerit: quo enim aliquid tutius, hoc ipso convenientius est: atqui privato cuique ministro tutius est, imo hoc solum est tutum, disciplinam suæ Ecclesiæ observare, unde non potest sine proterviæ ac temeritatis nota recedi: ergo debet forma conveoientior judicari, quæ fuerit Ecclesiæ auctoritate recepta: sic quia olim per totam fere Germaniam forma indicativa observabatur, prout testatur *B. Albertus Magnus*, affirmans (*in* 4, *dist.* 23, *art.* 4) se in antiquissimis Germaniæ Ritualibus, non aliam præter indicativam formam legisse, quam *Gregorianam* vocabant; nihil hoc tempore harum provinciarum presbyteris convenieotius erat, quam ut morem suæ Ecclesiæ gerereot: idemque de Ritu *Ambrosiano*, *Veneto*, & plerisque aliis est dicendum, qui pariter indicativam formulam præscribant: quia vero decursu temporum, forma deprecativa per totum late Occidentem recepta est, & Conciliorum ac Sum. Pontificum decretis probata, hanc utpote conveoientiorem sequi unusquisque tenetur, non quia aliter constare veritas Sacramenti non potest, quod supra ostendimus esse falsum; sed quia nemini licitum est disciplinam publica Ecclesiæ auctoritate firmatam infringere.

Q. 2. Utrum formam inter Græcorum & Latinorum consensio sit?

R. Affirmative: etsi enim verbis discrepent, eumdem tamen sensum habere facile assentietur qui attenderit, utrobique divinam omnipotentiam invocari, & spiritualem effectum, gratiam nimirum & peccatorum remissionem utrimque peti: *per istam Sanctam Unctionem*, ajunt Latini, *& suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus &c.* Græci vero: *pater Sancte, animarum & corporum medice, qui filium tuum Unigenitum, Dominum nostrum Jesum Christum, omnem morbum curantem, & ex morte nos liberantem misisti, sana quoque servum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate, & vivifica illum per Christi tui gratiam &c.*

Q. 3. Utrum omnes & singulæ harum formarum particulæ pertineant ad essentiam Sacramenti?

R. Negative: nam

1. Quod ad Græcos spectat, Sanctorum plurima nomina in eorum forma leguntur, quorum, in ægrotantis gratiam, intercessio invocatur: atqui invocatio Sanctorum non est necessaria in forma Sacramentorum, quippe quæ Dei solius virtute effectus suos, & ex opere operato producant: ergo memoria illa Sanctorum, etsi piissime fiat, non tameo ad Sacramenti valorem necessaria est putanda: idemque de petitione corporalis saoitatis dicendum, quam si dixerimus necessariam, coosequens erit, ut Latinos, qui hanc non habent, contaminati Sacramenti redarguamus: & sane cum corporalis restitutio valetudinis effectus sit secundarius Sacramenti, nec necessario & infallibiliter, sed quatenus Deo expediens visum fuerit, ab illo dimanans; nulla necessaria causa est, cur in forma Unctionis ejus expressio fiat.

2. In forma Latinorum pleraque sunt quæ ad essentiam Sacramenti non pertinent: quale est, 1 quod dicitur: *per istam Sanctam Unctionem*; 2 quod additur, *& suam piissimam misericordiam*; 3 quod distinctim quinque sensus enumeraotur; 1 ioquam, noo est necessaria unctionis significatio; tum quia ipso ministri ungentis actu sufficienter innotescit; tum quia in formis Sacramentorum non requiri materiæ eorumdem expressionem, pœnitentiæ, ordinis, & matrimonii exemplis compertum est; tum denique quia Græci Unctionis in forma sua expresse non meminerunt: 2 vox, *indulgeat tibi Deus*, misericordiam ejus abunde significat: ergo quod præcedit: *& suam piissimam misericordiam* ad esseotiam Sacramenti superfluit: 3 oec necessaria est quinque sensuum distincta enumeratio; tum quia apud Græcos non fit; tum quia a Latinis ipsis potest, in casu necessitatis, ut prædiximus, reticeri.

Dicendum itaque, hæc sola verba, aut æquivalentia: *indulgeat tibi Deus*: essentialem formæ integritatem habere: iis enim solis, causa principaliter operans, Deus scilicet; effectus Sacramenti, qui est condonatio delictorum: subjectum cui Sacramentum impenditur; & denique

nique ipse minister, verba proferens, simulque ægrotum inungens, etiam si cætera desint, aperte significantur. Sequitur

QUÆSTIO QUARTA.

De Auctore, & Ministro extremæ Unctionis.

Bipartita quæstio est: adeoque distinctis capitibus explicanda.

CAPUT PRIMUM.

De extremæ Unctionis Auctore.

Hujus Sacramenti, uti & aliorum, Dominum Jesum Christum esse Auctorem, Doctrinam Ecclesiæ est, in Scripturæ, traditionis, & gentium omnium perpetua consensione fundata, & a solis recentiorum temporum Hæreticis sacrilego ausu repudiata: contra quos Concilium Trid. *si quis dixerit*, inquit, (*Sess. 7, can. 1*) *Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta .... aut etiam aliquod horum septem, non esse vere & proprie Sacramentum: anathema sit ....* (*Sess. 14, can. 2, de extr. unct.*) *si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere & proprie Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, & a B. Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a patribus, aut figmentum, humanum: anathema sit:* & vero auctorem suum extrema unctio, ipsa sua efficacitate prodit ac demonstrat: effectum enim spiritualem, & gratiam sanctificantem ex opere operato producit: ecquis porro vel Homo, vel Angelus usquam est, tanta virtute præditus, qui valeat elemento sensibili hanc efficacitatem tribuere, ut gratiam, Divinum videlicet opus, in animam influat? Igitur extremam unctionem, Christum Deum hominem vere habere auctorem negari ab iis solis potuit, qui omnem in ea negarunt esse gratiæ influendæ virtutem: contra quos iterum Trid. Synodus, *si quis dixerit*, ait, (*Sess. 14, can. 2, de extrem. unct.*) *Sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum: anathema sit.*

Veritatem hanc, quoniam sæpe alibi nominatimque lib. 1, de Sacramentis in genere, & hujus libri quæstione prima tetigimus, operam denuo tractando, abuteremur: superest de institutione extremæ unctionis, non cum Hæreticis, sed cum scriptoribus apprime Catholicis, controversia duplex: 1 an Christo immediate aut mediate tantum sit adscribenda? 2 quo tempore facta fuerit?

§. PRIMUS.

Utrum extrema unctio immediate a Christo sit instituta?

Hugonis a S. Victore, qui sæculo 12 floruit, sententia fuit, unctionem extremam, non a Christo immediate, sed ab Apostolis institutam: *hoc Sacramentum*, inquit, (*Sent. tract. 6, cap. 15*) *institutum fuit ab Apostolis:* eidem adhæsit opinioni magister sententiarum, ejusdem ætatis scriptor, quem sæculo sequente Alexander Halensis, & S. Bonaventura secuti sunt: *Sacramentum unctionis infirmorum*, inquit ille, (*lib. 4, dist. 24*) *ab Apostolis institutum legitur.*

De qua priusquam judicium ferimus, dicendum quid immediata, quid vero mediata institutio sit? quamquam non est ad intelligendum difficile; immediatam enim intelligimus, quæ a Christi per semetipsum loquentis ore prodierit: qualis, nemine diffitente, de baptismi & Eucharistiæ Sacramentis sanctio fuit: ait enim ipse per se: *euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. *nisi quis renatus fuerit*, &c. *accipite & manducate, hoc est corpus meum* &c. *nisi manducaveritis carnem filii hominis*, &c. mediatam dicimus, quæ ab Apostolis, & primis Ecclesiæ Antistibus, auctoritate ab ipso accepta effluxerit: qualia sane plurima sunt, quæ ad Christum mediatum referuntur auctorem, quippe ab Apostolis in virtute Christi sancita: in hoc genere sunt, ritus sive cæremoniæ quæ in consecratione Sacramentorum antiquissima traditione servantur: nec enim quando hæc Apostoli disponebant, instinctu proprio, sed Christi ipsius a quo missi fuerant, spiritu regebantur: nec quidquam sibi velut summo legislatori Apostolus arrogabat, quando inquiebat, (*1 Cor. 11, 34*) *cætera cum venero disponam*, sed (quæ legati sunt partes) Christi supremi imperatoris arbitrio ac consensu dispositurum significabat. Jam ut ad propositum veniamus:

OSTENDITUR PRIMO.

Extremam unctionem immediate a Christo sancitam.

PROBATIO PRIMA.

Ex analogia aliorum Sacramentorum.

Cujus veritatis, etsi expresse in Sacris Litteris non legatur, argumentum nostro quidem judicio firmissimum est, quod immediate per se ipsum, baptismum, Eucharistiam, pœnitentiam, & sacerdotium instituerit: quod utique de confirmatione, suo loco probavimus, & Deo dante de matrimonio quantocyus adstruemus: quid porro Christo causæ esse poterat, ut alia quidem ipse per se immediate decerneret, Sacramenti vero infirmorum institutionem discipulis suis permitteret? numquid non omnia pariter Sacramenta, etsi excellentiæ & necessitatis gradu diverso, Evangelii, & novæ religionis fundamenta futura erant? quod si eorum aliqua Christus per semetipsum posuit, cur non cætera pariter adstruxisset? numquid forte quia tempus defuit, ut omnia provideret? atqui, inquit S. Lucas, (*Act.* 1, 3) *præbuit seipsum vivum Apostolis post passionem suam in multis argumentis, per dies* 40 *apparens eis, & loquens de Regno Dei*: de Ecclesia scilicet, ejusque administrandæ ratione: quæ verba expendens *S. Leo* Pontifex Max. *hi dies*, inquit, (*Serm.* 1 *de Ascensione*) *qui inter resurrectionem ascensionemque fluxerunt, non otioso transiere decursu, sed magna in eis confirmata sunt Sacramenta, magna revelata mysteria*: numquid denique quia hunc discipulis honorem habere voluit, ut quorumdam Sacramentorum immediati institutores essent & dicerentur? atqui nihil unquam sibi tale Apostoli arrogarunt, quibus satis fuit ministrorum Christi titulo gloriari: *sic nos existimet homo*, ait vice omnium B. Paulus, (1 *Cor.* 4, 1) *ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: itaque extremam unctionem, non secus ac cætera Sacramenta, vivæ vocis oraculo a Christo institutam immediate credendum, ne videlicet excellentiæ potestatem qua eminet, transtulisse in discipulos ulla ratione videretur; atque ut omnem Schismatis occasionem præcideret, cujus prætextus aliquis nasci poterat, si immediatam unius Sacramenti sanctionem sibi, præter ipsum, aliquis attribueret.

PROBATIO SECUNDA.

Ex antiquitatis consensione.

Nec est, quod pro contrariæ opinionis defensione scripturæ silentium venditetur, quasi nimirum illud per seipsos Apostoli statuisse censendi sint, quod non legitur ab ipso Christo immediate sancitum; nam,

1. Si hanc unusquisque temerario arripit silentium scripturæ interpretandi licentiam, non de extrema unctione tantum, sed & de confirmatione, & de matrimonio, poterimus pariter æstimare, quod non a Christo fuerint, sed ab Apostolis instituta: quin, & de ipsa pariter ordinatione simile dubium orietur; quam legitur quidem in sacris Litteris, ab Apostolis observatam; institutam a Christo, ut nimirum in hac vel illa forma aut materia fieret, expresse nullibi legitur: ecquid vero obstabit, quominus & de Sacramento pœnitentiæ paria dubia ventilentur? id quod exemplo suo, postremis temporibus Lutherani & Calvinistæ, quam esset facile demonstrarunt: hi enim vesano, nihil nisi quod in novo Testamento expresse a Christo determinatum legeretur, admittendi proposito, pene omnia Sacramenta de medio sustulerunt: quod si semel in scholas hæc introducatur licentia, aut si aliquorum, nimio contradicendi pruritu inducta, non reprimatur, quis non videt fidem paulatim immodicis altercationibus minuendam, & præcipua fundamenta religionis concutienda?

2. Eoque minus hoc sibi permittere debent Theologi, quod traditio, tutissima scripturarum interpres, nullius unquam Sacramenti, nec ipsius nominatim unctionis institutionem alteri præter Christum adscripserit: non noverunt videlicet antiqui Doctores, vanas illas mediatæ & immediatæ institutionis subtilitates, sed omnia simpliciter Sacramenta dicebant a Christo auctore accepta: nemo ante Hugonem inter Latinos occurret, qui extremam unctionem ab Apostolis institutam docuerit: hæcque ejus nova & sine fundamento opinio, etsi aliquibus post ipsum, ut in similibus sæpe contingit, arriserit; ab aliis tamen præcipuæ auctoritatis magistris, a S. Thoma præsertim est refutata: propositæ enim quæstioni: *utrum Sacramentum extremæ unctionis fuerit a Christo institutum? . . dicendum*, inquit, (*suppl. q.* 29, *art.* 3) *quod circa hoc est duplex opinio: quidam enim dicunt, quod Sacramentum istud, & confirmationis, Christus non instituit per se, sed Apostolis instituendum dimisit: quia hæc duo propter plenitu-*

nitudinem gratiæ quæ in eis confertur, non potuerunt ante Sp. Sancti missionem plenissimam institui: unde sunt ita Sacramenta novæ legis, quod in veteri lege figuram non habuerunt: sed hæc ratio non multum cogit, quia sicut Christus ante passionem suam, promisit plenam Sp. Sancti missionem; ita potuit instituere hæc Sacramenta, & ideo alii dicunt, quod omnia Sacramenta Christus instituit per se ipsum; sed quædam per se ipsum promulgavit; quæ sunt majoris difficultatis ad credendum: quædam autem Apostolis promulganda reservavit, sicut extremam unctionem & confirmationem, & hæc opinio pro tanto videtur probabilior, quia Sacramenta ad fundamentum legis pertinent; & ideo ad legislatorem pertinet eorum institutio, & iterum, quia ex institutione efficaciam habent, quæ in eis non nisi divinitus inest.

Et paulo superius: (*ib. in arg. sed contra.*) *Sacramenta novæ legis*, ait, *sunt digniora quam Sacramenta veteris legis. Sed omnia Sacramenta veteris legis sunt a Deo instituta. Ergo multo fortius omnia Sacramenta novæ legis habent institutionem ab ipso Christo.* Præterea: *ejusdem est instituere, & statutum removere: sed Ecclesia quæ in successoribus Apostolorum habet eamdem auctoritatem, quam Apostoli habuerunt, non posset auferre Sacramentum extremæ unctionis: ergo Apostoli non instituerunt, sed ipse Christus.*

Ita Angelicus præceptor, quem non modo schola ejus universa, sed quotquot deinceps doctrinæ celebritate floruerunt, paucis exceptis, spreta contraria opinione secuti sunt.

Quod autem diximus de Latinis, eo certius de Græcis & Orientalibus affirmamus, quod eorum plerique existimaverint, extremam Unctionem hoc tempore fuisse a Christo sancitam, quo, ut legitur apud Marcum, (*Mar. 6, v. 7, & seqq.*) *vocavit duodecim, & cœpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum.... & exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent: & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros & sanabant.* Quamquam enim hoc minime, ut brevi ostensuri sumus, probabile videatur; certo tamen inde eruitur, ex Grecorum sententia, immediatam extremæ Unctionis institutionem soli Christo adscribi posse.

Sic Victor Antiochenus, hæc Marci verba interpretans: *quod de mystica unctione, & olei usu hic subjungitur*, inquit, *hoc inter Evangelistas solus Marcus commemorat: interimque Apostolus Jacobus in sua Canonica narrat, ab his non dissentiens: scribit enim: infirmatur quis in vobis? &c.*

Theophylactus in eumdem locum: *quod unxerunt oleo Apostoli*, ait, *solus Marcus narrat, quod & frater Domini Jacobus in Catholica Epistola dicit.*

Et *Œcumenius* eadem verba commentans: *hoc etiam*, inquit, *Domino inter homines adhuc conversante, faciebant Apostoli, ungentes ægrotos oleo & sanantes.*

Multoque expressius *Simeon Thessalonicensis*; *hoc Sacramentum dedit Christus*, inquit, (*de Sac.*) *quando misit discipulos suos binos ante faciem suam, ut pœnitentiam prædicarent. Unde perspicue demonstratur, sanctum hoc oleum esse quasi pœnitentiæ complementum: dæmonia multa ejiciebant, ungebant oleo multos ægros & sanabant: indeque ostenditur, oleum consecratum infundi pœnitentibus, morbos sanare, & non ad corporum tantum, sed & ad animarum restitutionem conferre; idque testatur Jacobus Domini frater; infirmatur quis in vobis? &c.*

Et *Gregorius Proto-syncellus*: (*in Epit. dogm. Eccl. cap. de 7 Sacr.*) *septimum Sacramentum*, ait, *unctio puri olei est, pro ægrotantibus præparata, per benedictionem & sanctificationem, sanitatis spiritualis & corporalis conferendæ vim habens: unum est e septem Sacramentis, tunc a Christo ordinatum, cum discipulos suos misit ut Evangelium prædicarent, & prout in S. Marco habetur: ungebant oleo multos ægros & sanabant.*

Confessio Orthodoxa, (*Resp. ad quæst. 117*) *septimum Sacramentum est extrema unctio, a Christo præscripta. Cum enim cœpisset discipulos suos binos mittere, ungebant oleo multos & sanabant: quam deinceps unctionem Religiosa consuetudine Ecclesia observavit, prout ex Epistola S. Jacobi compertum est: infirmatur quis in vobis? &c.*

Denique, (ne plures inutiliter congeram) *Meletius Syrigus*: *certo credimus*, inquit, (*in Refutat. Articulorum Cyrilli Lucar.*) *oleum Domini & Dei nostri Jesu Christi invocatione consecratum, ab ipso Christo præscriptum: eo siquidem Apostoli utebantur, prout S. Evangelista Marcus testatur*: Ungebant oleo multos ægros, & sanabant. *Idemque nobis facere præceperunt: ait enim B. Jacobus Apostolus*: infirmatur quis in vobis? &c. *Nec enim credibile est, paria jussuros Apostolos, nisi in mandatis a Domino habuissent, qui eos ad prædicandum mittens*: Euntes, *inquit*, prædicatæ Evangelium omni creaturæ: docete omnes gentes, servare omnia quæcunque mandavi vobis: quod dixi vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure audistis, prædicate super tecta. *Unde manifesto sequitur, nihil quidquam Apostolos præter præcepta Domini*

mini intimasse; nihil a se ipsis dixisse, quod pro humana institutione haberi possit; sed illud tantum quod ab ipso Deo & Salvatore nostro Jesu Christo, eique consubstantiali Sp. Sancto acceperant.

Itaque omni auctoritatis præsidio caret opinio asserens, extremam unctionem a Christo mediate tantum institutam.

PROBATIO TERTIA.

Ex Concilio Tridentino.

Id quod omnino Concilii Trid. decreta confirmant: ibi enim

1. Omnia & singula legis Evangelicæ Sacramenta pari ratione Christo auctori attribuuntur. *Si quis dixerit*, inquit, (*Sess. 7, can. 1, de Sac. in gen.*) *Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta.... videlicet baptismum, confirmationem, Eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium..... anathema sit*. Nulla hic mediatæ & immediatæ institutionis distinctio; quod itaque de baptismo, Eucharistia, & cæteris creditur, ex ipso Christi ore prodiisse, utique de extrema unctione est sentiendum.

2. Affirmat S. Synodus, extremam unctionem, Marci c. 6 fuisse insinuatam, idest, sub figura olei, quo jussi sunt Apostoli ungere infirmos, promissam ac præformatam: *instituta est*, inquit, (*Sess. 14, cap. 1, de Extrem. Unct.*) *Sacra hæc unctio infirmorum, tamquam vere & proprie Sacramentum novi Testamenti, a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, &c.* Inde sic argumentor.

Ab eodem fuit extrema unctio instituta, a quo est insinuata, sive promissa, ac figurata: stare namque promissis, ad promissorem, neque ad alterum spectat, nec potest alius figuræ substituere veritatem, nisi qui figuram præmisit: alioquin enim majus aliquid præstaret qui veritatem daret, quam qui figuram, atqui ex mente Concilii Trid. extrema unctio apud Marcum, a Christo, non ab Apostolis est insinuata; quod enim ad infirmos sanandos usi sint olei unctione, non propria electione, sed auctoritate Christi mittentis fecerunt: *vocavit duodecim*, ait S. Evangelista (*Mar. 6, 7, & seqq.*) *cœpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem Spirituum immundorum .... & exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent: & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros & sanabant*: ut igitur ostenderet Christus, se id quod promiserat potentem esse & facere, extremam unctionem ipse per se immediate instituere debuit.

3. Alterum ibidem ejusdem veritatis est argumentum; *instituta est*, inquit, *Sacra hæc unctio infirmorum, tamquam vere & proprie Sacramentum Novi Testamenti, a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum*. Idemque inferius sub interminatione anathematis statuens, *si quis dixerit*, inquit, (*de Extr. Unct. can. 1*) *extremam Unctionem non esse vere & proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, & a B. Jacobo Apostolo promulgatum ... anathema sit*. Hic vides institutionem extremæ unctionis soli Christo vindicari; & Apostolo nihil quidquam præter præconis officium tribui. Ergo censuit S. Synodus extremam unctionem a Jacobo nulla ratione sancitam: legis enim lationem non potest sibi arrogare, qui ejus tantum est, & vere dicitur proclamator.

4. Si Christus hanc auctoritatem Apostolis contulisset, ut Sacramentum aliquod pro infirmis, ipsi per se & immediate statuerent; nihil obstaret quominus ejus institutores appellarentur: nunquid enim immodica jactatio est, si alicui id quod revera habet tribuitur? Quod ut demonstretur exemplo sacrarum cæremoniarum, quæ Sacramentis ad majorem splendorem adjunctæ sunt, vere Ecclesia est, & dicitur institutrix, etsi eas non propria, sed accepta a Christo potestate disposuerit; atqui Concilium Trid. cæremonias inter & extremam unctionem maximum hoc discrimen ponit, ut illas quidem ab Ecclesia institutas, istam vero a solo Christo sancitam affirmet: *cum natura hominum*, inquit, (*de sacr. Miss. sess. 22, c. 5*) *ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam summissa voce, alia vero elatiore, in missa pronunciarentur, instituit*: e contra vero extremam unctionem, ut monstratum est, promulgatam quidem ab Apostolo, sed a solo Christo institutam definit: ergo &c.

OSTENDITUR SECUNDO.

Hugonis & sequacium ejus opinionem non esse ab Ecclesia expresse damnatam: quamquam sine temeritate & fidei violatæ suspicione, defendi modo non posset.

Quæ etsi contra opinionem *Hugonis* validissima, penèque ineluctabilia videantur; non ausim

ausim tamen asserere, expresse & formaliter, ut in schola loquimur, fuisse proscriptam: obstat enim Concilii Trid. historia, ex qua compertum est, ea tantum causa patres in Synodum convenisse, ut novas Lutheranorum, Calvinistarum, & similium pestium hæreses profligarent; non ut de scholasticorum placitis, quantumvis falsis aut dubiis, judicium ferrent: qua de re sæpius a legatis Pontificiis in publicis ac privatis congressibus monitos constat: cujus moderationis causa fuit, veterum scholæ procerum reverentia, quorum, etiam errantium, causam longe ab hæreticorum obstinata pugnacitate esse diversam, patres bene intellexerunt: illi enim suas opiniones ita jactabat, ut Ecclesiæ judicio modeste subjicerent; non enim in animo habebant, antiquis dogmatibus contrarie: isti ex adverso contra matrem Ecclesiam procaciter dimicabant, nec quidquam magis moliebantur, quam ut ædificium Christi sublatis ejus fundamentis diruerent; illi etsi extremam unctionem negarent a Christo immediate sancitam; eo tamen permittente, & non permittente tantum, verum etiam jubente institutam ab Apostolis affirmabant: unde consequens erat, ut dicerent juris esse divini, & effectus spiritualis virtute cælitus infusa operatricem: isti haud aliter quam pro figmento humano, & diabolica superstitione, majorum decreta spernendo, habendam mordicus contendebant: haud æquum itaque erat, utrosque, in causa tam dispari, eadem censura vexari: indeque est, quod uti advertunt Concilii Trid. historici, Patres affirmando Christum extremæ unctionis esse auctorem, ab immediatæ aut mediatæ institutionis voce prudenter abstinuerunt; ne videlicet *Hugoni* a S. Victore, *Magistro sent. Alex. Halensi*, & *S. Bonaventura* hæreseon notam viderentur inurere.

Cavendum itaque ne præscriptos a S. Synodo moderationis limites prætergressi, hos tam præclari nominis viros, & præstantissimos scholæ coriphæos, tamquam desertores fidei traducamus: æmulanda magis doctoris Angelici lenitas ac modestia, qui cum sibi magistri auctoritatem objecisset, his verbis: *Magister expresse dicit, quod hoc Sacramentum est institutum ab Apostolis: ergo ipse Christus per se non instituit:* textum ejus quam fieri potuit mitius intellexit, & ad communem Ecclesiæ sensum reduxit: *ad* 2, inquit, *dicendum, quod magister dicit ab Apostolis institutum, quia per doctrinam Apostolorum nobis promulgata est ejus institutio.*

At non minus sedulo cavendum, ne sub tantorum nominum umbra, opinionem quam constat doctrinæ majorum, & Trid. Synodi menti esse contrariam, denuo excitemus: venia sane *Hugoni* & cæteris dignum fuerit, quod in quæstione nondum plene discussa, & nascentis scholæ subtilitatibus obscurata, paululum a veritatis tramite deviarint; sed postquam occasione Lutheranæ hæresis, quidquid obscuritatis habebat depulsum est, & omnium Sacramentorum institutio, Christo sine discrimine vindicata; erroris ac temeritatis notam non effugeret, qui sacram unctionem non a Christo immediate, sed ab Apostolis institutam pugnaciter disputaret: hinc a Trid. Concilii temporibus, omnes nemine excepto Theologi, Christo ejus institutionem, promulgationem Apostolis, nec quidquam amplius, uno ore, unoque sensu tribuendam docuerunt.

§. SECUNDUS.

Quo tempore fuerit extrema unctio instituta.

Minoris momenti est quæstio ista: hoc enim ipso quod constat, Christum hujus Sacramenti esse auctorem, parvi sane interest, quo tempore fuerit institutum operosius indagare: eoque minus, quod nullo scripturæ aut traditionis certo testimonio juvari in hac inquisitione possimus: itaque meris conjecturis acta controversia est, quas varii varie consectando, in duas opiniones contrarias abierunt.

1 Eorum fuit, qui hoc ipso tempore latam extremæ unctionis legem dixerunt, quo Christus, ut in Marco legitur, misit discipulos binos, ut dæmonia abigerent, & infirmos ungendo sanarent; eamque non Græci tantum de quibus prædiximus, sed nostrorum plerique secuti sunt: *dicit Apostolus Jacobus, infirmatur quis in vobis?* &c. inquit Ven. Beda, in hæc verba S. Evangelistæ Marci: (& exeuntes . . . . ungebant oleo multos ægros, & sanabant:) *unde patet ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti, ungantur oleo, pontificali benedictione consecrato* . . . . ejusdemque sententiæ *Jonas Aurelianensis*, ab ipsa discipulorum prædicatione quam Marcus memorat, extremæ unctionis institutionem repetit: *quod unctio sanctificati olei sit expetenda*, inquit, (*lib.* 3 *de instit. laicali c.* 14) *Marcus Evangelista indicat:* & *exeuntes* &c.

2 Eorum est, qui non ante resurrectionem Domini hoc Sacramentum institutum affirmant: cum quibus

OSTEN-

OSTENDITUR,

Opinionem contrariam parum probabilitatis habere.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex Concilio Tridentino.

Et quidem, si bene advertimus, vix dubitabimus, a Concilio Trid. hanc opinionem esse rejectam: tria enim S. Synodus distinguit, unctionis præmonstrationem, institutionem, & promulgationem: præmonstrationem sive figurationem ejus aliquam, eo tempore dicit delineatam, quo Apostoli, ut Marcus narrat, jubente Domino exierunt ad prædicandum: institutionem Christo, promulgationem Apostolis tribuit: *instituta est sacra hæc unctio infirmorum*, inquit, (*sess.* 14, *c.* 1) *tamquam vere & proprie Sacramentum Novi Testamenti a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fideliter commendatum ac promulgatum.* Jam sic colligo argumentum: non intelligunt patres extremam unctionem hoc tempore institutam, quo dicunt *insinuatam*: insinuare enim non est legem condentis, sed promittentis, & rudi velut penicillo in posterum condendam, præfigurantis; quomodo vere dicitur, Sacramentum Eucharistiæ hoc tempore a Christo insinuatum, quo, ex paucis panibus, plura hominum millia satiavit; atqui ex patribus Trid. extrema unctio, quando Christus Marci 6 discipulos binos ante se misit, est tantum insinuata: ergo, &c.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex eo quod in unctionem quam Marcus memorat, ratio Sacramenti non quadret.

Unctio enim quam dicimus Sacramentum, ejus naturæ esse debet, ut gratiam sanctificantem velut primarium effectum producat; ut non nisi baptizatis, & non nisi a Presbyteris, in complementum pœnitentiæ detur; atqui nulla harum conditionum unctioni conveniebat, cujus in Evangelio Marci mentio est.

1. Spiritualem gratiæ effectum non producebat: *ungebant*, inquit S. Evangelista, *oleo multos ægros, & sanabant*: nec quidquam ulterius adjicit: quis porro inducat in animum, scriptorem sacrum tam fuisse indiligentem, ut de effectu secundario diceret, & de principali prorsus taceret?

2. Unde adversarii habent, eos omnes fuisse baptismo ante ablutos, ad quos ungendos Apostoli missi sunt? Cum e contrario, si quid sapimus, ideo a Christo fuerint delegati, ut Judæos ad fidem & pœnitentiam, atque adeo ad baptismum, miraculis divina virtute patratis, disponerent: erat enim prædicatio pœnitentiæ, præparatio ad baptismum, ut ex Petri verbis compertum est: *pœnitentiam*, inquit, (*Act.* 2, 38) *agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum*: ergo affirmari non potest, iis quos unxerunt Apostoli, Sacramentum verum, de quo nunc agimus, fuisse collatum, nisi velimus aliquod Sacramentum in nova lege prius fuisse baptismo, adeoque tempus aliquod fuisse, quo Sacramentorum janua baptismus non fuerit.

3. Dogma fidei est, ut statim erit probandum, extremam unctionem non posse administrari, nisi a sacerdotibus: atqui quo tempore Apostoli ad ungendos infirmos apud Marcum missi narrantur, nondum erant sacerdotes; ad hunc enim gradum honoris, ut ex scriptura & traditione certum est, non ante evecti sunt, quam Christus in ultima cœna novum sacrificium institueret: tunc enim dictum ad illos est: *hoc facite in meam commemorationem: Deus & Dominus noster*, inquit Concilium Trid. (*sess.* 22, *c.* 1, *de sacrif. Missæ*) *sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, ergo &c.*

Haud me equidem fugit, diverticula quærere adversarios, qui se ab hac difficultate expediant: potuit, *inquit*, Christus Apostolos, quantum ad hoc præcise ungendi munus, ante institutionem Eucharistiæ, presbyteros constituere: quid vero hæc contra nos conjectura facit? non enim hic quid potuerit, quem scimus esse omnipotentem, sed quid egerit, quærimus: alioquin enim si conjecturas sectamur, dicere pariter poterimus, ut ab iis qui nondum sacerdotes essent, ita volente Christo, extremam unctionem esse collatam, neque hoc presbyteris assignatum officium, antequam Jacobus jussu Domini doceret: *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ &c.*

4. Credibile non est, id quod est consummativum Sacramenti pœnitentiæ, prius fuisse ipsa pœnitentia institutum: quis enim hoc unquam audivit, appendicem re ipsa cui adjicitur esse priorem? atqui Sacramentum pœnitentiæ non nisi post Christi resurrectionem est insti-

institutum: *Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue Dominus instituit*, ajunt Trid. Patres, (*sess.* 14, *cap.* 1, *de pæn.*) *cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: accipite Sp. Sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*: &c. idem ergo a fortiori de extrema unctione putandum, quæ *consummativum pœnitentiæ*, ut eadem Synodus loquitur, (*sess.* 14, *in doct. de extr. unct.*) *patribus est existimata*.

Quæ cum ita sint, fatendum eos sentire probabilius, qui extremæ unctionis institutionem ad hos dies differunt, quibus Christus discipulis frequenter post resurrectionem apparuit, & de Regno Dei locutus est: cum enim Regnum Dei Ecclesia sit, cujus præcipua fundamenta, Sacramenta sunt: non est dubium, quin ea Christus in his divinis colloquiis, antequam ad Patrem reverteretur, posuerit.

CAPUT SECUNDUM.

De extremæ unctionis ministro.

De quo quidem quæritur, 1 an presbyterum esse oporteat? 2 an unus sufficiat, aut plures necessario requirantur?

§. PRIMUS.

Utrum extremæ unctionis minister, sacerdos necessario esse debeat?

Incertum est mihi, inquit Lutherus (*lib. de Captivit. Babyl.*) *an sacerdotes velit* (*Jacobus*) *intelligi, cum dicat presbyteros, id est seniores* .... Calvinus vero: *Jacobus*, inquit, (*lib.* 4 *inst. c.* 19) *vult infirmum ungi a senioribus Ecclesiæ: isti unctionem non admittunt, nisi sacrificorum*.

Contra illos

OSTENDITUR.

Ministrum extremæ unctionis non alium esse posse quam Sacerdotem.

Fidei dogma hoc est, nec sine crimine hæreseos violabile: *quod attinet*, ait Concilium Trid. (*sess.* 14, *cap.* 3, *de extr. unct.*) *ad præscriptionem eorum qui & suscipere & ministrare hoc Sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis prædictis* (*Jacobi*) *traditum: nam & ostenditur illic, proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiæ Presbyteros: quo nomine eo loco, non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati, per impositionem manuum presbyterii* .... *si quis dixerit*, (*ib. de ext. unct. can.* 4) *presbyteros Ecclesiæ, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium extremæ unctionis ministrum, non esse solum sacerdotem: anathema sit*.

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

Nec sane aliter posse verba Jacobi intelligi, manifesto contextus ipse declarat: *infirmatur quis in vobis?* inquit: *inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei*: non enim hic dicuntur simpliciter presbyteri advocandi, sed *Presbyteri Ecclesiæ*, ministrum ad ejus regimen, & curam fidelium specialiter consecrati; nec ad rem indifferentem accersendi præcipiuntur, quam debeat indiscriminatim quilibet ætate provectior usurpare; sed ad ministerium sacrum, quodque ad publicas spectet Ecclesiæ functiones: *orent*, inquit, *super eum ungentes eum oleo in nomine Domini*: nec denique pro nuda ac simplici cæremonia officium illud haberi potest, divinum quippe est Sacramentum, sive, res sensibus subjecta, ex divina institutione sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habens: *oratio fidei*, inquit, *salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei*: quamquam igitur id quod res est non negemus, vocem græcam seniorem ætate plerumque significare; non is tamen potest in præsenti hujus vocabuli sensus esse ubi de re sacra & publico Ecclesiæ ministerio agitur, cujus exercitium non ab annorum numero, sed a vocatione & consecratione dependet: alioquin enim foret dicendum, eos qui Apostolicis ipsis temporibus, juvenili adhuc ætate, ad Episcopatum & sacerdotium vocabantur, ab administratione unctionis, Jacobi sententia fuisse exclusos: quos quid absurdius fingi potest? sic, ut exemplo utamur, Timotheus Pauli discipulus, haud dubie sacerdos & Episcopus erat, ut ex his Apostoli verbis constat: (1 *Timot.* 4, 1) *noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*; atqui juvenis tamen Timotheus erat, ut ex ejusdem Apostoli verbis constat: *nemo*, inquit, (*ib.* 4, *v.* 12) *adolescen-*

lescentiam tuam contemnat: ergo ne ideo putabimus, indignum fuisse Timotheum cui officium infirmos ungendi committeretur? poterat scilicet Episcopos & sacerdotes consecrare, quod ejusdem Apostoli ad ipsum directa verba significant: (*ib. c.* 5, *v.* 22) *manus cito nemini imposueris*: &, si Luthero & Calvino credimus, quia ætate junior erat, non poterat ad infirmos adduci, ut oratione ejus ac unctione alleviarentur & salvarentur.

PROBATIO SECUNDA.

Ex præscriptione & perpetua Ecclesiæ disciplina.

Sed etsi in verbis Apostoli difficultas aliqua vel æquivocatio esset, auctoritate præscriptionis & disciplinæ veteris, quæ ubique obtinuit, continuo evanesceret; nisi putamus, ubi de scripturarum legitimo sensu tractatur, magis Ecclesiæ hostibus, quam Ecclesiæ ipsi esse credendum: ubinam vero gentium, aut quando Ecclesia de ætate senioribus Jacobi sententiam intellexit? legant Lutherani & Calvinistæ, quidquid uspiam est Euchologiorum ac Ritualium: &, si vel in unum incidant, ubi officium ungendi infirmos, non dignitatis sacerdotalis onus, sed ætatis provectioris honor ac præmium sit; tum vero accusent, per nos licet, Ecclesiam novitatis: Sacramentarium Gregorii Magni, non aliis quam sacerdotibus, munus ungendi, & infirmis bene precandi imponit: Græcorum & Orientalium Euchologia, a septem sacerdotibus ungendi officium peragendum, ut constat ex prædictis quæstione prima, magisque infra constabit, præscribunt: nulla de hac re usquam in Ecclesia excitata dissensio, nulla populorum querela aut lamentatio fuit, nemini unquam qui non esset sacerdotio inauguratus in mentem venit, sub prætextu senectutis functionem hanc usurpare: persuasum quippe omnibus erat, unctione infirmorum, non secus ac cætera Sacramenta, administrationem divinam esse Christi sacerdotibus reservatam: in tanto numero hæresum & schismatum, quibus vexata Ecclesia est, nemo ante sæculum decimum sextum occurret, qui similem Ecclesiæ litem moverit, cujusve exemplo, Lutheri & Calvini possit petulantia aliquantisper defendi: ergo in hac parte, ut in cæteris, novi sectarii præscriptione vincuntur, contra quam ne hiscere quidem possunt: quod enim universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.

PROBATIO TERTIA.

Ex sententiis Sanctorum Patrum.

Jam si doctorum veterum de hac re doctrina quæratur, in eorum facile scriptis reperietur, qui de extrema unctione vel obtiter, vel ex professo dixerunt, quorum magnam partem, qu. 1, c. 1, attulimus.

Sic enim *Origenes* inter exercitia pœnitentiæ, quæ sane non laicorum hominum, sed sacerdotum ductu atque arbitrio est agenda, ipsam quam Jacobus Apostolus præscripsit unctionem commemorat; *in quo*, inquit, (*hom. in Levit.*) *impletur & illud quod Apostolus dicit: si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini*.

Pariter *S. Chrysostomus*, eodem Jacobi testimonio ministerium clavium sacerdotibus vindicat: *non solum*, ait, (*lib.* 3 *de Sacerd.*) *cum nos regenerant sacerdotes, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent: infirmatur*, inquit Apostolus, *inter vos aliquis? accersat presbyteros*.

Theodorus Cantuariensis, „ ab infirmis in „ periculo mortis positis, *inquit*, (*in lib. Pœnitent.*) pura est inquirenda confessio peccatorum . . . secundum auctoritatem canonicam, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus, consolationibus Ecclesiasticis, sacra unctione olei inuncti, secundum statuta sanctorum patrum communione viatici reficiantur . . . . . . " eadem Conciliorum Aquisgranensis, & Moguntini præscriptio est: iisdem itaque unctionis, quibus confessionis & viatici ministerium convenire patres intelligebant.

Ab aliis testimoniis referendis, ne actum agam, & lectori tædium afferam, supersedeo: relegat qui volet probationes quæstione prima capite primo, ex antiqua auctoritate petitas: in hoc ergo capite, ut in cæteris, a fidei & Ecclesiæ doctrina Lutherani & Calvinistæ turpissime recesserunt.

Diluuntur quædam difficultates.

Opponunt auctoritatem *Innocenti I* Pontificis Max. in Ep. ad *Decentium* superius laudata: *non est dubium*, inquit, *verba Jacobi de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui Sancto Oleo chrismatis perungi possunt; quo ab Episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed omnibus christianis uti licet, in sua aut suorum necessitate inungendo*: inde sic petitur argumentum:

Sacer-

Sacerdos solus non est extremæ unctioois minister, si possit indiscriminatim a fideli quolibet ministrari; atqui *Innocentius I* declarat extremam unctionem posse a quovis fideli, etiam laico indifferenter administrari: *Sancto oleo Chrismatis*, ait . . . *non solum sacerdotibus, sed omnibus Christianis uti licet, in sua aut suorum necessitate inungendo*: *ergo* &c.

℟. Admitto auctoritatem: ad probat. omissis variis Theologorum responsionibus, qui inaniter, ut quidem videtur, in hujus loci explicatione torquentur, concessa maj. n. min. hæc enim Pontificis verba, non activa, sed passiva significatione accipi debent; ita ut sensus sit, posse omnes indiscriminatim fideles oleo sacro ab Episcopis confecto, in necessitate inungi, non vero posse omnes inungere: responsionis veritatem confirmant, quæ statim sequuntur: *cæterum*, inquit, *illud superflue videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est*: *nam idcirco de presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt*: quorsum enim adeo sollicite Episcopis, ungendi infirmos auctoritatem assereret, si quæ de universis fidelibus præmiserat, non de passiva, sed activa unctione voluisset intelligi? ut quid ad probandum posse Episcopos ungere, a solis sacerdotibus peteret argumentum, non vero a laicis, quod dixisset extremæ unctionis esse ministros? longe enim efficacior ratiocinatio futura erat, si his verbis concepta foret: *cæterum illud superflue videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod presbyteris, & non presbyteris modo, sed & ipsis laicis licere non dubium est*. Itaque Innocentii sententia est, posse omnes promiscue in necessitate inungi, non vero posse omnes inungere.

Hæcque ad ejus testimonium exponendum plus satis responsio est, nec diutius in unius voculæ æquivoco inutiliter laborandum: quod e nostris ii faciunt, qui fatendo *Innocentium* in sensu activo loqui, negare ex consequenti coguntur verba ejus de unctione Sacramentali debere intelligi, qua inficiatione tum eripiunt sibi & Ecclesiæ Catholicæ præclarissimum quod ex tota retro antiquitate contra hæreticos habemus, hujus Sacramenti testimonium: tum *Innocentii* textui vim faciunt manifestam: eum enim de sola Sacramentali unctione loqui, verba ejus legenti compertissimum erit: „ non „ est dubium, *inquit*, (*Ep. ad Decent. c. 8*) „ verba Jacobi, de fidelibus ægrotantibus ac- „ cipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo „ chrismatis perungi possunt: quo ab Episco- „ po confecto, non solum sacerdotibus, sed „ omnibus uti christianis licet, in sua aut „ suorum necessitate inungendo: cæterum il- „ lud superflue videmus adjectum, ut de Epi- „ scopo ambigatur; quod presbyteris licere „ non dubium est: nam idcirco de presbyte- „ ris dictum est, quia Episcopi aliis occupa- „ tionibus impediti, ad omnes languidos ire „ non possunt: cæterum si Episcopus aut „ potest, aut dignum ducit, aliquem a se visi- „ tandum, & benedicere & tangere chrisma- „ te, sine cunctatione potest, cujus est ipsum „ chrisma conficere: pœnitentibus istud in- „ fundi non potest, quia genus est Sacramen- „ ti: nam quibus reliqua Sacramenta negan- „ tur, quomodo unum genus putatur posse „ concedi?" ita Innocentius: ecquid porro in toto illo cootextu est, quod possit unctioni non Sacramentali aptari? (1)

Inst. 1. *Ven. Beda* hæc verba interpretans, *inducat presbyteros Ecclesiæ*: „ infirmi, *in-* „ *quit*, (*comment. in c. 5 Jacobi*) moneri de- „ bent, ut seniorum adjutorio curari se me- „ minerint, neque ad juniores minusque do- „ ctos causam suæ imbecillitatis referant..." sentit ergo, nomine presbyterorum non sacerdotes, sed ætate maturiores debere intelligi.

℟. Admitto auctoritatem, & nego conseq. quæ ut vere contra nos torqueretur, deberet hoc loco ætatis senectus cum exclusione sacerdotii iotelligi, quod a mente Ven. Bedæ alienissimum est: quos enim hic juniores appellat, eosdem dignitate ac sacerdotio supponit esse presbyteros: quod ut intelligas, advette presbyteros alios esse officio & consecratione, alios numero & computatiooe anoorum: cum itaque idem qui dignitate, ætate etiam plerumque sit presbyter, merito ille a Beda affirmatur juniori ad sacrum ministerium præferendus: convenientius namque est, ut ætate seniores ad infirmos instruendos, consolandos, & spiritualiter nutriendos vocentur, quia auctoritate, doctrina, & experientia junioribus vulgo præcellunt: cæterum posse omnes indiscriminatim sacerdotes vocari probat ibidem prædictus author, suamque sententiam ex usu Ecclesiæ, & Innocentii I authoritate confirmat: & vero quomodo sæpe contingit, ut

(1) *Hanc textus Innocentii expositionem tamquam verosimiliorem ac Sancti Pontificis contextui confermiorem amplectuntur gravissimi viri*, *Maldonatus* in c. 6 Marci, Jansenius *Gandavensis in eumdem locum*, *Bellarminus lib.* 1, *C.* 9. *Baronius* ad an. 63 *n.* 14, *Suarez T.* 4 disp. 467, sect. 1, n. 6, *Petrus Coustant* in notis ad ep. Innocen., *ac præter alios novissime Benedictus XIV* l. 7 de Synod. Diœces. C. 19.

ut e pluribus medicis doctior ille sit, qui fuerit ætate inferior, ita quotidiano usu videmus, moribus, doctrina & sanctitate, provectiores ætate a junioribus presbyteris superari: *senectus enim venerabilis est*, inquit sapiens, (*Sap.* 4, 8 *& seq.*) *non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata*.

Inst. 2. Legitur in historia Ecclesiastica, viros quosdam sanctitate præcipuos, oleum ad infirmos qui se ipsos inungerent, transmisisse, & ex hac unctione secutum effectum, quem Apostolus Jacobus in Ep. sua describit: narratur pariter ab auctoribus in Ecclesia Romana probatis, *S. Genovefam* oleo infirmos linire solitam fuisse: ergo extremam unctionem a quolibet etiam laico, sive viro sive fœmina posse administrari, tum temporis putabatur.

℟. Concesso ant. n. conseq. nam, inquit S. Thomas (*suppl. q.* 31, *art.* 1, *ad* 2) *illæ unctiones non erant Sacramentales, sed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, & ex meritis ungentium, vel oleum mittentium, consequebatur effectus sanitatis corporalis, per gratiam sanitatum, non autem per gratiam Sacramentalem* .... ita præceptor Angelicus: & vero quod olim fiebat, etiam hodie in Oriente & Occidente ubique fit: neminem namque latet Græcos inter & Latinos, sive ex sacræ lampadis oleo, seu ex alio in honorem alicujus Sancti benedicto, varias fieri unctiones, quarum sibi laici ipsi ministri sunt: quemadmodum itaque inde non sequitur, unctionem, quæ pro Sacramento habetur, a laicis ministrari, ita nec simile quidquam ex antiquo more inferri potest.

Inst. 3. Saltem diaconi possunt hujus Sacramenti esse ministri: quibus enim dispensatio baptismi committitur, nulla causa est cur extremæ unctionis negetur; eoque minus quod baptisma sit excellentius unctione; atqui diaconis posse committi misterium baptizandi, tum ex actibus Apostolorum, tum ex Ecclesiæ historia notum est: ergo &c.

R. Nego ant. ad probat. n. maj. nec enim quidquam Ecclesiæ licet, præterquam a Christo supremo legislatore præscriptum est; atqui a solis presbyteris voluit Christus Sacramentaliter infirmos inungi: *infirmatur quis in vobis?* ait Jacobus ejus præceptum promulgans, *inducat presbyteros Ecclesiæ*: stultum itaque est, contra voluntatem Domini disputare, quæ sola ad hujusmodi cavillos retundendos opponi debet, nec alia causa quærenda, cur unius Sacramenti confectionem diaconis committi voluerit, aliorum noluerit: quamquam nec deest hujus discriminis ratio conveniens: *dicendum*, inquit S. Thomas (*suppl. quæst.* 32, *art.* 2, *ad* 2), *quod hoc Sacramentum non est necessitatis Sacramentum, sicut baptismus: unde non ita committitur dispensatio ejus omnibus in articulo necessitatis, sed solum illis quibus ex officio competit: diaconis autem etiam baptizare non competit ex officio*.

§. SECUNDUS.

Utrum ad extremæ unctionis ministerium sacerdos unus sufficiat, aut plures necessario requirantur.

Quod ad hujus Sacramenti ministerium unus, pluresve sacerdotes vocentur, meræ disciplinæ res est, quæ ut sæpius observavimus, potest fide eadem manente, & salva substantia Sacramenti, esse diversa: quod ut palam lectoribus fiat:

OSTENDITUR

Et ab uno tantum, & a pluribus Sacerdotibus valide extremam unctionem conferri posse.

Hoc autem priusquam adstruimus, juvat contra sentientium erronea placita recensere.

1. Observandum *VValdenses* olim Latinam Ecclesiam accusasse, eo quod non ab uno, ut cætera Sacramenta, sed a multis una coactis Presbyteris infirmorum unctio fieret. „ Sacramentum extremæ unctionis, *ait Raynerus eorum opiniones recensens*, (*in lib. de VValdensibus*) dicunt esse ultimam superbiam... „ & hoc facit pluralitas sacerdotum .... Sacramentum unctionis reprobant, quia tantum divitibus datur, propter plures sacerdotes ibi necessarios. “

2. Quis non rideat *Lutheranorum & Calvinistarum* scrupulosam sollicitudinem, inde quidem præfracte negantium unctionem, naturam veri Sacramenti habere; illinc vero Romanam Ecclesiam vellicantium, propterea quod more hodierno, non plures sacerdotes, sed unus vocetur, qui oret super infirmum & ungat? *neque hoc servant isti* (Catholici,) (inquit Lutherus) (*in lib. de Captiv. Babyl.*) *quod Apostolus jubet, presbyteros Ecclesiæ induci, & super infirmum orari: vix unus sacerdotulus mittitur; cum Apostolus velit multos adesse, non propter unctionem, sed propter orationem. Quamquam incertum est mihi, an sacerdotes velit intelligi, cum dicat Presbyteros, id est, seniores* .... Calvinus vero: *Jacobus vult*, inquit, (*instit. lib.* 4, *c.* 19) *infirmum ungi a senioribus Ecclesiæ: isti unctionem non admittunt*,

tunt, nisi sacrificorum .... quod apud Jacobum Presbyteros interpretantur sacerdotes, & pluralem numerum ad decorem positum nugantur, nimis frivolum est: quasi vero Ecclesiæ eo tempore sacrificorum examinibus abundarint; ut in longa pompa procedere potuerint, ad ferendum sacri olei ferculum.

3. *Simeon Thessalonicensis*, Græcorum mediæ ætatis non infimus, in ea fuit opinione, sine plurium sacerdotum concursu constare hoc Sacramentum non posse. *Non est*, inquit, (*in tract. de Sacr.*) *curiosius inquirendum de numero Sacerdotum, quando neque numerus scriptus est: nisi quod quamvis non sit scriptus, necessarium tamen est, antiquam observare traditionem: sint quidem septem, ut veteris moris est. Si vero necessitas fuerit, tres sint ad minus, eaque omnia recitent, quæcumque per traditionem, dicenda esse acceperunt: quoniam quæ a Patribus sunt, ea quoque spiritus esse fatendum est.*

PROBATIO I PARTIS.

Jam ad rem venio.

Et 1. Quidem ab uno tantum sacerdote valide unctionis Sacramentum confici, testis idoneus est *Innocentius* I in Ep. ad Decentium sæpe laudata: *cæterum*, inquit, *si Episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem a se visitandum & benedicere, & tangere Chrismate, sine cunctatione potest, cujus est ipsum Chrisma conficere*: Episcopus in unaquaque Ecclesia unus est. Cum ergo ab eo solo, judice *Innocentio*, (nec enim ullum ei sacri operis collegam adjungit) possit extrema unctio fieri, consequens est ad illam unius ministerium sacerdotis sufficere.

Deinde certum est ex antiquis monumentis hoc Sacramentum ab uno solum sacerdote sæpe collatum: sic enim in vita *S. Augendi*, qui 6 sæculo floruit, legitur: *vocato uno ad se de fratribus, cui, cum libertate peculiari, olim perungendi infirmos onus injunxerat, secretissimo quoque sibi pectusculum petiit, ut moris est, inungi ....* Beatam Mauram a solo Prudentio Tricassino inunctam, testatur ipse in ejus vita ... collectio Canonum e Sanctis Patribus, 8 sæculo, excerptorum, unius tantum sacerdotis ad hoc ministerium meminit: *secundum definitiones SS. Patrum*, inquit (*Excerptione* 21) *si quis infirmatur, a sacerdote, oleo sanctificato, cum orationibus diligenter ungatur ....* unius pariter mentio est in canonibus ad *VVulfinum* Episcopum, ab *Affrico* collectis: *habebit etiam Presbyter*, inquit, *consecratum oleum duplex: hoc infantibus, id ægrotis præparatum: & ægrotos semper unget jacentes ...* hoc ipsum, *Aquisgranense* concilium 9 sæculo habitum, non obscure insinuat: *si quis*, inquit, (*Can.* 5) *infirmitate depressus fuerit, ne confessione, atque oratione sacerdotali, necnon unctione sacrati olei, per ejus* (Presbyteri) *negligentiam careat: denique si finem urgentem perspexerit, commendet animam Christianam Domino Deo suo, more sacerdotali, cum acceptione sacræ communionis ....* idem innuunt decreta pro ordine S. Benedicti a Lanfra .co Cantuariensi, sæculo 11 digesta: *si infirmatus*, inquit, (*Can.* 24) *magis ad mortem, quam ad salutem tendere videatur, & se petat inungi &c. .... interim dicantur aliæ collectæ usque ad unctionem: facta unctione lavet Sacerdos manus .... quo facto vadat sacerdos .... quibus revertentibus, flexis genibus adorent omnes Corpus Domini, quod a sacerdote affertur.*

Præterea. Hoc ipsum Alexander III Pontifex Max. expresse definivit: *sacerdos*, inquit, (*de verborum significatione: cap. quæsivit*) *uno præsente clerico, & etiam solus potest infirmum ungere*: & merito quidem, *quamquam enim*, ait S. Thomas, (*lib.* 4 *cont. Gen. c.* 73) *congruum sit, hoc Sacramentum a pluribus ministrari; si tamen unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere, in virtute totius Ecclesiæ, cujus minister existit, & cujus personam gerit.*

Denique ejusdem assertionis convincens est argumentum, Latinæ Ecclesiæ disciplina hodierna; per omnes enim eius partes unus sacerdos, ad infirmorum unctionem, ut ex Ritualibus & manualibus libris constat, vocari solet: quem morem non modo Latinorum quisquam, præter hæreticos, sed ne Græci quidem reprehendunt. Simeonis enim Thessalonicensis opinio volentis plures absolute ad sacram functionem sacerdotes esse necessarios, nullos, quod equidem sciam, aut paucos sane habuit sectatores. Ergo extremam unctionem valide ab uno confici posse, res est extra omnem controversiam posita.

PROBATIO II PARTIS.

Quod vero a multis simul sacerdotibus possit valide consecrari, probant

1. Usus Orientalis & Græcæ Ecclesiæ, in qua olim accersebantur, & etiam num accersuntur septem Sacerdotes, ut ex euchologiis constat. " Septem numero Presbyteros Græcorum Ecclesia exigit, *inquit Arcudius*, (*lib.* 5, *cap.* 3) sive propter septem peccata mortalia, sive quia septenarius numerus in Scriptura valde commendatur, & non caret mysterio, Jubilæum enim complectitur; sive ,, pro-

" propter septem corporis partes quas ungunt.... " septem sacerdotes esse vocandos, *ait Simeon* " *Thessalonicensis*, (*in lib. cap.* 3) consuetu- " dine traditum est. Quod fieri arbitror pro- " pter septem dona spiritus, quæ apud Isaiam " enumerantur: vel propter illos septem anti- " quæ legis sacerdotes, qui divino jussu cir- " cumeuntes urbem Jericho, septies tubis ce- " cinerunt, atque mœnia diruerunt: (Jos. 6, " 4, & seqq.) ut etiam hic septem sacerdo- " tes urbem, duraque mœnia altitudinum pec- " cati demoliantur: vel etiam tamquam mor- " tua existente anima, ut supra puerum illius " Sunamitidis ad imitationem Prophetæ, se- " pties orent sacerdotes, & eam suscitent, " prout sane excitavit puerum Elizeus septies " reversus, septies item precatus: (4 Reg. 4, " 35) vel quemadmodum Elias septies orans, " cœlum quod peccantibus clauserat, rursus " aperuit, atque deduxit pluviam: (3 Reg. " 18, 44, & seq.) sic istis septies depreca- " ti, solvunt quidem squallorem peccati, ac- " cepta vero gratiæ clave, non secus atque " Petrus aperiunt cœlum, atque misericordiam " remissionis a Deo, velut imbrem dedu- " cunt".

2. Antiquus Latinæ Ecclesiæ mos: sic enim S. Gregorius M. in Sacramentario: *multi sacerdotes*, inquit, *infirmos perungunt in quinque sensus corporis* ..... Eparchius in vita Caroli Magni: *oleo*, inquit, *sancto inunctus est ab Episcopis* ..... Concilium Ticinense, an. 850 habitum: "illud quoque Sacramentum, " *ait*, (*cap.* 8) quod commendat Jacobus A- " postolus, dicens: *infirmatur quis in vobis* ? " *&c.* solerti prædicatione populis innotescen- " dum est: magnum sane & appetendum my- " sterium .... sed quia frequenter contingit, " ut ægrotus aliquis aut Sacramenti vim ne- " sciat, aut minus periculosam reputans infir- " mitatem, salutem suam operari dissimulet, " aut certe morbi violentia obliviscatur, debet " eum Presbyter congruenter admonere quate- " nus ad hanc spiritualem curam, secundum " propriæ possibilitatis vires, vicinos quoque " Presbyteros invitet ....." quid denique pluribus opus est, cum Waldensium contra Ecclesiam Romanam querela, disciplinam hanc in Occidente viguisse invicte demonstret? extremam enim unctionem, ut ex Raynero observavimus, ultimam superbiam appellabant, propterea quod accitis pluribus sacerdotibus, cum pompa celebraretur. Indeque inferebant, non pauperum, sed divitum esse Sacramentum: nec prætereunda S. Thomæ auctoritas, qua certo conficitur, morem hunc adulto ipso 13 sæculo communiter observatum: ille enim etsi doceat, ab uno tantum sacerdote vere perfici Sacramentum, convenientius tamen esse affirmat, ut a pluribus celebretur: *quia hoc Sacramentum*, inquit, (*lib.* 4 *contr. Gent. cap.* 73) *perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ; ideo competit, quod multi sacerdotes intersint, & quod oratio totius Ecclesiæ effectum hujus Sacramenti coadjuvet.*

¶ Audiendus de hac re Benedictus XIV in toties laudato lib. de Syn. c. 19, ubi sic erudite scribit, & quæstionem resolvit: *Quamquam unus certe sufficiat*, (*ad Sacramentum hocce valide conferendum*) *plures nihilominus sacerdotes fuisse olim in Ecclesia latina adhibitos, ex pluribus antiquis Ritualibus colligit Menardus* Nota 909 ad Sacramentarium S. Gregorii, *quibus alia ejusdem generis, præcipue Cadurcense, Rutenense, & Tutelense addidit Martene* de antiq. Eccles. ritib. l. 1, cap. 7, a. 3, §. 3, *eumdemque morem nobis exhibent Constitutiones Angliæ collectæ a Guillelmo Lingewode, in quibus ad* tit. de extrema unct. pag. 27, *legimus*: cum magna reverentia deferatur oleum infirmorum ad infirmos, & ipso inungant Sacerdotes cum magna devotione, & orationum celebritate, quæ ad hoc sunt ordinatæ: *ubi adnotavit Glossator* V. Orationum, *a singulis sacerdotibus pronunciatam fuisse formam deprecativam cuilibet unctioni accommodatam: cumque eamdem Constitutionem totidem prorsus verbis repetitam inveniamus inter Constitutiones Odonis Episcopi Parisiensis*, (Collect. Hard. t. 6, p. 2, col. 194) *inde conjicimus eam disciplinam in Galliis adhuc perdurasse Sæculo XII, quo ille sunt editæ. Recte tamen observat laudatus Martene ib.* 55, §. 5, *hanc ipsam Ecclesiæ latinæ consuetudinem non fuisse firmam, constantem, atque universalem, cum ex aliis æque antiquis monumentis ab eodem productis constet sæpius infirmos ab unico sacerdote inunctos .... Hic vero ritus Sacræ Unctionis ab unico recipiendæ sacerdote, a paucis tunc, nec fortasse extra casum necessitatis usurpatus, adeo postea in Ecclesia latina invaluit, ut Theologi scolastici cum Suarez* cit. disp. 43, sect. 2, in fin., *& Cardinalis de Laurea* in 4 sent. tom. 3, disp. 11, a. 9, n. 114, *illicitum nunc reputent, seclusa necessitate, ejusmodi Sacramentum a pluribus simul administrari: quoniam nemini integrum est in Sacramentis administrandis a norma recedere in Rituali præscripta. Si autem plures simul sacerdotes reipsa Sacramentum hoc conficiant; nemo ambigit illud esse ratum, modo singuli diversos inungant infirmi sensus, & quilibet congruentem inuncto sensui formam pronunciet, quemadmodum iidem Authores scite animadvertunt. Præterea, etiam spectata hodierna Ec-*

clesiæ

elesiæ disciplina, *nedum licitum*, *sed etiam laudabile est*, *ut uni Sacramentum administranti*, *alii plures assistant sacerdotes*, *ob rationem*, *quam adducit S. Thomas* c. 73, lib. 4, cont. Gentes, *ubi ait*: quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia *gratiæ*, *competit huic Sacramento*, *ut multi sacerdotes intersint.*"

Quæ autem dicimus de extrema unctione per unicum sacerdotem administranda, *locum tantum habent in Ecclesia latina*, *non vero in Græca*, *in qua antiqua retinetur consuetudo septem adhibendi sacerdotes in hujusce Sacramenti collatione*, *uti legitur in eorumdem Euchologiis*, *testanturque Simeon Thessalonicensis apud Saintebeuve* tract. de Sacram. unction. extr. *&* *Arcudius* Concord. lib. 5, c. 3, *qui insuper ejus numeri rationes*, *&* *caussas adducunt*. *Quod si septem sacerdotes præsto non sint*; *tres saltem ad Sacramentum conficiendum ab ipsis adhiberi*, *iidem Areudius*, *&* *Thessalonicensis enarrant*, *neque Ecclesia latina hanc Græcorum disciplinam*, *quam* *&* *ipsa pluribus sæculis religiose servavit*, *unquam improbavit*, *modo Græci nobiscum credant*, *&* *fateantur valide posse idem Sacramentum ab unico Sacerdote administrari*, *quemadmodum adnotarunt Goarius* in Comment. ad Græcorum Euchologium, *Leo Allatius* de consens. Ecclesiæ Occid. & Orient. *l.* 4, *c.* 16, *Arcudius* cit. c. 3, *&* *Auctor Theologiæ* Moralis ad usum Sem. Petroc. t. 4, l. 2, tract. 2, c. 2. *Quamobrem si Episcopus latinus Diœcesi Præpositus*, *quam Catholici græci ritus inhabitant*, *velit aliquid de hac re in sua Synodo delibare*, *vestigia sectetur superius citatæ Synodi Provincialis Ruthenorum habitæ Zamosciæ an.* 1720, *atque a Benedicto* XIII, *an.* 1724, *confirmatæ*, *in qua hæc habentur*: „ Quamquam in Græca Ecclesia receptum fuerit, prout aliquando etiam in latina, ut septem sacerdotes, hisque deficientibus, tres saltem advocarentur ad ministrandum hoc Sacramentum, hique omnes & materiam subministrarent, & formam proferrent: sciant autem Pastores, plures ea de causa adhiberi solitos sacerdotes tum ab reverentiam ejusdem, ac gratiæ copiam, quam confert, tum ut plurium sacerdotum preces effectum Sacramenti coadjuvent. Qua de causa S. Synodus statuendum censet, ut si septem, aut tres sacerdotes haberi commode non possint, unus, qui totius Ecclesiæ personam gerit, & cujus virtute hoc Sacramentum perficit, illud conferat, ac infirmo ministret. " *Poterit etiam Synodo inserere* §. 5, *cit. nostræ Constitutionis* 57, *ubi hæc ad rem ediximus*: „ nec refert utrum eadem extrema unctio per unum, vel plures Presbyteros fiat, ubi viget ejusmodi consuetudo, dummodo credant, & asserant illud Sacramentum, servata debita materia & forma, ab uno Presbytero valide, & licite confici. Idem sacerdos materiam adhibere, formamque pronunciare respective debet, ac præterea qui ungit, idem dicat formam respondentem, nec alius ungat, & alius formam pronunciet. " ¶

Objectio.

Unum quod contra opponatur testimonium Jacobi occurrit: ille enim non unum in singulari, sed plures sacerdotes ad orandum & ungendum dicit esse vocandos. Ergo etiamsi foret verum unctio Sacramentum, inquiunt hæretici, eo ipso a Romana Ecclesia violatum demonstraretur, quod ab uno tantum sacerdote unctio fiat.

R. Dist. ant. Apostolus plures sacerdotes ad ungendum vocandos præscribit, *ex necessitate*, n. *ex convenientia*, subdist. *quæ subjaceat arbitrio Ecclesiæ*, conc. *secus*, n. ant. & conseq.

E. R. Quæ ex Apostolo difficultas obtenditur, Ecclesiasticæ disciplinæ intuitu evanescit: ab uno enim sacerdote per totum late occidentem extrema unctio celebratur. Non hujus nostræ consuetudinis nescii Græci & Orientales: nec tamen nos Sacramenti contaminati accusant: quodque notabilius est, nullo unquam Ecclesiæ, sive Orientalis, sive Occidentalis decreto sancitum, unctionem fore invalidam, quæ non a pluribus simul Presbyteris fieret: intellexit ergo Ecclesia, penes quam interpretandi Scripturas, summa auctoritas est, sacerdotum numerum non divino jure, nec ad Sacramenti essentiam, ex Apostolica auctoritate requiri, sed meræ disciplinæ rem esse, quam etsi convenientem, possit Ecclesia, aliis ducta rationibus immutare: jam quod in Apostoli verbis insistunt: *inducat Presbyteros* &c. puerilis nugacitas est: non enim, ut scite observat S. Aug. sacris Scripturis est insolens, ut quod uni convenit, plurali numero exprimatur; sic enim quod de uno latrone *Lucas dixit*: (*Luc.* 23, 39) *unus de his qui pendebant latronibus*, *blasphemabat eum dicens*: *si tu es Christus*, *salvum fac temetipsum* *&* *nos*: Matthæus & Marcus plurali numero expresserunt: *latrones qui crucifixi erant cum eo*, *improperabant ei*: *qui cum eo crucifixi erant*, *conviciabantur ei*: (*Matt.* 27, 44, *Mar.* 15, 32) Quam apparentem antilogiam concilians S. Doctor, advertit, Matthæum & Marcum breviter hunc locum perstringendo, pluralem numerum pro singulari posuisse. *Sicut*, inquit, (*lib.* 3 *de consensu Evangelist. c.* 16) *&* *in Ep. ad Hebræos legimus pluraliter dictum*: clauserunt ora leonum:

num: *cum solus Daniel significari intelligatur*; *pluraliter dictum*: secti sunt: *cum de solo Esaia tradatur. In psalmis etiam quod dictum est*: astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum: *pluralem numerum pro singulari positum in actibus Apost. exponitur: nam Reges, propter Herodem; Principes, propter Pilatum intellexerunt, qui testimonium ejusdem Psalmi adhibuerunt: sed quia Pagani solent calumniari Evangelio, videant quemadmodum locuti sunt auctores eorum*, Phædras, Medas, & Clytemnestras, *cum singulæ fuerint: quid autem usitatius v. gr. quam ut dicat aliquis*: & rustici mihi insultant: *etiamsi unus insultet? tunc enim esset contrarium quod Lucas de uno manifestavit, si illi (Matthæus & Marcus) dixissent, ambos latrones conviciatos Domino: ita enim non posset sub numero plurali unus intelligi: cum vero dictum est*, Latrones, *vel*, qui cum eo crucifixi erant, *nec additum est*: ambo: *non solum si ambo fecissent, posset hoc dici; sed etiam quia unus hoc fecit, potuit usitato locutionis modo per pluralem numerum singularis significari* .... ita S. Aug. cujus principio insistendo dicimus, Apostolum, quando præscripsit: *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ &c.* nomine Presbyterorum, vel plurium conventum in unum, vel unum e pluribus significare voluisse: eoque est hæc explicatio certior, quod disciplinæ & sensui Ecclesiæ plene consentanea reperitur.

§. TERTIUS.

Solvuntur quædam quæstiones.

Q. 1. Utrum Episcopis, uti & simplicibus sacerdotibus conveniat extremæ unctionis esse ministros?

R. Affirmative. Mirum namque fuerit, si quod possunt in regimine animarum simplices sacerdotes, idem non possent Episcopi, qui, in sua quisque diœcesi, dignitate, jurisdictione, ordinatione, & pleno rerum sacrarum ministerio, primi Presbyteri sunt: *seniores* Græce *πρεσβύτεροι, qui in vobis sunt, obsecro consenior*, Græce, *συμπρεσβύτερος*, ait caput collegii Apostolici S. Petrus, (*Ep.* 1, 5, 1) nec nomen presbyteri, nec officium dedignatus. Si ergo extremæ unctionis minister jure divino est simplex sacerdos, a fortiori debet esse Episcopus: & sane cum infirmorum unctio sit appendix & consummatio pœnitentiæ, ejus conferendæ potestas penes eos omnes est, ad quos pertinet virtute clavium a peccatis absolvere; atqui jus illud ad Episcopos primario spectat, ad quos in persona Apostolorum dictum est: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*: idem ergo de unctione dicendum: hinc *Innocentius I* in Epistola ad Decentium sæpe laudata: *illud*, inquit, *superflue videtur esse adjectum, ut de Episcopo ambigatur quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem a se visitandum, & benedicere & tangere Chrismate sine cunctatione potest, cujus est ipsum Chrisma conficere* .... quod itaque ab *Eugenio IV*, in decreto pro instr. Armenorum, & a Concilio Trid. (*sess.* 14, *de extr. unct. can.* 4) est declaratum, solum sacerdotem hujus Sacramenti esse ministrum, Episcopos necessario includit, nedum ab hoc officio arceat; prout eadem S. Synodus docet, *in doctrina de extrema unct. cap.* 3, affirmans, nomine Presbyterorum de quibus Apostolus loquitur, *non ætate seniores aut primores in populo intelligendos venire, sed aut Episcopos, aut sacerdotes, ab ipsis rite ordinatos, per impositionem manuum Presbyterii.*

Nec exempla desunt: quamquam etsi deessent, ex jure nihilominus res ipsa constaret; sic enim B. *Mauram* ipse per se *Prudentius* Episcopus Tricassinus, ut de se ipso in ejus vita testatur, inunxit: *statim*, inquit, *Prudentius* (*in vita S. Mauræ*) *ad me conversa subjunxit: hoc etiam munus a te peto, Prudenti Pater Episcope, ut in eorum præsentia de manu tua Eucharistiæ, & extremæ unctionis recipiam Sacramenta: quod & factum est*: de Carolo Magno idem ab Eparchio, ut prædiximus, in ejus vita narratur: *oleo sancto*, inquit, *inunctus est ab Episcopis, & Viatico sumpto, & omnibus suis dispositis, commendans Deo Spiritum suum, obiit in pace.*

Q. 2. Utrum a quolibet indifferenter sacerdote liceat extremam unctionem administrari?

℟. Negative. Hujus enim Sacramenti & aliorum ministrandorum facultas ad eos tantum pertinet, qui ordinariam, vel delegatam potestatem habent: „ quis extremæ unctionis „ minister sit, *ait Cateschismus Trid.* (*part.* „ 2, *tit. de extr. unct. n.* 13) ab Apostolo qui „ legem Domini promulgavit, didicimus, in„ quit enim: *inducat Presbyteros* ... sacer„ doti igitur hujus Sacramenti administratio „ commissa est: neque tamen ex Sanctæ Ec„ clesiæ decreto, cuivis sacerdoti, sed pro„ prio Pastori, qui jurisdictionem habeat sive „ alteri, cui ille ejus muneris fungendi pote„ statem fecerit, hoc Sacramentum admini„ strare licet: " parique sensu S. Carolus: (*in Concil.* 5 *Mediol.*) *ne alius sacerdos*, ait, *nisi Parochus, hoc Sacramentum ministret.* Nemi-

Nemine itaque sive sæculari sive regulari, extraneo sacerdoti licitum est, etiam titulo caritatis, hoc officium insciis Pastoribus, non obtenta licentia usurpare. Quod si quis præsumeret, tum mortali peccato conscientiam oneraret, tum ipso facto in sententiam excommunicationis incurreret, ut constat ex *Clementina* 1 de privilegiis: & *Clementina* dudum: tit. *de Sepulturis*.

Q. 3. Quid si casus necessitatis occurrat?

℟. Tum sane ejus administrandæ jus quemlibet sacerdotem habere: cum enim extrema unctio sit pœnitentiæ complementum, idem de illa, ac de pœnitentia debet esse judicium; atqui urgente necessitate quis sacerdos, etiam non approbatus, potest ab omni peccato, etiam specialiter reservato, Sacramentaliter absolvere: quid ni ergo pariter posset ægroto in extremis posito, tumque maxime Sacramentorum subsidio indigenti per extremam unctionem succurrere? hinc S. Carolus modo laudatus, postquam in Synodo V Mediol. præscripsit, non ab alio sacerdote, quam a Parocho debere hoc Sacramentum ministrari: *si porro*, addit, *is aut impeditus*, *aut alias in mora est*, *mortisque periculum instat*, *sacerdos alius administret*.

Nec est, quod *Clementinarum* auctoritas opponatur, sine exceptione vetantium ne a Regularibus extrema unctio conferatur: quamquam enim exceptio expressa non sit, necessario tamen subintelligenda videtur: quod ni concesserimus dicendum erit, *Clementinas* dum jura Pastorum in tuto ponunt ac vindicant maximum fidelibus detrimentum inferre: quæ enim potest major injuria esse, aut gravius damnum, quam si iis in extremo periculo, Christi Sacramenta negentur, ne nimirum Pastorum vel negligentium, vel alio occupatorum jurisdictio violetur? deinde *Clementinas* hanc interpretationem non modo pati, sed & necessario postulare, scopus earum manifesto probat: editæ namque sunt ad reprimendam regularium quorumdam audaciam, qui jura Pastorum nulla urgente necessitate, sibi temerario arrogando, extremam unctionem & cætera Sacramenta, insciis, immo & invitis Parochis, omni oblata occasione, prætextu privilegiorum administrabant; atque ita pacem Ecclesiæ & ordinem perturbabant. Porro nihil tale in præsenti casu occurrit: eorum quippe juribus salvis, qui curam animarum habent, & sartis tectisque manentibus, id quod per absentiam non possunt, movente caritate suppletur, ne videlicet dum nimium Pastoris honoratur auctoritas, aliqua de ovibus ejus pereat, & subsidiis a Summo Pastore Christo provisis, in ultimo agone privetur.

Q. 4. Ita ne debet præsens Latinæ Ecclesiæ disciplina intelligi, ut vetitum sit plures sacerdotes ad unctionem vocare?

R. Negative. Haud ita sane *S. Carolus* disciplinam hodiernam intelligebat, Parochum graviter admonens, (*in conc. IV Mediol. p. 2*, *cap. 6*) *ut id extremæ unctionis Sacramentum ministraturus*, *quot commode potest Presbyteros & clericos adhibere studeat*, *superpelliceo indutos*, *qui ipsum & ministrantem & precantem*, *pietatis*, *orationisque studio in eo ministerio adjuvent*: & vero negare non possumus institutioni Sacramenti fore convenientius ut ejus administrationi plures præsentes adessent; tum quia Apostolus plurali vocabulo utitur: *inducat Presbyteros Ecclesiæ*; tum quia præter unctionem in oratione consistit, quæ hoc gratior & efficacior est, quo plures ad orandum convenerint; quamquam enim suos Sacramenta ex opere operato edant effectus; dubium tamen non est, quin pietas & fides ministrantium & adstantium ad uberiores obtinendos effectus plurimum conferant. Nullum porro tempus est, quo magis fideles subsidio orationis indigeant, quam ubi ad extremam vitæ adducti periodum, & cum morte imminente, & cum dæmone versutiæ suæ nervos vehementius intendente luctantur: non sic igitur præsens disciplina accipi debet, quasi plures sacerdotes advocare sit vetitum; sed quia absolute unius ministerium sufficit.

QUÆSTIO QUINTA.

De subjecto, *& necessitate extremæ unctionis*.

Hujus pariter quæstionis duplex esse futurum caput, ipse titulus indicat. Quapropter sit

CAPUT PRIMUM.

De extremæ unctionis subjecto.

Ponimus tamquam certum,

1. Solis baptizatis hoc Sacramentum impendi posse: quia baptismus cæterorum Sacramentorum janua est.

2. Solos adultos ejus suscipiendi esse capaces: iis quippe solis, non autem infantibus potest vere applicari forma Sacramenti: *indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum*, *&c.* Infantes enim cum rationis usum non habeant, actualis peccati expertes sunt, adeoque peccare per ista non possunt: deinde non debet iis extrema unctio ministrari, qui primarium & principalem ejus effectum consequi ne-

nequeunt; atqui non possunt infantes effectum extremæ unctionis primarium obtinere; auxilia scilicet specialia ad superandam debilitatem ex peccato originali contractam, & resistendum insultibus dæmonis: quo enim, propter rationis & propriæ voluntatis inertiam, sunt debiliores, eo tutiores contra omne peccatum sunt; quia non nisi voluntate peccatur; & in ipsa sua imbecillitate, contra insultationes & insidias dæmonis certissimum præsidium habent: neminem enim diabolus tentat, nisi qui possit pravis ejus impulsionibus consentire. Ergo &c.

3. Nec ante rationis usum amentibus dari posse: extrema enim unctio contra peccata actualia, eorumque infaustas reliquias ordinatur; atqui a nativitate amentes, propter rationis & voluntatis defectum, nec actualiter unquam peccarunt, nec proinde quidquam ex peccato reliqui habent: quantumvis ergo annis provecti, sicut pœnitentiæ, ita extremæ unctionis quæ est pœnitentiæ complementum, sunt incapaces.

Difficultas itaque hic una est de infirmis, de quibus quæritur primo an iis solis debeat extrema unctio ministrari? secundo quæ & qualis debeat infirmitas esse, cui jus postulandæ unctionis annexum sit?

§. PRIMUS.

Ostenditur solos infirmos suscipiendæ extremæ unctionis esse capaces.

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

Iis enim solis conferri debet, quibus solis est divinitus destinata; atqui solis infirmis voluit Christus unctionem, divinum nempe remedium adhiberi: *infirmatur quis in vobis?* ait sæpe laudatus Apostolus, *inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum: ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus &c.* deinde id quod legitur Marci 6, v. 13, *ungebant* (Apostoli) oleo *multos ægros, & sanabant*, Græci, ut prædiximus, pene omnes, & nostrorum plerique de extrema unctione interpretantur; quorum sententiæ Concilium Trid. aliquatenus suffragatur, declarando, (*Sess. 14, cap. 1, de extr. unct.*) *unctionem Sacramentalem infirmorum a Christo Domino nostro apud Marcum fuisse insinuatam.* Ergo &c.

PROBATIO SECUNDA.

Ex præscriptione.

Nec vero aliter unquam ab Ecclesia præceptum divinum & Apostolicum intellectum, probat vetustissima, omnique memoria antiquior Latinorum & Græcorum, ritualibus & euchologiis significata consuetudo.

Quod quidem pertinet ad Latinos: „ offertur Pontifici oleum, *ait Gregorius M. in Sacramentario*, & benedicit illud, tam ipse, quam omnes Presbyteri, his verbis: *Emitte Domine Sp. Sanctum tuum Paracletum de cœlis, in hanc pinguedinem olivæ, . . . ut tua sancta benedictione, omni hoc unguentum tangenti, sit tutamentum mentis & corporis, ad evacuandum omnes dolores omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis . . . operare creatura olei, ut non lateat hic spiritus immundus, neque in membris tuis, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum; sed in te habitet virtus Christi Altissimi, & Spir. Sancti . . . Deus qui humano generi, & salutis remedium, & vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulo tuo tuarum dona virtutum, & concede ut medelam tuam, non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat . . . . mittere digneris Sanctum Angelum tuum, qui famulum tuum in angustiis & necessitatibus laborantem, consolationibus tuis attollat, quibus & de præsenti consequatur auxilia, & æterna remedia comprehendat.* " Ita Sacramentarium Gregorianum, cujus summa semper inter Latinos auctoritas fuit.

Latinis Græci plene consentiunt: sic enim in eorum euchologiis legitur: „ Domine qui in misericordia & miserationibus tuis, animarum corporumque contritiones curas: ipse Domine oleum hoc sanctifica, ut in medelam omnis passionis carnalis, & spiritualis inquinamenti, & omnis denique mali depulsionem, ex illo unctio fiat . . . . precamur te, Domine, ut stillet hoc oleum super unctos in tuo nomine, in medelam & curam animæ & corporis, in . . . liberationem omnis doloris, & omnis ægritudinis, & infirmitatis, & omnium sordium animæ & corporis . . . visita servum tuum in misericordia & miserationibus, & congruentem ei salutem & integritatem largire: libera eum ab omni ægritudine & languore animæ & corporis: & fiat ei Domine oleum hoc in omnis ægritudinis medelam . . . erige servum tuum e doloris le-

„ cto.

„ cto, & infirmitatis cubili, serva eum, & „ integrum Ecclesiæ tuæ restitue . . . . ipse „ clemens, bonorum amator, animarum ami- „ ce, potentem manum tuam, & brachium „ tuum excelsum & sanctum extende, & ani- „ mam corpusque servi tui tange, & a doloris „ ejus lecto, & ab omni eum infirmitate de- „ tinente erige: ut inde exurgens cum omni „ populo tuo, sanctissimum nomen tuum glo- „ rificet . . . Pater Sancte animarum & cor- „ porum medice, qui filium tuum Unigeni- „ tum Dominum nostrum Jesum Christum, „ omnem morbum curantem, & ex morte „ nos liberantem misisti: sana quoque servum „ tuum N. a detinente illum corporis infir- „ mitate, & vivifica illum per Christi tui „ gratiam . . . quia tu es fons sanitatum Deus „ noster: & tibi gloriam referimus Patri & „ Filio, & Sp. Sancto, nunc & semper, & in „ sæcula sæculorum ".

PROBATIO TERTIA.

Ex Ecclesiæ Decretis.

Quod si cui non sat convincens videtur, sæpe memorata Ecclesiæ decreta revolvat: *non est dubium*, inquit Innocentius I duobus sæculis Gregorio M. antiquior, (*in Ep. ad Decent. cap. 8*) *verba Jacobi de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui Sancto oleo Chrismatis perungi possunt: quo ab Episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet, in sua aut suorum necessitate inungendo.*

Ab infirmis in periculo mortis positis, ait Theodorus Cantuariensis (*in lib. pœnitentiali*), *pura est inquirenda confessio peccatorum. . . . & secundum auctoritatem canonicam, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis sacra unctione olei inuncti, secundum statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur.*

Capitularia Caroli M. (*lib. 6, cap. 75*) *si infirmitate quis depressus fuerit, vitam sine communione non finiat, nec unctione sacrati olei careat . . .* (*ib. cap. 70*) *moneant* (*Presbyteri*) *fideles infirmos illud exquirere, ut eodem oleo peruncti, gratia Dei sanentur, quia oratio fidei salvabit infirmos.*

Concilium Cabilonense II, an. 813, (*Can. 48*) *secundum B. Jacobi Apostoli documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo quod ab Episcopis benedicitur, a Presbyteris ungi debent: sic enim ait Jacobus:* infirmatur quis in vobis? &c. *non est itaque parvipendenda hujusmodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.*

Concilium Aquisgranense, an. 836, (*Can. 5*) *si quis infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione Sacerdotali, nec non unctione sacrati olei, per Presbyteri negligentiam careat.*

Concilii Moguntini an. 847, cap. 26, eadem ac Theodori Cantuariensis, iisdemque concepta verbis sententia est.

Concilium Ticinense, an. 850, (*cap. 8*) *illud quoque Sacramentum quod commendat Jacobus Apostolus dicens:* infirmatur quis in vobis? &c. *solerti prædicatione populis innotescendum est . . . sed quia frequenter contingit ut ægrotus aliquis aut Sacramenti vim nesciat, aut minus periculosam reputans infirmitatem, salutem suam operari dissimulet, aut certe morbi violentia obliviscitur; debet eum Presbyter congruenter admonere quatenus ad hanc spiritualem curam, secundum propriæ possibilitatis vires, vicinos quoque Presbyteros invitet.*

Eugenius IV Pontifex Max. (*in decr. pro instr. Armenorum*) *hoc Sacramentum nisi infirmo de cujus morte timetur dari non debet.*

Denique Concilium Trid. (*Sess. 14, in doctrina de extr. unct.*) *clementissimus Redemptor noster . . . quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum vivèrent, ab omni graviore spiritus incommodo possint; ita extremæ unctionis Sacramento finem vitæ tamquam firmissimo quodam præsidio, munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat, ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit . . .* (*ib. cap. 3*) *declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendum, illis vero præsertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.*

PROBATIO QUARTA.

Ex historia Ecclesiastica.

Idem denique justorum exempla probant: qui non nisi graviter decumbentes, peneque ad exitum vitæ perducti, Sacramentum hoc suscepisse, in historia Ecclesiæ: memorantur, sic B. *Maura*, de qua non semel prædictum, non nisi instante morte, unctionem a *Prudentio* Episcopo petiit. *Carolus M.* „ oleo sancto „ inunctus est ab Episcopis, inquit *Eparchius*, (*in*

(*in vita Caroli M.*) & viatico sumpto, & „ omnibus suis dispositis, commendans Deo „ Spiritum suum, obiit in pace . . . " de Adelardo Abbate Corbejensi narrat Paschasius in ejus vita: *interim vero audiens Beatus vir Hildemanus Episcopus, sanctum ægrotare Patrem, advenit illico. Interea cum cœpisset idem S. Episcopus a nobis percontari, utrum benedictionis oleo, sicut a Beato Apostolo sancitum est, deberet perungi: interrogavimus eum, utrum ne vellet? . . . quod ille audiens, erectis oculis in cœlum obsecrabat ut fieret* . . . . . S. Osvvaldus Eboracensis Episcopus, unctionem non ante petiit, quam prævidisset horam fatalem instare, ut in ejus actis habetur . . . . de Leone IX Pontifice Max. *cum intelligeret*, inquit Wibertus Archidiaconus, *non diutius retinendum se carnis ergastulo, decrevit ut quoniam plures Episcoporum, Abbatum, cæterorumque fidelium confluxerant turbæ, eis præsentibus inurgeretur sacri olei liquore* . . . de S. Malachia Episcopo, ait S. Bernardus in ejus vita, c. 31, *ungitur, & sumpto Viatico, fratrum se orationibus, & Fratres commendans Deo, ad lectum revertitur*: certum igitur ratumque sit, non aliis nisi infirmis hoc Sacramentum, ex divina institutione conferri posse.

Solvitur quædam gravis momenti objectio.

Et hæc quidem quamquam alibi dicta, revocari, conjunctimque ob oculos poni oportuit, quo facilius dilueretur ab exemplo Græcorum petita objectio, quam magni esse momenti Theologi quamplures existimant.

Græci, inquiunt, non modo graviter decumbentes, sed etiam eos, de quorum morte minime timetur, immo omnes indiscriminatim pœnitentes, sive infirmos, sive viribus valentes inungunt. Cujus rei testes plurimi occurrunt fide dignissimi: *Arcudius*, l. 5, c. 4, de extrema unctione: *Goarius*, in Rituali Græcorum: *Leo Allatius*, l. 3. de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione: ut interim taceam turbam scholasticorum, Græcos ea de causa traditionis infractæ accusantium: & recentiorum hæreticorum clamores, inde inferentium, unctionem a Græcis, pro vero Sacramento legis Evangelicæ non haberi. Ergo non adeo, ut volumus, certum est, solos infirmos debere hoc Sacramento donari.

℟. Dist. ant. Græci, pœnitentes etiam corpore sano inungunt, *unctione quæ mera cæremonia sit*, conc. *unctione Sacramentali*, neg. ant. & conseq.

E. ℟. Non id omne pro vero Sacramento haberi debet, quod aliqua ejus imitatio est: alioquin mirum in modum Sacramentorum numerus augeretur; constat enim plerasque cæremonias introductas, quæ primo aspectu, & exteriori facie cum Sacramentis magnam videntur habere affinitatem, etsi ab ipsis, natura & efficacitate plurimum differant. Hujusmodi porro esse unctionem quæ corpore valentibus in Græca Ecclesia adhibetur, momentis efficacissimis demonstratur.

1 Unctionem quæ vere Sacramentum sit, solis infirmis esse divinitus destinatam, Græcorum uniformis doctrina est. Euchologii verba paulo ante recitata, planissima sunt, nec ambiguitatem ullam relinquunt: consentiunt Græci omnes qui de Sacramentis scripserunt: nec aliunde hujus Sacramenti, quam ex *Marci* c. 6, & Ep. *Jacobi* c. 5, ubi de solis infirmis mentio est, divinam repetunt institutionem.

Sic *Simeon Thessalonicensis*: (*in lib. de Sacr.*) *oleum sacrum*, inquit, *traditione accepimus, velut cæremoniam sacram, quæ divinæ misericordiæ typus est, ad eorum liberationem & sanctificationem qui a peccatis convertuntur: nec remissionem tantum peccatorum operatur, sed etiam morbos curat, & sanctificat . . . . tunc Sacramentum hoc Christus dedit, cum binos ante se discipulos misit, ut pœnitentiam prædicarent: unde ostenditur sanctum hoc oleum, esse velut pœnitentiæ complementum. Dæmonia multa abegerunt, & infirmos plurimos, oleo ungendo sanarunt. Indeque manifestum est, oleum consecratum infundi pœnitentibus, morbos curare, neque ad corporum tantum, sed etiam ad animarum restitutionem conferre: ita docuit Jacobus Domini Frater: infirmatur, inquiens*, quis in vobis? &c.

Ita pariter Gregorius Proto syncellus, (*in Epitome dogm. Eccles.*) *septimum Sacramentum, sive extrema unctio*, inquit, *puri oleï unctio est, pro infirmis præparati, per benedictionem & sanctificationem, sanitatis spiritualis & corporalis conferendæ virtutem habens: unum est e septem Sacramentis, tum temporis a Christo præscriptum, quando discipulos suos ad Evangelium prædicandum ante se misit*: ungebant enim oleo infirmos, & sanabant, *ut in Evangelio Marci habetur . . . extrema unctio dicitur, quia cum vitæ periculo ægrotantibus adhibetur: ejus administrationem debet confessio peccatorum præcedere: moxque olei cum prece*, (εὐχέλαιον) *& deinceps communio sequitur*.

Eodem sensu *Confessio orthodoxa*: (*qu.* 117) *septimum Sacramentum*, ait, *est extrema unctio a Christo præscripta: cum enim cœpisset discipulos suos binos mittere, ungebant oleo multos & sanabant. Quam deinceps unctionem*

nem religiosa consuetudine Ecclesia observavit, prout ex Ep. S. Jacobi compertum est: infirmatur quis in vobis? *&c. fructus hujus Sacramenti sunt, quos velut ejus genuinos Sanctus Jacobus Apostolus explicat, videlicet remissio peccatorum, animæ salus, corporis denique sanitas, quam etsi non semper importet; semper tamen animam per remissionem peccatorum in meliorem statum restituit.*

Poteram, si res postularet, & plures alios addere: *Meletium Syrigum*, in refutatione articulorum Cyrilli Lucar: *Monachum Jobium*: professionem fidei a *Joanne Paleologo* Constantinopoleos Imperatore editam: *Gabrielem Philadelphiensem*: *Synodum Cypriam* sub Germano Amathuntis Episcopo habitam: Jeremiam Constantinop. Patriarcham in resp. ad Theologos Wittembergenses &c. dubium itaque non est, quin Græcorum communis sententia sit unctionem quæ vere est Sacramentum, ad solos infirmos esse divinitus institutam.

2. Sacramentum quod vere hujus nominis est, non materiam tantum habet, sed præcipue formam importat, per quam materia ipsa ad esse Sacramentale, ut loquitur schola, determinatur. Porro forma unctionis Sacramentalis in ea oratione consistit, quam sacerdos ungendo profert: *Pater sancte, animarum & corporum medice*, &c. quam pleræque aliæ preces a diversis sacerdotibus dicendæ præcedunt; atqui hæ omnes orationes ad infirmum ungendum, non ad eos qui bene valent, respiciunt: numquid enim non foret absurdissimum, pro iis petere sanitatem qui ægritudine nulla premuntur? quis enim vero non videt, jocum hunc magis esse futurum, quam ritum sacrum, & derisionem potius quam orationem? cum itaque unctio quæ sanis impenditur, propriam nullam habeat formam, Sacramentum dici non potest.

3. Ritum hunc pro vero Sacramento Græci non habent, quem non existimant ullius effectus virtute propria, sive ex opere operato, efficacem; atqui nulla Græcorum, de unctione qua sanos liniunt, talis opinio est: effectus enim quem sperarent ab unctione infallibiliter secuturum, vel esset sanitas corporalis, vel spiritualis, peccatorum videlicet remissio; & animæ in pristinum innocentiæ statum redintegratio; atqui neutrum sibi Græci proponunt: non primum quidem: spes enim, non præsentis, sed absentis boni obtinendi fiducia est: porro in præsenti hypothesi, sanus corpore est, qui linitur; sed neque secundum: qui enim certo credunt, unctioni, etiam quæ ægrotis impenditur, confessionem Sacramentalem, pœnitentiam canonicam, & absolutionem sacerdotalem necessario præmitti debere, sane non existimant ejusdem unctionis, quando sanis conceditur, ad delenda peccata, internam aliquam, & ex opere operato esse virtutem: alioquin enim consequens esset ut dicerent, tali unctione ab hominibus sanis suscepta, onus pœnitentiæ Sacramentalis esse sublatum, nec jam necessarium esse sacerdotis absolventis ministerium, quod nemini unquam Græcorum in mentem venit; atqui Græcorum omnium & Orientalium uniformis sententia est, in eorum euchologiis, & officiis extremæ unctionis præscripta, nemini infirmo ἀρχίλαιον concedendum, quin prius peccata sacerdoti rite confessus, & ab eodem fuerit absolutus. Ergo &c.

Quæ cum ita sint, dicendum hanc unctionem a Græcis, non ut Sacramentum, sed ut meram cæremoniam observari, quæ si quid possit, non virtute propria & ex opere operato, sed vel ex dantium, vel ex recipientium pietate ac fide possit. *Infirmum spiritualem* (*hominem scilicet pœnitentem*) inquit Goarius (*in Euchologio Græcorum, nota* 3 *in offic. S. Olei.*) *præ oculis Græci habentes, precibus quidem his, velut pharmaco salubri sanandum suscipiunt, vulnera ejus oleo sancto curare, tum votis & benedictionibus alligare student: non ita tamen ut unctio precibus adjuncta, ex opere operato, animæ deleat infirmitates: sed si quid possit, ex pœnitentis tantum devotione, aut sacerdotis deprecantis caritate, id est, ex opere operantis illud valeat producere: addo & hac eadem mente unumquemque oleo sancto ab Episcopis benedicto se se in Ecclesia Orientali ungendum offerre feria v in cœna Domini: unctionemque ejusmodi, ut peccatorum antidotum, & sanctitatis largitricem, sacræ communioni præviam, de Episcoporum manu suscipere; sed nec ille pœnitens, corpore vegetus, nec illi mysteriorum Dei dispensatores, veri, germanique Sacramenti suscipiendi vel concedendi mentem animumque dicendi sunt habere.*

Ita *Goarius*, cui *Arcudius*, (*lib. 5 de extr. unction. c.* 4) Doctissimus *Eusebius Renaudotius*, (*de perpetuitate fidei tom.* 5, *lib.* 5, *c.* 3) & alii plerique consentiunt. Jam si quærat aliquis, unde consuetudo hæc initium sumpserit?

R. Ex felici quadam anticipatione fidei, Christianorum mentibus insita, esse petendam, qua creditum est, nec immerito, materias ad administrationem Sacramentorum, sacerdotum precibus consecratas, etiam extra Sacramentum, sive ad subsidia temporalia, sive ad spirituales gratias obtinendas, posse aliquod adjumentum afferre; sic enim e. c. aqua baptismatis, quamquam ad solum baptisma primo & principaliter consecrata, quamplures

olim in diversis sive corporis, sive animæ necessitatibus speciali devotione utebantur, indeque aquæ benedictæ origo sumpta: idem pariter Chrismatis sive olei ad usum Sacramentorum ab Episcopis, aut Presbyteris benedictis, usus fuit. Quin & aquam ipsam qua sacri calices, post mysteriorum celebrationem abstergebantur, pari reverentia fideles ad usus suos ex devotione impendebant, sperantes sibi futuram ablutionem proficuam ex eo liquore factam, qui emundandis sacris calicibus inservisset: infinitus sim, si omnia memorem, quæ non in Oriente tantum, sed & in Occidente, haud sane spernenda, (si modum tamen non excedit) fidei simplicitas introduxit: quis enim nescit a plerisque Latinæ Ecclesiæ sanctis viris ac fœminis, unctiones sæpe erga ægrotos, energumenos, aliosque variis oppressos necessitatibus, etiam ex oleo nec ab Episcopis, nec a sacerdotibus benedicto, olim fieri consuetas, unde plerumque miracula sequebantur? quem latet, etiam num plerosque oleo quod juxta aras Beatissimæ Virginis & sanctorum in lucernis appenditur speciali devotione, quam sæpe Deus exaudit, liniri? numquid porro ideo nostros superstitionis accusamus, quasi unctiones hujusmodi pro veris Sacramentis habeant? ut quid ergo Græcis iniquiores futuri sumus, unctiones similes ex oleo ad extremam unctionem benedicto, etiam erga eos qui sunt corpore vegeti observantibus?

At, inquis, a nostratibus Theologis Græcos eam ob rem legimus reprehensos, quasi qui traditionis limites prætergressi fuerint, non ægrotos tantum, verum etiam eos ungendo, qui robusta valetudine perfruuntur. Perperam ergo eos nitimur excusare.

℟. Dato ant. n. conseq. Quis enim nescit nostrorum sæpe adversum Græcos & Orientales iniqua esse & acerbitatis plena judicia? revera equidem reprehensibiles essent, si Sacramentum solis ægris alleviandis divinitus destinatum, etiam sanitate valentibus, contra Christi supremi legislatoris decretum profunderent; atqui ut modo ostensum est, hæc unctio adhibita sanis, etsi Sacramenti externam quandam speciem habet, mera tamen cæremonia est, quam pietas & fides sensim induxit: nedum ergo ad Græcos accusandos præcipiti quorumdam e nostris censura commoveamur; debemus e contrario, re maturius expensa, severiorem revocare sententiam; atque ita, quod æquum omnino ac necessarium est, imitabimur sanctæ Matris Ecclesiæ moderationem, quæ hujusmodi ritum in Græcis numquam damnavit: in his enim tam frequentibus contra eos habitis controversiis ac congressibus, nihil usquam est vel in Conciliis, vel a Sum. Pontificibus ea de re definitum: vetuit equidem aliquando *Innocentius* IV Pontifex Max. ne Græci presbyteri Romano Pontifici immediate subjecti, pœnas canonicas in tribunali pœnitentiæ imponendas, solius unctionis suscipiendæ onere commutarent: verum ipsam in se pœnitentiam, etiam sanitate fruentium unctionem non proscripsit: *prohibemus*, inquit, (*in Ep. ad Episcop. Tusculanum.*) *ne sacerdotes Græcorum, aut confessores pro satisfactione pœnitentiæ, unctionem aliquam solummodo injungant.*

Verum, inquis iterum, in hoc ipso Græcorum ritu Lutherani, & Calvinistæ triumphant, obtendentes, longe aliter a Latinis, Græcos de unctione sentire, nec eam pro Sacramento habere.

℟. Hæreticos ubi manifesto vincuntur, jactatione thrasonica triumphare: nam præter quam quod Extremam Unctionem ab Oriente toto annumerari Evangelicis Sacramentis, res est meridie clarior, in omnibus Euchologiis & Theologicis libris testata, novisque contra Lutheranos, & Calvinistas definitionibus, in diversis Græcorum Synodis confirmata: quid quæso in hoc ritu est, unde vel minimam causam habeant gloriandi? volunt recentiores Hæretici Unctionem quam Apostolus Jacobus præscribit, temporariam fuisse, nec Ecclesiæ nascentis primordia, ubi gratia miraculorum concedebatur communiter, prætergressam. Hoc porro negant & pernegant Græci, etiamnum, quamquam desierit gratia sanitatum communis esse, ungendo. Lutherani & Calvinistæ, unctionem omnem tanquam superstitionem diabolicam subsannant & insectantur: quo fit ut non modo sanos, sed ne ægros quidem, prout est ab Apostolo imperatum, ungi patiantur. Græci e contrario in verbis Evangelii, (Marci 6) & Jacobi Apostoli veri agnoscendo Sacramenti præscriptionem, summa diligentia, & rituum splendidissimo apparatu ægros inungunt; quod pro iis Latina Ecclesia, id ipsum & illi petunt, formam & orationes simillimas nostris pronunciant: quoque magis præconceptam de Sacro oleo præclaram existimationem demonstrent, beneficium Unctionis etiam corpore valentibus motu pietatis impartiuntur, sentiendo nimirum unctionem hanc, etsi quando sanis impenditur, Sacramentum non sit, religiosam tamen cæremoniam esse, cum fide suscipientibus haud mediocriter profuturam: qua in re, si reprehensionem aliquam mererentur, non ideo quod non crederent id quod credit Latina Ecclesia, sed quod plus aliquid crederent, mererentur: quando ergo de hac tantula Græcorum a nobis dissensione Heretici glorian-

riantur, de eorum numero sunt, de quibus Apostolus, *gloria eorum*, inquit, (*Philipp.* 3, 19) *in confusione ipsorum*.

§. SECUNDUS.

Quæ, & qualis debeat infirmitas esse, cui jus postulandæ extremæ unctionis annexum sit?

Quæritur 1. Utrum debeat graviter ægrotare, cui beneficium unctionis inpenditur?

R. 1. Juxta Latinæ Ecclesiæ disciplinam, affirmative. *Hoc Sacramentum*, ait Eugenius IV Pontifex Max. (*in decr. pro instr. Armen.*) *nonnisi infirmo, de cujus morte timetur, dari debet*, & Concilium Trident. *declaratur*, inquit, (*sess.* 14, *cap.* 3, *de extr. unct.*) *esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu constituti videantur: unde Sacramentum exeuntium nuncupatur*: consentiunt Ritualia: *debet hoc Sacramentum infirmis præberi*, ait Rituale Romanum, *qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur* .... idem Pastorale Mechliniense, & alii communiter libri Rituales præscribunt: præcesserat Angelicus Doctor sic scribens: (*in sup. quæst.* 32, *art.* 2, *in corp.*) *dicendum quod hoc Sacramentum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam: & ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi qui sunt in statu exeuntium, propter hoc, quod ægritudo nata est inducere mortem, & de periculo timetur*: quid quod & hoc ipsum videtur in Latina Ecclesia antiquitus communiter observatum: „ ab infirmis in periculo mortis positis, *inquiebat septimo sæculo Theodorus Cantuariensis sæpe cit.* pura est inquirenda confessio peccatorum, & secundum auctoritatem canonicam, ne illis janua pietatis clausa videatur ..... sacra unctione olei inuncti ... communione viatici reficiantur .... *& capitularia Caroli M.* si infirmitate quis depressus fuerit, vitam sine communione non finiat, nec unctione sacrati olei careat".

R. 2. More antiquo Græcorum, omnibus indifferenter ægrotis, etiam si mortis periculum non immineat, hoc Sacramentum conferri: nullibi namque legimus apud illos præscriptum eo usque unctionem differendam, donec instet fatalis hora: indeque est quod omnes indiscriminatim pro quavis, etiam levi ægritudine ad unctionem admittunt: εὐχέλαιον, ait Gabriel Philadelphiensis, (*in tract. de Sacram.*) *est unctio ex puro oleo constans, pro iis qui morbo decumbunt*: ubi discrimen ægritudinis, sive levis, sive periculosa sit, nullum facit: eodem pertinet quod *Goarius* in notis ad Rituale Græcorum observat, apud Græcos consuetudinem obtinere, ut ægri plurimi Sacram unctionem accepturi, *aliorum ope & manibus ad Ecclesiam se deferri faciant, ibique plurium nonnumquam dierum spatio in Catechumeneis jaceant, pernoctent, morentur, & Sacra tandem unctione sibi remedium exposcant*: hoc enim haud ita facile fieret, si extrema planeque desperata infirmitas foret.

Q. 2. De hac disciplina quod debeat esse judicium?

R. Tum nihil habere Scripturæ sacræ contrarium, tum ab Ecclesia huc usque probatam: adeoque non posse sine temeritate redargui: quod quidem scripturæ sacræ non adversetur, ex verbis Marci & Jacobi est manifestum: *ungebant*, inquit ille (c. 6, 13) *oleo multos ægros, & sanabant*: iste vero: *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ &c.* hæc enim verba, si sensum obvium sequamur, ad omne morbi genus videntur extendi: quod vero hactenus Ecclesiæ Romanæ probata sit, inde certo conficitur quod nulla unquam de hac re fuerit contra Græcos a Latinis concitata querela: e contra sæpius a Sum. Pontificibus sit declaratum, suis Græcos moribus permittendos, nec illis propter rituum diversitatem molestiam inferendam.

Quæritur 3. Gravis ægrotationis nomine, juxta disciplinam Latinæ Ecclesiæ, quid intelligendum?

R. Eam accipiendam, quæ, ut loquitur S. Thomas modo cit. *nata est inducere mortem, & de cujus periculo timetur*: quæ tanta nimirum est, ut ex illa videatur mortis periculum imminere: non eo tamen est infirmitatis gravitas extendenda, nec tamdiu Sacramenti administratio differenda, ut nec convalescendi spes ulla supersit, nec usu ullo sensuum & rationis fruatur infirmus.

Objectio.

Ritui Latinorum, inquiet aliquis, qui ubique hodie, & a plerisque sæculis in toto Occidente servatur, responsio illa repugnat: constat enim fere nemini, nisi ultimum agenti spiritum, & quid erga se, & in suo corpore fiat prorsus nescienti, Sacramentum hoc ministrari: adeo ut quotidie pene contingat, prius animam avolare, quam unctio absolvi potuerit: indeque Lutheranis & Calvinistis oblata occasio, Romanam Ecclesiam, (nec sane immerito,) increpandi.

„ Apparet, *inquit Lutherus*, (*lib. de capt. Babyl.*) eos (Catholicos) non auctoritate „ ulla,

„ ulla, sed suo arbitrio, ex verbis Apostoli „ male intellectis, Sacramentum & extremam „ unctionem fecisse, cum injuria cæterorum „ infirmorum, quibus vi propria abstulerunt „ ungendi beneficium ab Apostolo statutum.... „ Apostolus in hoc ungi & orari præcipit, ut „ infirmus sanetur & allevietur, hoc est, non „ moriatur, nec sit extrema unctio; quod & „ usque hodie probant preces inter ungendum „ dictæ, quæ infirmum restitui petunt: illi con- „ tra dicunt, non esse dandam unctionem, ni- „ si discessuris: hoc est, ut non salventur & „ allevientur .... ideo & extremam volunt „ unctionem, ut non sit verum, per eam sa- „ nari infirmum, quod ille (Jacobus) statuit: „ si hoc non est insanire, rogo quid est insa- „ nire"?

Calvinus vero: (*lib. 4 instit. cap. 19*) *Jacobus omnes infirmos vult inungi: isti non infirmos, sed semimortua cadavera sua pinguedine inficiunt, cum jam jam anima in primoribus labris laborat, vel, ut ipsi loquuntur, in extremis: si præsentem habent medicinam in suo Sacramento, quo vel morborum acerbitatem leniant, vel saltem aliquod animæ solatium afferant; crudeles sunt, qui nunquam in tempore medentur*...

Nec Græcos ipsos accusatio ista præteriit: dudum enim est, quod *Simeon Thessalonicensis*, contra Latinos invectus: *hic*, inquit, (*in lib. de 7 Sacram.*) *quædam alia quoque Latinorum, res novas molientium destruitur sententia: hi enim asserunt, Sanctum oleum, non spem vitæ habentibus, sed moribundis tribuendum esse ..... contra fidem Apostolicorum verborum, ut in omnibus aliis, ita etiam hac in re & sentientes & facientes: cum enim Dei frater* (*Jacobus Apostolus*) *clamet*: eriget eum Dominus: *isti ajunt, iis qui non eriguntur, esse præbendum* ... (*ib. in fine operis*) *quia omnia immutant Latini, hanc etiam cæremoniam corruperunt, atque non esse exhibendum* (*Sacramentum unctionis*) *ægrotantibus, sed moribundis ajunt: quandoquidem enim hoc Sacramentum dimittit peccata; propterea* (*a Latinis*) *moribundis exhibetur, ne, si quis supervixerit, rursus peccet: o dementiam! frater Domini enunciat*: & oratio fidei salvabit infirmum, & eriget eum Dominus: *hi vero ajunt; ideo dari unctionem, ut moriatur ... & Sacrum quidem Evangelium ait*: Ungebant oleo multos ægros, & sanabant: *hi vero censent dandam esse unctionem, non ut curentur; sed ut sint insanabiles, & moriantur*.

Falso ergo dictum a nobis, ex Latinæ Ecclesiæ disciplina, non eo usque unctionem procrastinandam, ut jam sanitatis recuperandæ spes omnis extincta sit.

Respond. Nego ant. nego, inquam, id quod opponitur, & pene quotidiano usu fieri affirmatur, juxta disciplinam Romanæ Ecclesiæ fieri: putida namque hæc hæreticorum calumnia fuit, qui cum in Catholicis ritibus, quod jure reprehenderent, nihil reperirent, ut possent calumniari, ad mendacia confugerunt: neque hac in parte, *Simeon Thessalonicensis*, & Græci plerique, quo erant contra Latinos odio ex stimulati, moderatiores se præbuerunt: contra nos enim plurima falsitatis plena commenti sunt; atque, ut ingenue fatear, a nostris sæpe cum injuria & contra veritatem lacessiti, par pari referre omni conatu studuerunt.

Hujusmodi porro esse contendimus, quod in præsenti tanta confidentia adversum Latinos jactatur: quod ut perspicue ostendamus, rogamus studiosum Lectorem, ut diligenter advertat, non debere id quod ex abusu & prævaricatione fit, in Ecclesiam Sanctam refundi; nec posse rem disciplinæ vocari, quæ ejusdem manifesta infractio est: quod quidem attinet ad tempus conferendæ extremæ unctionis, fatemur, sive populorum, sive pastorum incuria abusus gravissimos, nec sine flebili animarum detrimento, præteritis sæculis irrepsisse; hoc vero nedum probarit Ecclesia, & in legitimos usus converterit, semper detestata est, & sanctissimis statutis proscripsit.

1. Falsum est, Catholicam unquam sanxisse Ecclesiam, non esse dandam extremam unctionem, nisi continuo discessuris, ut scilicet nec salventur, nec allevientur: aliud enim est, statuere non esse nisi periculose ægrotantibus conferendam; aliud, dicere non esse dandam, nisi statim discessuris: primum sæpe ab Ecclesia declaratum: de altero ne cogitatum quidem. Cum enim inter infirmos, de quorum morte timetur, alii quantocyus moriturі prævideantur, aliorum exitus non ita immineat; de utrisque inungendis præceptum est: *declaratur*, inquit Trid. Concilium, (*sess. 14, cap. 3, de extr. unct.*) *esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur*: ita S. Synodus, cui concinens Catechismus jussu ejus editus: *docendi sunt fideles*, inquit, (*2 part. tit. de extr. unct. n. 9*) *quamvis hoc Sacramentum ad omnes pertineat; quædam tamen hominum genera excipi, quibus administrandum non sit: ac primum excipiuntur, qui sano & firmo corpore sunt: iis enim extremam unctionem tribuendam non esse, & Apostolus docet, cum inquit*: infirmatur quis in vobis? *& ratio ostendit: si quidem ob eam rem instituta est, non modo ut animæ, sed etiam ut corpori medicinam afferat: cum igitur*

illi

illi tantum qui morbo laborant, curatione indigeant: idcirco iis etiam qui adeo periculose ægrotare videntur, ut, ne supremus illis vitæ dies instet, metuendum sit, hoc Sacramentum præberi debet: in quo tamen gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita & sensibus carere incipiat: constat enim, ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si ægrotus, cum in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque & religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur: quare Parochis animadvertendum est, ut eo potissimum tempore cœlestem medicinam adhibeant: illam quidem semper vi sua admodum salutarem; cum eorum etiam pietate & religione qui curandi sunt magis profuturam intelligitur.

2. Falsum est, ideo Catholicos unctionem de qua agitur, extremam vocare, quia non datur nisi quantocyus discessuris; quasi post illam nullum debeat amplius subsidium expectari: extrema enim dicitur, ut in limine tractatus præmonuimus, comparate ad alias unctiones quæ istam tempore præcesserunt, catechumenorum scilicet, baptizatorum, confirmatorum &c. *primum illud tradendum erit*, ait idem Catechismus, (*ib. n.* 2) *hoc Sacramentum idcirco extremam unctionem appellatum esse, quod hæc omnium Sacrarum unctionum, quas Dominus Salvator noster Ecclesiæ suæ commendavit, ultima administranda sit: quare hæc ipsa unctio a maioribus, Sacramentum etiam unctionis infirmorum, & Sacramentum exeuntium dicta est: quibus vocabulis fideles in memoriam novissimi illius temporis facile redire possunt.*

Abeant igitur cum suis cachinnis Lutherani, Calvinistæ, & Græci malevoli, leges Romanæ Ecclesiæ vel culpantes, quas nesciunt; vel hoc inexcusabiliores, si sciverint.

At, inquis, negare saltem non possumus, id quod Lutherani oblatrant, ad ultimum pene vitæ instans, quo nec scintillam rationis habet ægrotus, nec ulla residua spes est recuperandæ salutis, extremam unctionem vulgo differri.

Respond. Hoc ab adversariis mendaciter, & cum calumnia manifesta imponi: quot enim & quanto numero quotidie, integris sensibus, & pleno rationis usu, fide viva, & eximiæ pietatis exemplo, sacro oleo liniuntur? quod si non vident Hæretici, ideo quia a nobis exierunt, non vident: sed esto sane multorum tanta negligentia sit, (quod eheu! nimium frequens esse S. Mater Ecclesia ingemiscit;) quid inde tandem in quo culpare Ecclesiam possint, extundent? numquid enim ideo legislator accusandus, quia sancitæ ab illo leges Sanctissimæ, a subditis temerario infringuntur? aut numquid exempla prava legis abolitæ argumenta sunt, si lege ipsa reprehenduntur? sic porro se res in præsenti habet; exempla si quærimus unctionis, vividis sensibus & integra mente susceptæ, turmatim ex remotissima antiquitate occurrunt, in *Tresano* presbytero, *qui oleum Sanctæ reconciliationis, cum cordis intima contritione & humilitate suscepit*: in Beata *Maura*, quæ gratiam hanc a *Prudentio Episcopo*, anxie jacens in lectulo petiit: in Sancta *Hunegunde*, quæ conversa ad eos qui assidebant presbyteros, *sacræ unctionis oleum, & Eucharistiam sibi petit ministrari*: in *Adelardo* Abbate Corbejensi, qui interrogatus utrum ne vellet benedictionis oleo, sicut est a Beato Apostolo sancitum, inungi? *erectis oculis in cœlum, obsecrabat ut fieret*: in *S. Osvvaldo* Eboracensi Episcopo, qui cum instare vitæ finem præsentiret, *regressus in Oratorium, convocatos fratres hortatus est, ut sibi ministerium sacræ unctionis impenderent, cum Viatico Dominici Corporis*: in *Leone* IX Pontifice Max. *qui cum intelligeret, non diutius retinendum se carnis ergastulo, decrevit, ut quoniam plures Episcoporum, Abbatum, cæterorumque fidelium effluxerant turmæ, eis præsentibus inungeretur sacri olei liquore*: in *S. Malachia* Episcopo, *qui Sancto se oleo jussit ungi, & sumpto deinceps Viatico, fratrum se orationibus, & fratres commendans Deo, ad lectum reversus est*: & denique in sexcentis aliis, quorum est in sacris annalibus mentio.

Quod si leges postulamus, vigent etiamnum veneranda patrum decreta, qui cum extremam unctionem, pro parte aliqua pœnitentiæ & complemento haberent; eam ex consequenti non secus ac pœnitentiæ Sacramentum, mente libera & integris sensibus, solo casu necessitatis excepto, debere suscipi procul dubio sentiebant: indeque est quod prisca ætate, Viatico Dominici corporis vulgo unctio ipsa præmitteretur: ut ex Conciliis *Aquisgranensi*, & *Moguntino*, 9 sæculo habitis, aliisque longeque pluribus certissimo constat.

Qui porro fuit olim, hodieque perdurat disciplinæ vigor ac spiritus: renovata identidem occasione obrepentis laxitatis decreta majorum depulsa in Concilio Trid. & sequentibus diversarum provinciarum Synodis, Lutheranorum & Calvinistarum calumnia: in *Burdegalensi*, an. 1582, in *Remensi*, an. 1583, in *Biturisensi* an. 1584, in *Mediolanensibus* sub S. Carolo habitis: & aliis bene multis, novo decreto sancitum, curare debere Parochos, *ut ægroto, dum integris est sensibus, extremæ unctionis Sacramentum adhibeatur: caveque providendum, ne vel*

mors

mors unctionem præveniat, vel morbo invalescente semimortuus non sentiat.

Quæritur 4. Quæ tanta disciplinæ veteris negligendæ causa esse potuerit?

℟. Præter generalem causam in nativa malignitate hominum positam, qua fit ut moribus in pejus ruentibus, contemnantur leges sanctissime constitutæ; peculiarem hujus rationem peti debere, hinc quidem ex naturali mortis horrore, cujus certa prænuncia, extrema unctio vulgo putatur; illinc vero ex stultis, non tam opinionibus, quam deliramentis, quæ sæculo circiter 13 spargi in vulgus cœperunt: volitabant enim per ora populorum rumores ridiculi, extrema semel unctione suscepta, nec convalescendi spem ullam esse residuam, nec facultatem condendi testamenti manere, nec matrimonii, nec carnium usum licitum esse: indeque secutum est, ut ab ejus petitione populi abhorruerint, & ad ultimum usque instans distulerit. *Verisimile est*, inquit doctissimus Mabillonius, (*in annalibus Benedictinis præfat. ad 1 sæculum*) *ob ea vulgi deliramenta unctionem infirmorum in mortis articulum reservari cœpisse, ac sensim hunc usum in omnes Ecclesias fuisse propagatum. Indeque forte contigit, ut sæculo decimo tertio contra observatam hactenus disciplinam, Sacræ Unctioni Viaticum præmissum fuerit.*

Novitati equidem, quoad fieri potuit obstitit zelus pastorum. Sic enim Richardus Episcopus Satisbetiensis, in constitutionibus editis an. 1217, c. 68, *Dicant etiam*, inquit, *ac denuncient confidentes Sacerdotes, quod post susceptum hoc Sacramentum, licitum est reverti ad opus conjugale* .... & Synodus Vigorniensis, an. 1240, cap. 19, " Sunt autem, „ *ait*, quidam, ut audimus, qui post perce„ptionem hujus Sacramenti, sanitati pristinæ „ restituti, nefas reputant, vel uxores suas „ cognoscere, vel carnes comedere ... Ho„rum autem errorem, utpote doctrinæ Sa„cræ contrarium execramur, & eos excom„municationibus & monitionibus duximus es„se corrigendos .... " idemque iterum in Synodo *Exoniensi*, an. 1287, & *Wintoniensis* an. 1307, pari auctoritate sancitum. Verum, ut ingenue fatear, votis pastorum, exitus non plene respondit: quantalibet enim eorum vigilantia fuerit, natæ in Britannia majori stultæ opiniones, sensim de gente in gentem, & de Regno in populum alterum proruperunt: (adeo difficile est populares superstitiones evellere:) hocque magis, errore prævalente, difficultas crevit, fideles ad priscam & sanctiorem disciplinam revocandi.

„ ¶ Hac nostra ætate, subdit appositissi„me Benedictus XIV P. M. *lib. laudato* c. „ 22, liberi profecto sunt fideles ab enarratis „ præjudiciis: & nihilominus humani generis „ hostis hanc plerisque rudibus, & ignaris „ mentem injecit, ut credant, actum esse de „ vita illius, qui Sancto Oleo est inunctus, „ & solum ei superesse sepulchrum, ex quo „ fit, ut a Sacra unctione, perinde ac ab ipsa „ morte abhorreant. Opportunum idcirco, & „ perutile erit, ut Episcopus in sua synodo, „ aut synodali instructione hunc detestandum „ errorem e rudium hominum mentibus evel„lere satagat, quod nos pro nostro Pastora„li munere præstare curavimus *in nostra no„tif.* 22. Quo vero facilius propositum sibi fi„nem assequatur, suæ Synodali instructioni „ rationes inserat, propter quas non decet „ ejusmodi Sacramentum ad tempus differri, „ quo *jam jam animam in primoribus labiis „ laborat*, sicut nobis exprobrabat impius Cal„vinus *l. 4 instit. c.* 19, occasionem inde „ arripiens nobis illudendi, *quia non infirmos*, „ ut ipse calumniabatur, *sed semimortua ca„davera pinguedine inficimus*. Prima autem „ ratio illa est, quam ad rem, de qua agi„mus, fidelibus insinuari voluit synodus Bur„digalensis an. 1583, Parochis præcipiens: „ *current etiam crebris monitionibus imperi„tum vulgus ab illa inani, & impia opinio„ne abducere, qua plerique sinistre de hujus „ Sacramenti virtute sentiunt, perinde ac si „ mortem ægri acceleret; cum certum sit ex „ Apostoli doctrina Deum, non animæ tan„tum, verum etiam corporis, si expedierit, „ virtute hujus Sacramenti salutem conferre „ &c.* " Quod subinde comprobat etiam verbis *Ritualis Argentinensis*: additque: „ Enim„vero cum inter cæteros, quos extrema un„ctio producit effectus, causet etiam corpo„ris valetudinem, si hæc conferat ad animæ „ salutem, quod non solum eruitur ex sæpius „ allegatis verbis Apostoli Jacobi, sed liqui„do constat ex Sacramentario S. Gregorii „ M. .... Idcirco ad inungendum infirmum „ expectanda non est ultima ejus vitæ perio„dus, qua extremum agat spiritum: hunc „ enim effectum non operatur Sacramentum „ per modum miraculi, quod in illis circum„stantiis esset necessarium, sed virtute qua„dam, supernaturali quidem, sed quodam„modo ordinaria, quæ causas naturales ad„juvat &c. "

„ Altera ratio, qua efficacius alliciendi sunt „ fideles ad extremam Unctionem celeriter „ petendam, & recipiendam, priusquam sen„sibus & mente destituantur, desumenda est „ ex aliis nobilioribus effectibus, quos eadem „ in decumbentium anima operatur &c. Con„cilium Trid. *loco cit.* extremæ Unctionis Sa„cra-

„ cramento non solum attribuit virtutem cau„ sandi corporis sanitatem; sed cæteros ejus„ dem effectus singulatim enumerans hæc ha„ bet: " *Res porro, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur : & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei &c.* Et posteaquam constituit hæc peccata, quæ per Sacramentum dimittuntur, esse tum venialia, tum etiam lethalia ignorata &c. subjungit: „ Jam vero neutrum effectum potest „ extrema unctio operari sine aliquo pio ipsius „ suscipientis actu: nec enim peccata venia„ lia remittit absque aliqua eorumdem displi„ centia, nec lethalia delere valet, sine eo„ rumdem detestatione, eaque saltem imper„ fecta contritione, quæ est necessaria ad ve„ niam, & justificationem assequendam in „ Sacramento Pœnitentiæ &c. Ejusmodi au„ tem actus, cum certe elicere nequeat, qui „ est sensibus destitutus &c. utroque sane Sa„ cramenti effectu fraudatur ".

Quæritur 5. Utrum quodlibet urgens mortis periculum, causa sufficiens sit extremæ unctionis petendæ ac concedendæ?

℞. Negative. Tale namque debet esse, ut ex morbo præsenti nascatur: prout ex tenore legis compertum est: *infirmatur quis in vobis?* Alioquin enim si propter varios casus quibus rotatur humana vita, diversaque ejus amittendæ discrimina, unctionem petere liceret, nullum tempus esset, quo non æqua ejus postulatio foret; quia cuivis homini quantumvis robusto ac vegeto, potest dies quævis esse suprema: standum itaque legis præscripto, nec aliis conferenda, quam actuali morbo affectis. *Nemini igitur*, ait Concilii Trid. Catechismus, (*part.* 2, *de Extr. Unct. num.* 9) *qui graviori morbo affectus non sit, Sacramentum unctionis dare licet; tametsi vitæ periculum adeat, vel quia periculosam navigationem paret, vel quia prælium initurus sit, a quo illi certa mors impendeat, vel etiamsi capitis damnatus, ad supplicium raperetur.* Eamdem regulam statuit Concilium Mediolan. 4, S. Carolus in instructionibus de Extrema Unctione, & diversarum provinciarum Concilia. Quod autem de cæteris dictum est, de mulieribus ipsis in partu laborantibus accipi debet, nisi sit mortis periculum evidens.

¶ His opponi possunt exempla quædam ex probatis historicis a Martene prolata *loco supra citato*, nempe *Odiliæ* filiæ Comitis Herimanni, & Mathildis, quæ a Ricardo Abbate Monasterii S. Vitoni de futura sequenti die ejus morte præmonita, licet corpore sana *nullam gravedinem* pateretur, attamen *liquore Sancti Olei inuncta .... inter verba orationis læta spiritum efflavit*, uti narrat Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi: cujusdam Monachi, qui, ut apud Mabillonium *sæculo* 6. *Bened. pag.* 2 legitur, post Nocturnos festi S. Martini divinitus admonitus de proxima sua morte, revelationem Abbati patefecit, a quo sacro oleo inunctus, *& divinis munitus mysteriis, sanus, & incolumnis cum cæteris in Conventu versatus* sequenti die obiit: cujusdam *Cinguriani* fratris laici, qui pariter corpore sanus, *oleo sancto unctus*, ut rogaverat, mox e vita decessit, ut refert Mabillonius idem sæculo 1 in vita S. Gildasii: quibus adjungi potest exemplum S. Heduvigis quæ, ut in ejus vita narratur cap. 8, priusque ægrotare cœpisset, extremæ unctionis Sacramento muniri voluit. Ex his ergo colligitur etiam in Ecclesia latina extra infirmitatis casum hoc sacramentum fuisse collatum, riteque ac recte posse aliquando conferri.

℞. Hæc exempla communi Ecclesiæ doctrinæ, ac praxi non posse adversari. Extraordinaria quippe sunt, & profecta vel ab ignorantia illius doctrinæ, vel ab aliquo peculiari afflatu Spiritus Sancti homines interdum a legibus Providentiæ ordinariæ solventis, prout opportune adnotat Author citatus vitæ S. Heduvigis, inquiens: *hoc tamen, quod hic diximus, admirandum potius est quam imitandum, cui Spiritus Domini per revelationem tribuit efficaciam, & in quo, ut pie creditur, sancta devotio dispensavit.* Possumus etiam dicere in prædictis rerum circumstantiis, eos, qui de proxime sequuta morte divinitus admoniti fuere, jam tum cæpisse lethali morbo interius laborare, quo cito ad interitum properarent, quamquam exterius sani, & incolumes apparerent. Quocirca potuit his Sacramentum extremæ unctionis administrari eodem titulo, ac ratione quo a Concilio Mediol. 4 infra citando statutum est, assentientibus etiam Theologis, ut dispensetur senibus, qui præ decrepita ætate, quamquam nulla alia speciali afficiantur ægritudine, in dies morituri creduntur: ipsa quippe longæva senectus, infirmitas quædam est interiora vitæ organa labefactans, & ad interitum proxime disponens. ¶

Quæritur 6. De senibus quid dicendum?

℞. Extrema unctione donandos, qui senio sunt confecti, etiamsi sani videantur: ipsa enim de se senectus, periculosus est morbus, eo gravior quo insanabilior, & mortem propediem allaturus: *Parochus*, ait Concilium Mediolan. IV sub S. Carolo: (*Tit.* 6, *de extr. Unct.*) *extremæ unctionis Sacramentum sicut his ministrare debet, adultis scilicet periculose ægrotantibus, propeque moribundis; senio confectis etiam non ægrotis, in diem morituris:* ita

ita istis ne ministret, nempe pueris, rationis usu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiscentibus, navigantibus, peregrinantibus, & iis qui mox ultimo supplicio mulctandi sunt.

Q. 7. Utrum phreneticis, furiosis, & post nativitatem amentibus debeat ministrari?

R. Cum distinctione: vel enim hujusmodi lucida habent intervalla, quibus ratione utuntur, vel non: si primum; non est dubium, quin beneficio Unctionis donari possint ac debeant: si secundum; iterum distinguo: vel enim iis unctio fieri commode, & sine periculo irreverentiæ potest, vel non: si nullum tale periculum sit, & aliunde de fide eorum ac religione bene præsumitur; omnino ungendi videntur: nulla namque est causa cur eis gratia denegetur, quam si sui ipsorum compotes essent anxie peterent: quod si periculum irreverentiæ immineat, dimittendus divinæ misericordiæ ægrotus, juvandus Ecclesiæ precibus; sed ab administratione Sacramenti est abstinendum: *ad effectum hujus Sacramenti percipiendum*, ait S. Thomas, (*in Sup. quæst.* 32, *art.* 3) *plurimum valet devotio suscipientis, & personale meritum conferentium, & generale totius Ecclesiæ: quod patet ex hoc quod per modum deprecationis forma hujus Sacramenti confertur: & ideo illis qui non possunt recognoscere, & cum devotione suscipere hoc Sacramentum, dari non debet, & præcipue furiosis & amentibus, qui possent irreverentiam Sacramento per aliquam immunditiam facere: nisi haberent lucida intervalla, quibus Sacramentum cognoscerent, & sic eis conferri in statu illo posset* . . . parique sensu S. Carolus: (*in instructionibus*) *infirmis*, ait, *qui sana mente dum erant, illud petierunt, aut verisimile est, quod petissent; etiam si postea in amentiam inciderint, vel ratione sermoneve uti desierint, ministrabitur: si vero dum infirmus amentia phrenesive laborat, verisimile sit quod indecore, aut spurce, impureve aliquid agat, quo irreverentia Sacramento huic fiat; non ungetur, nisi alicujus complexu ita teneatur, ut firmus, stabilisque hæreat* . . . . . *eadem Ritualis Romani responsio est.*

¶ Q. 8. An pueris conferri debeat hoc Sacramentum.

R. Quæstionem hanc negative resolvit S. Thomas in supplem. q. 32, a. 4, duplici fundamento nixus; primo scilicet, quod nulli administrari debeat hoc Sacramentum, cui non competit forma Sacramenti. Porro Sacramenti forma pueris competere nequit, utpote qui non deliquerunt per visum, & auditum, ut in forma exprimitur. Altero, quod hoc Sacramentum exigat in suscipiente devotionem actualem, sicut & Eucharistia, cujus pueri capaces minime sunt. *Unde*, concludit, *sicut Eucharistia non debet dari pueris; ita nec hoc Sacramentum*. Ut nemo non videt, loquitur S. Doctor de pueris qui nondum ad usum rationis pervenere: de iisdemque locutus est, idemque statuit communem sententiam sequutus S. Carolus Borromæus in suis instructionibus (p. 4 *Act. Eccl. Mediol.*) dicens: *ministratur hoc Sacramentum* (extremæ unctionis) *adultis periculose ægrotantibus* . . . . *At non infantibus, puerisque qui nullum adhuc rationis usum habent, neque peccata admittunt*. Neque aliam unquam fuisse praxim Ecclesiæ Martene ostendit *cit. l.* 1 *de Antiq. Rit.* Quare audiendi non sunt, si de unctione Sacramentali loquantur, Nicolaus Cusanus, & Maldonatus, qui olim etiam infantes *infirmorum oleo* inungi consuevisse pronunciant.

Verum quænam ætas expectanda in pueris est, ut hoc Sacramento donentur? Quæstionem erudite discutit, ac sapienter resolvit Benedictus XIV *cap.* 21, *l.* 7, *de Synodo Diœces.* Ex quo nonnulla huc corrivare lubet. Docet itaque in primis expectandam non esse ætatem quatuordecim annorum, quam exigere videntur plures Synodales Constitutiones relatæ ab eodem Martene, ac Provinciale Anglicum editum a Lindevvode *lib.* 1, *de Sacra Unct.* quamquam revera haud absolute exigant talem ætatem, sed eos *maxime* inungendos statuunt, qui ad eam pervenerunt. Multoque minus expectanda ætas est annorum octodecim, quam omnino requirunt Codex antiquus S. Martini Turonensis, a Martene productus, & Fridericus Nausea Episcopus Viennensis in suo *Catechismo lib.* 3, *c.* 107.

Hinc docet 2, pueros posse sacra unctione liniri statim ac compotes rationis dolique ac mali capaces judicantur, si gravem morbum incurrant. Quod confirmat statutis synodalibus Ecclesiarum *Cadurcensis*, *Ruthenensis*, & *Tutelensis* laudatis *Tomo* 4 *Anecdot. Martene*, & *Durandi*, & Ecclesiæ Argentinensis rituali edito nupperrime ab Emin. Cardinali de Rohan, in quo *tit. de extrem. Unct.* §. 2, dicitur: *Non denegetur etiam* (hoc Sacramentum) *pueris, si septimum attigerint annum, nec iis, in quibus malitia supplet ætatem, etiamsi septenarii non sint*. Quare minime approbandam censet synodalem Constitutionem a Germano Valente Quellio Episcopo Aurelianensi an. 1587 promulgatam, in qua decernitur: *non detur hoc Sacramentum pueris, qui nondum communicaverunt*. Etenim quandocumque capaces existimantur Sacramenti Pœnitentiæ, idonei pariter reputandi sunt ad extre-

tremam recipiendam unctionem, quæ illius complementum est; tametsi non ea polleant adhuc maturitate judicii, quæ ad participationem Sacramenti Eucharistiæ creditur necessaria. Hinc laudat, & approbat Pastorale Mechliniense a Vanespenio relatum *par.* 1, *tit.* 8, *c.* 2, *n.* 9, in quo, post prolata Romani Ritualis verba: *non ministretur pueris usum rationis non habentibus*, apposite subditur: *Secus de pueris periculose ægrotantibus, qui peccati mortalis, ac confessionis capaces sunt, licet sint solum octo, aut novem annorum, & quamvis nunquam communicaverint.*

Q. Ultimo: quid si aliquis morbo sive casu aliquo sic oppressus sit, ut quamvis adhuc vivat, petere tamen sibi extremam Unctionem non possit?

R. Concedi debere, si dum rationis usum haberet, pietatis signa dederit, ut inde judicium sit, eum si suimet compos esset, unctionem petiturum. *Concilio 1 decretum est*, ait S. Carolus, (*in Conc. Mediol.* 3) *ut dum æger integris est sensibus, extremæ Unctionis Sacramentum ei ministretur: si tamen vel curantium negligentia, vel morbi vi, vel repentino aliquo casu sensum omnem amiserit, ut nihil plane intelligat; illius decreti sententia vetitum non esse declaramus, quin hoc extremæ Unctionis Sacramentum ei ministrare liceat; si modo adhuc vivus, & dum usum rationis haberet, pii animi significationem dederit, ut inde judicari possit, eum hoc Sacramentum petiturum, si adhuc integra mente esset.*

Eaque communis Theologorum opinio est, a S. Aug. doctrina paululum differens; sentiebat enim S. Doctor, baptismum & pœnitentiam, iis qui præ morbi subitanei violentia penitus obmutescerent, concedi debere, quantumvis flagitiosam vitam egissent, nec ulla conversionis aut pœnitentiæ signa dedissent: unde verosimillimum est, si pari, de extrema unctione, interrogatione pulsatus esset, haud aliter ac de baptismo & Sacramento pœnitentiæ responsurum; *ego*, inquit, (*lib.* 1 *de adulterinis conjugiis cap.* 28) *non solum alios Catechumenos, verum & ipsos qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore in his permanentes, non admittimus ad baptismum; tamen si desperati, & intra se pœnitentes jacuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur: quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad baptismum statuerant detineri? si autem ab illa desperatione recreati potuerint vivere, aut facient quod statuerant; aut edocti obtemperabunt; aut de contemptoribus fiet, quod fieri etiam de baptizatis talibus debet: quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit: nec ipsos enim ex hac vita, sine arrha suæ pacis exire, velle debet mater Ecclesia* ..... pauloque altius (*ib. c.* 26, & *seqq.*) objectionem refellens petitam ex debita Sacramentis reverentia: *sunt*, inquit, *qui vel in his, vel etiam in aliis observandum putant, quod dixisse Dominum legimus*: nolite Sanctum dare canibus, neque projeceritis margaritas vestras ante porcos. *Et ista Salvatoris verba referentes baptizare non audent eos qui pro se respondere nequiverint, ne forte contrarium gerant voluntatis arbitrium .... sed non solum incredibile est, nec in fine vitæ hujus baptizari catechumenum velle: verum etiamsi voluntas ejus incerta est; multo satius est nolenti dare, quam volenti negare; ubi velit an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potius fuisse dictu rum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit, non se oportere de corpore exire: si autem Dominus ubi ait*; nolite dare Sanctum Canibus; *hoc quod isti cavendum putant vellet intelligi, non ipse suo traditori dedisset, quod in suam ille perniciem sine culpa dantis, cum dignis indignus accepit.*

Hæc autem S. Doctoris verba, cum præjudicio contrariæ opinionis intelligi nolumus, quod nec Augustinus ipse volebat: *non tamen*, inquit, (*ib. cap.* 26) *propterea damnare debemus eos qui timidius agunt, quam nobis videtur agi oportere; ne de pecunia conservo credita improbius, quam cautius judicare voluisse judicemur: satis quippe in talibus respiciendum est illud Apostoli ubi dicit*: unusquisque nostrum pro se *rationem reddet Deo*.

CAPUT SECUNDUM.

De necessitate extremæ Unctionis.

Quorumdam resolutione dubiorum hæc altera quæstionis pars absolvetur.

Q. 1. Utrum extremæ Unctionis suscipiendæ præceptum aliquod sit?

R. Et divinum & Ecclesiasticum esse: divinum quidem manifesto his verbis expressum: *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, &c.* cum enim quidquid ibidem de materia, forma, & ministro Unctionis præscribitur, divinum mandatum importet, quod sine Sacramenti irritatione mutari nequeat, vel infringi: idem de his verbis putandum: *inducat presbyteros Ecclesiæ*: atque adeo pertinent

tinent ad divinum præceptum, nec ad merum consilium potest vera eorum interpretatio intorqueri; quod si cui non sat demonstratum videtur, attendat ad rei promissæ gravitatem ac magnificentiam: *oratio*, inquit, *fidei salvabit infirmum*, *& alleviabit eum Dominus*: *& si in peccatis sit, remittentur ei*: numquid enim pro simplici Dei consilio haberi potest, ut remedium ejus indulgentia adversus peccata paratum quæramus?

Jam de præcepto Ecclesiastico non est dubium: plana namque sunt sæpe allegata patrum & conciliorum decreta, quibus infirmos debere inungi mandatur; quæque proinde nequeunt sine salutis dispendio violari: hinc merito Concilium Coloniense decrevit, (*an.* 1549) *privandos esse Ecclesiastica sepultura*, *qui hoc Sacramentum contempserint*: peccati ergo lethalis rei fierent, qui a pastoribus moniti, vel renuerent, vel temerario differrent illud suscipere; quia remedium Dei auctoritate, ad abstergendas peccati reliquias institutum negligerent, & imperium ejus nihili facere convincerentur.

Q. 2. Utrum extrema Unctio sit necessitate medii necessaria?

R. Negative: hac enim ratione necessarium dicitur, sine quo finis obtineri nequit: atqui sine extrema Unctione finis, salus nimirum æterna obtineri potest: qui enim justus est, & Dei amicus, procul dubio salutem consequi potest, & revera consequitur, si in hoc justitiæ statu moriatur: atqui sine extrema Unctione homo potest esse justus & Dei amicus: nam juxta communem cursum extrema Unctio in ægroto amicitiam cum Deo, gratiam scilicet sanctificantem supponit. Ergo &c.

Q. 3. Utrum extrema unctio possit iterari?

R. Affirmative: omne enim Sacramentum characterem non imprimens, sæpius potest in eodem subjecto repeti: atqui extrema Unctio characterem non imprimit: ergo sæpius iterari in eodem subjecto nil vetat.

Objectio.

Quæstio hæc plerosque graves magistros, & præcellenti ingenio viros 12 sæculo secum invicem commisit, aliis, uti revera est, propugnantibus, bis uni & eidem, atque etiam sæpius, occurrente casu, unctionem conferri posse, aliis contendentibus semel, nec amplius dari debere: *non mediocriter errant*, inquiebat Goffridus Vindocinensis, (*lib.* 2 *Epist. Ep.* 19 *ad Yvonem Carnutensem*.) *qui unctionem infirmorum iterandam putant*: ejusdemque sententiæ Yvo Carnutensis: *Unctionem infirmorum*, ajebat, (*ib. Epist.* 20) *non æstimo repetendam*: momentum vero quo præcipue nitebantur hoc erat: aliæ quæ ex divino & Ecclesiastico ritu fiunt unctiones initerabiles sunt: ergo nec unctio infirmorum repeti potest: *cum Unctio baptismatis*, inquiebant adversarii, apud Petrum Abbatem Cluniacensem, (*lib.* 5, *Ep.* 7) *cum Unctio confirmationis*, *cum unctio Sacerdotalis*, *cum unctio Pontificalis*, *cum unctio Ecclesiarum*, *cum unctio Ecclesiasticorum vasorum simplex sit*; *cum nullo deinceps tempore iteretur*: *qua ratione sola infirmorum Unctio non solum apud quosdam geminatur*, *sed insuper quibusdam infirmis*, *frequenter per diversa tempora in morbis recidentibus*, *nullo servato numero datur*?

R. Concedo ant. & neg. conseq. & paritatem: aliæ namque Unctiones non iterantur, quia per modum consecrationis fiunt, vel quia earum aliquem effectum perennem habent, ut in baptismo & confirmatione: porro quod semel Deo est consecratum, tale in æternum manet, & cujus effectus perpetuus est, iteratione non indiget: at vero unctio infirmorum, non ad consecrandum, sed ad medicandum fit: deinde non habet effectum perpetuo permanentem: iterari ergo sæpius, casu occurrente potest: rem sic explicat Petrus Cluniacensis ad prædictam objectionem respondens: *qui hoc cogitat*, inquit, (*ibid.*) *vel qui hoc objicit*, *attendat non solum unctionum illarum simplicitatem*: *sed*, *quod majus est*, *simplicitatis scrutetur & intelligat rationem*: *ut quid enim jam baptizatus inungitur*, *nisi ut jam collata*, *non conferenda baptizato*, *per spiritum Dei*, *peccatorum remissio demonstretur*? *hoc quia semel factum sufficit*, *quia semel remissa peccata simplex sacri Chrismatis unctio ostendit*, *iterandam esse nulla ratio persuadet*: *sed cur & illa quæ ab Episcopis fit confirmationis unctio non iteratur*? *non iteratur plane hac ratione*, *quia semel Christianus post baptismum*, *armis spiritus Dei*, *per illam unctionem advocati*, *contra satanæ mundique bella munitus*, *alio rursus spiritu*, *vel aliis armis*, *illa simplici unctione muniri non posse monstratur*: *sed cur non iteratur & illa qua Sacerdoti cælestia sacrificia sacraturo & tractaturo manus inunguntur*: *illaque qua Pontificis caput*, *dum ordinatur*, *largiore Chrismatis inundatione perfunditur*? *Sed nulla est causa*, *hoc rursum agendi*: *Sacramentum enim quod semel a spiritu Dei accipiunt*, *etiam judicio Ecclesiæ ab officio suspensi vel depositi*, *nullo pacto perdere possunt*: *eadem fere & de ipsa rerum insensibilium unctione ratio redditur*, *quia nec corporalis Ecclesiarum fabrica*, *nec sacrorum vasorum præparatio*, *bina vel ter-*

terna unctione indiget . . . . his de causis in Dei Ecclesia, nulla jam dictarum unctio iteratur: at de infirmo alia lex, alia de infirmorum frequenti unctione ratio demonstratur: iterari enim necesse est infirmorum unctionem, quia iterari necessarium est peccatorum, propter quam illa fit unctio, remissionem.

Q. 4. Utrum etiam pro eadem infirmitate possit iterari?

R. 1. Juxta præsentem Latinæ Ecclesiæ disciplinam, in eadem infirmitate repeti posse, si convaluerit ægrotus, & in idem postea periculum relapsus fuerit: quamdiu vero idem ægritudinis status est, sat esse semel inungi: *si infirmi*, inquit Concilium Trid. (*Sess.* 14, *cap.* 3 *de extr. Unct.*) *post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint . . . .* Catechismus Concilii: (*par.* 2, *de extr. Unction. n.* 11) *illud observare oportet, in una eademque ægrotatione, cum æger in eodem vitæ periculo positus est, semel tantum ungendum esse: quod si post susceptam hanc Unctionem æger convaluerit, quoties postea in id vitæ discrimen inciderit, toties ejusdem Sacramenti subsidium ei poterit adhiberi . . . .* eadem S. Thomæ doctrina est, quam sic explicat: (*Supp.* 3 *part. qu.* 33, *art.* 2 *in corp.*) *hoc Sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum; quia non debet dari, nisi infirmis qui secundum humanam æstimationem videntur morti appropinquare: quædam ergo infirmitates non sunt diuturnæ: unde si in eis datur hoc Sacramentum, tunc cum homo ad illum statum perveniat, ut sit in periculo mortis, non recedit a statu illo, nisi infirmitate curata: & ita iterum non debet inungi: sed si recidivum patiatur, erit alia infirmitas; & poterit fieri alia inunctio: quædam vero sunt ægritudines diuturnæ, ut hectica, & hydropisis, & hujusmodi: & in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis: &, si homo illum articulum evadat eadem infirmitate durante, & iterum ad similem statum per illam infirmitatem reducatur; iterum potest inungi, quia jam est quasi alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter.*

R. 2. De hac re nihil antiqua Ecclesiæ disciplina sancitum: imo liberum unicuique fuisse, eodem infirmitatis statu manente, pluries ungi, haud leve ex S. Gregorii M. Sacramentario petitur argumentum: ubi unctione memorata, *deinde*, inquit, *Sacerdos communicet eum* (infirmum videlicet:) *& sic faciat illi per septem dies, tam de communione, quam de alio officio: & suscitabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, dimittetur ei*: septem ergo diebus continuis pro una eademque infirmitate, unctio Gregorii ætate fiebat: adeoque pluries Sacramentum repetebatur: & vero ratione habita ipsius in se Sacramenti, quod pœnitentiæ complementum & quasi appendix est, tam videtur posse sæpius repeti, quam pœnitentia ipsa: nec quidquam obstat quominus & peccatorum remissio, & restitutio corporalis sanitatis, qui duo ejus effectus sunt, sæpe a Deo iteratis unctionibus & mysticis precibus postulentur: quod ergo semel tantum, uno manente statu infirmitatis unctio fiat, disciplinæ res est, ad nutum Ecclesiæ mutationi obnoxia.

Q. Ultimo, quæ dispositiones ad ejus susceptionem necessariæ sint?

R. Alias esse remotas, alias proximas.

De remotis, initio quæstionis prædictum est, ubi observavimus hoc Sacramentum non posse nisi baptizatis, adultis, & qui ante rationis usum amentes non fuerint ministrari.

Proximæ, tres potissimum numerantur.

1 Est, ut vere sit pœnitens qui hoc Sacramentum deposcit: est enim extrema unctio pœnitentiæ, & totius christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum a patribus appellata: frustra ergo, & magis ad condemnationem quam ad salutem recipitur, si non a vero pœnitente recipitur: itaque debet præcedere, quoad fieri potest, peccatorum omnium, quorum conscientia & memoria est, confessio, & absolutio Sacerdotis: *quoniam*, inquit S. Carolus, (*Act. part.* 4, *in instr. de extr. Unct.*) *nihil Sacramenti gratiam magis impedit, quam mortiferi alicujus peccati conscientia; idcirco in eo ministrando, usum consuetudinemque hanc tenebit* (Sacerdos) *ut, si fieri potest, infirmum non ante ungat, quam peccata confessus sit*: quod si tanta morbi vis & acerbitas fuerit, ut non possit ægrotus injustitias suas Sacerdoti Domini confiteri; tunc satis futurum est, quod ab eo ad internum peccati dolorem, & detestationem vehementissimam excitetur, atque ita supremi sententia judicis, Sacerdotis ejus visibili ministerio, mereatur absolvi. Si vero adeo extremus sit morbus, ut nec verbo, nec signo ullo possit ægrotus internum cordis dolorem exprimere, tum Dei, qui scrutator est cordium, misericordiæ est dimittendus: sed non ideo frustrandus est Sacramento: *multo namque satius est*, ut ex S. Aug. prædiximus, *nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit, non apparet; attamen credibilius est, eum, si posset, velle se potius dicturum fuisse.*

De his vero qui aut notorie excommunicati, aut in ipso gravis peccati actu, morte inter-

tercipiuntur, certum est quod omnino ungi non debeant: *impœnitentibus*, ait rituale Romanum, *& qui in manifesto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis, & nondum baptizatis penitus denegetur.*

2 Est, fides viva divinæ misericordiæ, & obtinendæ salutis summa fiducia, in Christi promissionibus fundamentum habens: *oratio fidei salvabit infirmum: alleviabit eum Dominus: & si in peccatis fuerit, remittentur ei*: „ ea fide, *ait S. Carolus*, se ungendum præ„ beat, qua olim qui a Sanctis Apostolis sa„ nandi erant ": (*actor. part.* 4)

3 Est, ardens cœlestis patriæ desiderium, quo anima æternitati vicina, cupit quidem, si ita Deo visum fuerit, corporalis sanitatis restitutionem; sed multo magis cupit dissolvi & esse cum Christo, jamque in rerum contemplatione absorpta, *quam dilecta*, ait cum propheta, *tabernacula tua, Domine virtutum! concupisco & deficio in atria Domini: Lætata sum in his quæ dicta sunt mihi, in Dominum Domini ibimus: stantes erant pedes nostri, in atriis tuis Jerusalem*: & cum S. Proto-Martyre Stephano; *ecce video cœlos apertos, & Jesum stantem a dextris Dei*.

QUÆSTIO SEXTA.

De extremæ unctionis effectibus.

Cum de hujus Sacramenti effectibus toto passim libro dixerimus, hoc brevior quæstio præsens futura est. Sit igitur

ASSERTIO UNICA.

Effectus extremæ unctionis his scripturæ verbis exprimuntur: Oratio fidei salvabit infirmum: alleviabit eum Dominus: &, si in peccatis sit, dimittentur ei.

Ita Concilium Trid. " res porro, *inquit*, „ (*sess.* 14, *cap.* 2, *de extr. unct.*) & effe„ ctus hujus Sacramenti, illis verbis explica„ tur, *& oratio fidei salvabit infirmum &c.* „ res etenim hæc gratia est Sp. Sancti, cujus „ unctio delicta, si quæ sunt adhuc expianda, „ ac peccati reliquias abstergit, & ægroti a„ nimam alleviat & confirmat, magnam in „ eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, „ qua infirmus sublevatus, & morbi incom„ moda ac labores levius fert, & tentationi„ bus Dæmonis, calcaneo insidiantis facilius „ resistit, & sanitatem corporis interdum, „ ubi saluti animæ expedierit, consequi„ tur ".

Ita Concilium Trid. cujus doctrinam, simul & effectus extremæ unctionis ut paulo uberius explicemus, sit

COROLLARIUM PRIMUM.

Fidei est, per extremam unctionem, quando digne suscipitur, peccata remitti.

Si quis dixerit, ait eadem S. Synodus, (*ibid. can.* 2) *Sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos . . . . . anathema sit*: quo quidem decreto vesanus Lutheri & Calvini error damnatus est, negantium unctionis ad peccata abolenda ullam esse virtutem: " non ne„ gamus, *ajebat Lutherus* (*lib. de captiv. Babyl.*) per extremam unctionem dari remis„ sionem & pacem: non quia Sacramentum „ sit divinitus institutum; sed quia suscipiens „ ita credit sibi fieri . . . . . *Calvinus vero*: „ (*lib.* 4 *inst. cap.* 19) Jacobus dicit: ubi „ oleo unctus fuerit infirmus, & precatio con„ cepta fuerit super eum, si in peccatis fue„ rit, remissum iri . . . . . . non intelligens „ pinguedine deleri peccata, sed fidelium ora„ tiones, quibus affectus frater Deo commen„ datus fuerit, non fore irritas . . . . isti per „ sacram suam, id est abominabilem unctio„ nem peccata remitti, impie mentiuntur ".

Patet porro corollarii veritas:

1. Ex verbis Jacobi: *si in peccatis sit remittentur ei*.

2. Ex præscriptione qua certum est, Ecclesiam ab omni retro ætate, peccatorum remissionem ungendo infirmos, pro iis præcipue postulasse.

3. Ex Testimoniis Patrum quæ sæpe attulimus, quæque denuo exscribere superfluum foret.

4. Ex Græcorum cum Latinis consensione.

COROLLARIUM SECUNDUM.

Extrema unctio per se primo, sive ex primaria Christi instituentis intentione, peccata mortalia non remittit, sed secundario tantum.

Ut recte corollarium istud intelligatur, attendendum duplici ratione peccata per Sacramenta remitti, scilicet, per se primario, & per se secundario; Sacramentum per se primo peccata mortalia remittit, quod principali Christi intentione ad peccatorum expiationem directum est: cujusmodi sunt, baptismus & pœnitentia: illud vero per se secundario peccata remittit, quod ad eorum expiationem primo ordinatum non est, sed ad specialem quemdam gratiæ modum ac gradum: cujusmodi e. c. Euchari-

charistia est: cum enim gratiam spiritualis nutritionis producat, quæ simul cum peccato constare nequit: consequens est, ut peccata deleat, si quæ sint latentia in homine aliunde bene præparato, quorum conscientiam non habeat: hoc prænotato, probamus Corollarii veritatem.

1. Communis & constans Ecclesiæ doctrina est, duo tantum esse Sacramenta mortuorum, baptismum scilicet & pœnitentiam. Ergo extrema unctio per se primo, sive ex primaria Christi intentione peccata mortalia non remittit: alioquin foret ex se Sacramentum mortuorum, quod repugnat Ecclesiæ sensui.

2. Concilii Trid. definitio est, lapsis post baptismum necessarium esse necessitate medii pœnitentiæ Sacramentum; atqui hoc dogma non videretur posse consistere, si extrema unctio peccatis mortalibus remittendis, per se primo & ex principali Christi intentione sufficeret. In hac enim hypothesi possent peccata mortalia sola unctione, secluso Sacramento pœnitentiæ, expiari: ergo &c.

3. *Sacramentum*, inquit S. Thomas, (*suppqu.* 30, *art.* 1, *in corp.*) *institutum per modum medicinæ, non est per se primo comparatum ad illud tollendum defectum, quo spiritualis vita tollitur. Quemadmodum enim medicina corporalem vitam supponit; ita & spiritualis, spiritualem. Atqui extrema unctio est quædam spiritualis sanatio vel medicatio, sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio, & pœnitentia, quædam spiritualis suscitatio: cum igitur per peccatum mortale vita spiritualis extinguatur, fatendum ad ejus remissionem per se primo extremam unctionem non ordinari.*

COROLLARIUM III.

Extrema unctio per se peccata venialia remittit: an autem per se primo, aut secundario tantum? lis est inter Theologos.

Constat prima pars Corollarii, 1 ex ipsis Jacobi verbis: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei*: quæ ut minimum debent de venialibus accipi, sine quibus hæc vita non ducitur, quorumque remissione tunc maxime opus habet homo Christianus, cum ex hac vita jam jam discessurus, sisti debet ante tribunal summi judicis, secundum ea quæ in corpore gesserit, judicandus: 2 ex ipsa forma in hoc Sacramento adhiberi solita: *indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum* &c. præsertim cum delinquendi vocabulo plerumque in scripturis minora peccata significentur; qualia sunt, infirmitatis, ignorantiæ, obreptionis &c.

An autem extrema unctio per se primo venialia peccata remittat? lis est, ut prædixi, Theologorum, ab Ecclesia nondum judicata.

S. Thomas negativam partem tuetur, his potissimum rationibus.

Prima est: Sacramenta novæ legis eatenus primarios suos ac principales effectus attingunt, quatenus gratiam justificantem speciali modo producunt. Ergo ad illum effectum qui sine gratia justificante haberi potest, nullo opus est Sacramento. Atqui ad remissionem peccatorum venialium non requiritur specialis gratiæ infusio: ergo &c.

Secunda est: effectus alicujus Sacramenti proprius, non potest dici primario & per se ab altero Sacramento produci: ita enim singula misericors, summeque sapiens Deus disposuit, ut proprii unicuique effectus corresponderent; atqui remissio peccatorum venialium proprie Sacramento pœnitentiæ convenit. Licet enim pœnitentia ad remittenda peccata mortalia principalius ordinetur: venialia tamen sufficiens ejus materia sunt: ergo &c.

Affirmativam partem S. Bonaventura, Scotus, & alii plerique defendunt. Nam, inquiunt, effectum hunc per se primo producit extrema unctio, ad quem ex primaria Christi intentione instituta esse videtur; atqui ad peccatorum venialium remissionem videtur principali Christi intentione directa, ut constat ex verbis Jacobi: *Si in peccatis sit, remittentur ei*: itemque ex forma Sacramenti: *indulgeat tibi Deus &c.* ergo &c.

Cum autem utrimque in eo quod ad fidem spectat Theologorum summa consensio sit; parum interest, quævis opinio defendatur.

COROLLARIUM IV.

Proprius extremæ unctionis effectus est, per gratiam sanare & abstergere peccatorum reliquias, vestigia, cicatrices, scilicet pronitatem ad malum, inepitudinem, languorem, & debilitatem ad bonum: atque adeo animam alleviare, & bilaritate spirituali perfundere.

Is enim est proprius extremæ unctionis effectus, ad quem ex præcipuo suæ institutionis fine ordinatur. Atqui ad peccatorum abstergendas reliquias, scilicet inclinationem ad malum, & torporem ad bonum, ex præcipuo suæ institutionis fine ordinatur. Ad ea enim tollenda proxime dirigitur, quibus potissimum homo a rerum cœlestium meditatione avocatur; & retardatur ab assecutione ultimi finis; atqui hujusmodi sunt infaustæ illæ peccatorum reliquiæ,

liquiæ, ex peccato originali & actuali superstites. *Quæ causa est*, inquit S. August. (*lib. ult. de Trin. c.* 27) *cur acie fixa lucem illam incommutabilem videre non possis, nisi infirmitas? Et quid eam tibi fecit, nisi iniquitas?* ergo &c.

Ex eo autem quod deleat reliquias peccatorum, consequens est ut animum alleviet, & spirituali hilaritate perfundat, magnam in ægroto divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua, ut loquuntur patres Trid. (*sess.* 14, *de extr. unct. c.* 2) *& incommoda morbi levius ferat, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistat*.

Quæ hactenus dicta sunt, sic explicat S. Thomas: " (*Supp. qu.* 30, *art.* 1, *in corp.*) dicendum, *inquit*, quod quodlibet Sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum; quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit; & quia Sacramentum efficit quod figurat, ideo ex ipsa significatione Sacramenti debet accipi ejus principalis effectus: adhibetur autem hoc Sacramentum, secundum modum cujusdam medicinæ, sicut baptismus per modum ablutionis. Medicina autem est, ad pellendam infirmitatem: unde principaliter hoc Sacramentum est institutum ad sanandum infirmitatem peccati. Unde sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio; & pœnitentia quædam spiritualis suscitatio; ita & extrema unctio est quædam spiritualis sanatio, vel medicatio. Sicut autem corporalis medicatio præsupponit corporalem vitam in medicato; ita spiritualis, spiritualem: & ideo hoc Sacramentum non datur contra defectus, quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum originale vel mortale; sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ, vel gloriæ: & hic defectus nihil aliud est, quam quædam debilitas & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali: & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum; ideo ex consequenti si invenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut etiam de Eucharistia & confirmatione supra dictum est: & ideo etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur dicens: *si in peccatis sit, dimittentur ei*: scilicet quoad culpam: non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit; sed semper remittit, quoad debilitatem prædictam, quam quidam reliquias peccati dicunt. Quidam vero dicunt, quod principaliter est institutum contra veniale, quod quidem non potest, dum hæc vita agitur, perfecte curari: & ideo Sacramentum exeuntium specialiter contra veniale ordinatur. Sed hoc non videtur verum, quia pœnitentia etiam in hac vita delet venialia peccata, quoad culpam. Quod autem non possunt evitari post peractam pœnitentiam, non aufert præcedenti pœnitentiæ suum effectum: & iterum hoc pertinet ad debilitatem prædictam. Unde dicendum quod principalis effectus hujus Sacramenti est remissio peccatorum quoad reliquias peccati: & ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniat ".

COROLLARIUM ULTIMUM.

Extrema unctio sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, operatur: unde hujus Sacramenti effectus secundarius dici potest.

Cujus veritatis primum argumentum præbent verba Jacobi: *Oratio fidei salvabit infirmum*: cum enim verba præcedentia, *infirmatur quis in vobis?* de ægritudine corporali intelligantur; de ea pariter exponi debent sequentia: *Oratio fidei salvabit infirmum*.

Deinde, hunc effectum extrema unctione produci Ecclesia intelligit, pro quo obtinendo Deum solemniter in ipsa Sacramenti administratione precatur; atqui non pro animi tantum, sed & pro corporis sanitate impetranda, Deus ab Ecclesia per suos ministros oratur. *Pater Sancte, animarum & corporum medice*, inquiunt Græci, *qui filium tuum Unigenitum, Dominum nostrum Jesum Christum, omnem morbum curantem, & ex morte nos liberantem misisti: sana quoque servum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate &c.* Eodemque sensu apud Latinos, in Sacramentario Gregorii M. sic legitur: *Emitte Spiritum Sanctum tuum paracletum de cælis in hanc pinguedinem olivæ .... ut tua sancta benedictione omni hoc unguentum tangenti, sit tutamentum mentis & corporis, ad evacuandum omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis &c.* ergo &c.

Quod autem effectus ille sit tantum secundarius, (quæ est altera Corollarii pars,) hinc manifesto probatur, quod Sacramenta novæ legis, primario non ordinentur nisi ad spirituale animæ bonum, ut ex eorum definitione constat. Hinc *Eugenius IV* Pontifex Max. *Effectus*

ctus extremæ unctionis, inquit, (*in Dec. pro instr. Armen.*) *est mentis sanatio*; *in quantum autem expedit*, *etiam corporis*. Et Concilium Trid. (*sess.* 14, *c.* 2, *de extr. unct.*) *Sanitatem*, inquit, *corporis interdum*, *ubi saluti animæ expedierit*, *infirmus consequitur*. Hanc enim conditionem etsi Jacobus Apostolus non expresserit, absolute dicens: *Oratio fidei salvabit infirmum*, & *alleviabit eum Dominus*: necessario tamen suppleri ac subintelligi debet. Sacramenta enim ad nostrum commodum & utilitatem instituta omnia sunt; atque adeo suos non exerunt effectus, nisi quatenus ad bonum nostrum conducunt; atqui non semper, imo rarissimo contingit, ut ad æternam hominis vitam utile sit, sanitatem ejus corporalem restitui. Nihil ergo mirum si tam pauci post ejus susceptionem recreantur a morbo. Indeque confutata manet Lutheri non tam objectio, quam inepta, & insulsa illatio. *Si unctio ista*, inquit, (*lib. de capt. Babyl.*) *Sacramentum est*, *debet sine dubio esse*, *ut dicunt*, *efficax signum ejus quod signat* & *promittit*: *at sanitatem* & *restitutionem infirmi promittit*.... *Quis autem non videt*, *hanc promissionem in paucis*, *imo in nullis impleri? inter mille enim vix unus restituitur*: *id quod nemo Sacramento*, *sed naturæ vel medicinæ beneficio fieri putat*. Unde enim profligatæ fidei, nullusque frontis homo habuit, si quis suscepta unctione sanetur, non hoc ipsi unctioni & orationibus Ecclesiæ ab Apostolo præscribi, sed soli naturæ aut medicorum industriæ tribui? Etsi enim ita carnales homines plerumque loquantur, non ita sane Ecclesia sentit, cui persuasissimum est, inutilem omnem medicationem morborum & curam esse, quæ ab arte & natura petitur, nisi remediis efficaciam ille dederit, qui *mortificat* & *vivificat*, *deducit ad inferos* & *reducit*: quique nutu suo ac supremo imperio, & vitæ & mortis est arbiter; quod si hæc generatim Ecclesiæ fides est, etiam quando sacramentum pro ægrotis a Christo specialiter institutum non adhibetur: quanto hoc magis credat oportet, ubi Sacramentum ipsum fit, de quo dictum est: *Oratio fidei salvabit infirmum*, & *alleviabit eum Dominus*: si modo saluti ejus expediens fuerit?

Jam si quæratur, utrum effectum hunc extrema unctio ex opere operato producat?

℟. De hac re nihil ab Ecclesia definitum; adeoque liberum unicuique esse, cui maluerit adhærere sententiæ. De gratia equidem, quæ Sacramentorum novæ legis principalis effectus est, in Concilio Trid. pronunciatum: (*Sess.* 7, *de Sacr. in gen. can.* 8) *si quis dixerit*, *per ipsa novæ legis Sacramenta*, *ex opere operato non conferri gratiam* . . . . *anathema sit*; idemque de charactere insinuatum: (*ibid. can.* 9) *Si quis dixerit*, *in tribus Sacramentis*, *baptismo scilicet*, *confirmatione*, & *ordine*, *non imprimi characterem in anima* .... *unde iterari non possunt*: *anathema sit*. De corporali autem sanitate, quæ Extremæ Unctionis effectus secundarius est, nihil tale legimus constitutum: quidquid porro plerique in contrarium disputent, non video qua ratione negari possit, in iis qui suscepta, qua par fuerat pietate ac fide, extrema unctione sanantur, sanitatem ab ipsa unctione sacris orationibus conjuncta, ex opere operato produci; Deo nimirum virtutem hanc, quando expediens judicat, Sacramento tribuente; quando non vult, quia ad æternam salutem non expedit, denegante.

QUÆSTIO SEPTIMA ET ULTIMA.

De Ritibus, *in Extremæ Unctionis administratione servandis.*

I. Extremæ unctionis administrationem, materiæ ejus, olei nimirum consecratio præcedit: quæ in utraque, Orientali & Occidentali Ecclesia, magno splendore & apparatu fieri solet. Non eadem utrobique ratio ac forma hujus Benedictionis tenetur: inter Latinos enim, Episcopi, inter Græcos & Orientales, simplices presbyteri, oleum consecrant. Deinde in Latina Ecclesia, semel in anno, feria V in cœna Domini: in Græca vero & Orientali quoties administrandum est Sacramentum, in ipso procinctu officii, hæc benedictio fit.

II. In Latina Ecclesia, etsi plures Sacerdotes ad infirmi unctionem vocari conveniens sit; unus tamen sufficit: Græci a pluribus, & saltem a tribus Sacramentum debere administrari contendunt; ut nimirum ad litteram præceptum Apostolicum impleatur: *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ*, & *orent super eum*, *ungentes eum oleo in nomine Domini*. Eamdemque aliquando disciplinam, saltem in aliquibus Latinæ Ecclesiæ partibus viguisse, exemplis suo loco adductis ostensum est.

III. Apud Latinos secundum præsentem disciplinam, in privatis ubi decumbunt domibus, infirmi unguntur, ut ex Ritualibus & more quotidiano notissimum est: non desunt tamen ex antiquitate exempla virorum illustrium, qui in oratoriis ungi voluerunt: quale est quod de S. Malachia, in vita ejus narrat S. Bernardus: *jubet*, inquit, *se sacro oleo ungi: exeunte conventu fratrum ut solemniter fieret*, *non sustinuit ut ad se ascenderent*: *ipse descendit ad eos*, in templum videlicet. Nec dubium quin eadem

eadem Græcorum communis disciplina sit: *gravi afflictos ægritudine*, ait Goarius, (*in notis ad S. olei officium*) *officio præsenti super eos recitato, unanimi cum Latinis consensu in domibus Græci ungunt*. Multorum tamen erga Sacramentum tanta pietas ac reverentia est, ut ibidem idem Scriptor observat, *ut aliorum ope & manibus ad Ecclesiam se deferri faciant, ibique plurium nonnumquam dierum spatio in Catechumenalis jaceant, pernoctent, morentur, & sacra tandem unctione sibi remedium exposcant*. Hocque facilius Græci possunt suæ huic Religioni ac reverentiæ satisfacere, quod, ut prædiximus, etiamsi periculose non ægrotent, ungi soleant.

IV. Unctionem infirmi, Sacri Viatici administratione priorem olim in Ecclesia Latina fuisse, ex Sacramentario Gregorii M. ex libro pœnitentiali Theodori Cantuariensis, ex vita Caroli Magni ab Eparchio scripta, aliisque antiquis monumentis certissimum est. Sæculo 13 hæc disciplina mutari cœpit, & Eucharistia extremam unctionem præcedere: quem deinceps morem communiter presbyteri secuti sunt, & Ritualia probaverunt: *Illud in primis ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum est*, ait Rituale Romanum, *ut si tempus & infirmi conditio permittat, ante extremam unctionem, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur*. Non ita tamen novam hanc consuetudinem Latina Ecclesia recepit, ut vim necessariæ legis habere voluerit. In ordine namque Cisterciensi, etiamnum antiqua regula obtinet Sacram Eucharistiam ægrotis, nonnisi suscepta extrema unctione administrandi: eumdemque morem, nonnulli Galliarum Episcopi renovarunt; rati scilicet connaturalius ac decentius esse, ut extrema unctio, quæ, ut loquitur Concilium Trid. *consummativum pœnitentiæ est, delicta, si aliqua supersunt, & peccatorum Reliquias abstergens*, sumptionem Sacratissimi Corporis & Sanguinis Christi præcedat, quæ munditiem ac puritatem animæ, quam maxima esse potest, requirit. Hoc ipsum Græci olim observarunt, & etiamnum observant.

V. Quod spectat ad cæremonias in actuali unctionis administratione servandas: " Sacerdos hoc Sacramentum ministraturus, *ait Rituale Romanum*, quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum mensam mappa candida coopertam, itemque vas in quo sit bombacium, seu quid simile in septem globulos distinctum, ad abstergendas partes inunctas; medullam panis ad detergendos digitos, & aquam ad abluendas Sacerdotis manus: ceream item candelam, quæ deinde accensa, ipsi ungenti lumen præbeat: denique operam dabit, ut quanta poterit munditia ac nitore hoc Sacramentum ministretur: deinde convocatis Clericis, seu ministris, vel saltem uno Clerico, qui crucem sine hasta, aquam benedictam cum aspersorio, & Librum ritualem deferat: ipse Parochus decenter accipiat vas Sacri olei infirmorum, sacculo serico violacei coloris inclusum, illudque caute deferat, ne effundi possit. Quod si longius iter peragendum, aut etiam equitandum sit, vel alias adsit periculum effusionis, vas olei, sacculo aut bursa inclusum, ut dictum est, ad collum appendat, ut commodius ac securius præferat: procedat autem sine sonitu campanulæ &c. ".

VI. In his, aliisque ritibus qui diversi in diversis Ecclesiis vel sunt, vel esse possunt, quippe ad substantiam Sacramenti non pertinentes: tenetur unusquisque morem suæ Ecclesiæ sequi. Cavendum autem ne quod diversum alibi esse sciverit, temerario condemnet, & contra Catholicæ Ecclesiæ sensum ac mentem redarguat: una namque, ut sæpe diximus, manente fide, disciplina varia est. Hinc Concilium Trid. Romanæ Ecclesiæ ritus contra Lutheranorum & Calvinistarum calumnias ita vindicavit, ut tamen Græcorum contrarios non proscripserit. *Si quis dixerit*, inquit, (*sess. 14, can. 3, de extr. unct.*) *extremæ Unctionis ritum & usum, quem observat S. Romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni: anathema sit*.

De extrema Unctione hactenus.

FINIS TOMI TERTII.

IN-

INDEX
RERUM ET VERBORUM

Quæ in hoc tertio Tomo continentur.

A

B

C

Ma-

Q

R

S

T

V

F I N I S.

